






36156











**COMMENTARIUS**  
IN LIBROS  
**PARALIPOMENON**  
USQUE AD  
**PROPHETAS;**  
SUCCINCTIS EXPLICATIONIBUS  
**SENSUM LITERALEM**  
ET  
**PRÆCIPUUM MYSTICUM**  
INDICANS,  
NEC NON  
OPPOSITOS AD SPECIEM TEXTUS CONCILIANS;  
IN USUS ACADEMICOS  
JUXTA SS. PATRUM, ET PROBATISSIMORUM AU-  
CTORUM SENTENTIAS CONCINNATUS

**P. ANTONIO PREISLER**  
E SOCIETATE JESU  
THEOLOGIÆ DOCTORE,  
ET  
IN UNIVERSITATE OLOMUCENA  
SOCIETATIS JESU  
SACRARUM LITERARUM INTERPRETE REGIO, PUBLI-  
CO, ORDINARIO.  
ANNO A REPARATA SALUTE MDCLXII.  
CUM LICENTIA ORDINARII.

OLOMUCII,  
TYPIS JOSEPHÆ HIRNLIANÆ, FACTORE MARTINO FRANCISCO  
KARLETZKY.

*S. Bratay*

36156





# PRÆFATIO

## Ad Lectorem, Theologiæ Auditorem.

 SI quanta in Sanctissimæ Religionis nostræ Adversariis cavillandi, & perpetuo criminandi libido est, & impudentia; tanta in nobis ejus gloriam ac Majestatem Sacerrimaque Dogma-ta propugnandi esse debet fortitudo atque constantia; ne illi pœnitendo labore anima-bus perdendis, quam nos iisdem servandis majorem lo-casse operam videantur. Tum nihil sane utilius, præsta-bilius nihil ad convellenda inania eorum deliramenta, quam recta, ac nativa Sacrarum Litterarum cognitio Vitis in Ro-mana Ecclesia Maximis unquam visum fuit.

Non enim gloriosius vincuntur hostes, quam cum iis-dem, quæ in nos strinxere, armis, expugnantur; & felicius profligantur vitia, quo apertius virtutis larva iis detrahitur. Ecquis vero tam ignarus est, qui nesciat, quotquot ad no-

stra usque tempora hæresum monstra Sanctæ DEI Ecclesiæ bellum intulerunt, sua e Divinis litteris (etsi perperam) arma deprompsisse? & ne, si aperta fronte incederent, horrori essent atque contemptui, Scripturæ Sacræ paginis pestilentissimos errores contexisse?

Qua de causa Antistitibus summis semper curarum prima fuit verum ab adulterino sensu, cum in Conciliis, tum extra illa per assistentis Spiritus Sancti gratiam Sapientissimorum virorum opera secernere, sanam, sanctamque doctrinam fidelibus tradere, credentium animos, si forte per imprudentiam dulce perfidiae venenum hauserint, sedulo repurgare, ab iis vero, qui fidem puram adhuc, integrumque retinuerint, omni conatu exitiosissima placita prohibere. In hanc curarum partem non eos solum, qui Provinciis aut Regnis integris ceu pastores cum potestate praesunt, venire voluere supremi Ecclesiæ Principes, sed & illos omnes, quorum per orbem Christianum universum interest, animarum saluti ex munere, officioque consulere.

Ex quo planum est atque perspicuum Auditores Theologi, quam caute & vobis incedendum, & vestræ curæ committendus grex ad salubriora pascua deducendus sit; quando nulla ad fallendum via est expeditior, quam si, ubi nefasarii erroris inducuntur fraudes, ibi divinorum verborum prætendatur auctoritas.

Nimirum res etiam præstantissimas, atque sanctissimas hac sorte involvi, ut non parem omnibus utilitatem, ac frumentum pariant, quodque alteri præsidio est, alteri calamitatem & perniciem ultimam afferat, non ignoramus. Oculus excellentissimum in capite membrum alios dirigit, alios seducit; Auro utuntur in suum, & Reipublicæ emolumen-tum multi, multi in ruinam. Nihil denique in vita datum est

est, quo alii bene ut, alii male abut, cum voluerint, non possint. Etiam Scriptura Auctore Divino inspirata, sanctissimis vitae, morumque praeceptis referta gladius anceps est, quo & recte ad tutelam, & secus ad oppressionem veritatis, & Religionis permulti usi sunt.

Et quanquam omnibus vobis, quorum commodo praesentem Commentarium adornandum suscepi, ea adesse ad comparandam eruditionem instrumenta, ingenium videlicet & memoriam minime nescio, quorum utrumque sic tenetis, ut in altero excellatis, in altero, qui excellere putantur, non admodum concedatis; tamen vereor, ne, si quis altissima illa Mysteria initis tenebris involuta, phrases, modosque loquendi nostris multum diversos suornet ingenio penitus assuequi attentaret, in deplorandos errores labendi periculo tristi summorum virorum exemplo sese exponat. Li etiam, quibus alioqui Scriptura S. clara admodum est, atque perspicua, Ducas sui, & Antesignani ore ita fatentur: *Scio esse impudentissimæ temeritatis eum, qui audeat profiteri unum* (a) *Scripturæ librum a se in omnibus partibus intellectum.* Faccem igitur praefero, dum operam meam, quantum vires ferent, vobis addico AA. TT. Sacrarum Paginarum sensum ita exponere ordior, ut non ingenio meo procusum (abstinet in re tam sacra & sublimi) sed e SS. PP. & Doctorum Ecclesiæ placitis, optimis, & præstantissimis quibusque tum Veterum, cum Recentiorum scriptis labore non minimo collectum existimetis.

Evidem in votis mihi erat expositioni singulorum capitum ex integro caput ipsum præfigere, quo nexum, & si quæ est, historiam præ oculis constituerem, nisi in majus quam sumptus ferant, volumen excreceret, persuasumque mini foret aut omnibus Divinum Codicem ad manus esse,

A 3


aut

(a) Luther. Praefat. in Psalmos,

aut certe, ut studio huic pernecessarium, proxime compa-  
randum. Quare præcipuos solum versus (antecessorum  
secutus vestigia) sensum literalem, basim ac fundamentum  
reliquorum, ac primario a Spiritu S. intentum ubique pro  
viribus stabiliam; utne tamen exsanguis, & jejuna sit ex-  
positio, sed succum habeat, & nervos, Allegorica, & Ana-  
gogica, quin & moralia (saltē nobiliora) historica, con-  
troversa item cum hæreticis & Judæis, denique & Schola-  
stica dubia perstringam, ac dissolvam.

Quem meum laborem proferendæ cumprimis Divinæ  
Gloriæ accommodatum, vestris deinde studiis utilem fuisse,  
si intellexero, est, quod me suscepit laboris nunquam poe-  
niteat.





**L I B E R I.**  
**PARALIPOMENON.**  
 HEBRAICE  
**DIBRE HAJAMIM.**



Hieron. Epist. ad Paulinum, quæ Bibliis præfigitur: Paralipomenon liber, inquit, id est instrumenti veteris epitome, tantus ac talis est, ut absque eo, si quis scientiam Scripturarum sibi voluerit arrogare, se ipsum irrideat, per singula quippe nomina, juncturasque verborum, & prætermissa in Regum libris tanguntur historie, & innumerabiles explicantur Evangelii questiones. Hic liber igitur epitome est, sive compendium gestorum Regum Juda, non vero Regum Israël, utpote Schismaticorum & Idololatraturum. Hebraice inscribitur דְבָרֵי הַמִּזְבֵּחַ Dibre Hajamim, id est: verba diorum, quasi dicas diarium, sive Chronicon, breviter gesta Davidis, & posteriorum Regum Juda, velut per singulos dies, id est per singula tempora & sæcula enarrans. A septuaginta Interpreibus inscribitur Παραλιπόμενων sive Relictorum, aut residuorum, quod ea, quæ in libris Regum omessa sunt, suppleat, & historice recenseat. Quia tamen multa repetit, quæ in libris Regum dicta sunt, his omissis, ea, quæ huic libro propria sunt, exponam, aut quæ strictim, vel obscurius scripta sunt, fuisus & clarius explanabo. Apud Hebreos duo libri Paralipomenon unum efficiunt nomine superius indicato, qui apud nos propter magnitudinem in duos divisus est.

Judæi, & Interpretes Nostrates ab Esdra librum scriptum arbitrantur, quod nimis captivitate soluta, dirigentibus Aggeo & Zacha-

charia otium scribendi nactus est. Favet hinc opinioni, quod ultima verba libri 2di Paralipomenon proflus eadem sint cum primis Esdræ 1. Cap. item styli æqualitas, perpetua contextus series, historiarum fusiōs ante expositarum identidem subjectæ complexiones, & appositaæ ad res animadversiones. Neque oppositum evincit, quod Author Genealogiam Zorobabelis usque ad duodecimam generationem prosequitur, quo ut minimum recentorum annorum spatiū comprehenditur. An enim fidem excedit, Esdram, ex pluribus, quos ad manus habebat, Commentariis, quædam in suum opus, ne immutata verborum phrasí, inferuisse? Quid si ab obitu Esdra quæpiam aliena manu adjecta sint? non est igitur, cur ab ea probatissimum scriptorum opinione recedamus.

Scopus Auctoris in eo potissimum fuit, ut sub ipsis legentium oculis exhiberet, quis olim ante captivitatem, ac deinde post eam solitarii familiarum status fuerit, quæ hereditas, quo scilicet iure post minimi singuli suis rebus restituerentur. Constitutum enim erat jam inde ab initio, ut singulæ tribus relatas in tabulas haberent agrorum dimensiones, quarum fide annis Sabbaticis & Jubilæis omnia veteribus Dominis integre assererentur, ne unquam in alienas manus familie bona transirent. Atque inde istud maxime curavit Auctor, ut Urbium potius & locorum, quam hominum nomina exprimeret. Qued tamen ante omnia curas ejus occupabat, illud censendum est, ut munera, Genealogias, familias, & ordines Sacerdotum, ac Levitarum fusiōs describeret: res enim erat momenti maximi, ut singulis vetus ordo, priora munera, & a vita hereditas juxta veterum tabularum normam constarent.

Librum hunc demum Hieronymus de Hebreo in Latinum translulit petente Chromasio Episcopo: cum enim videret Antiochenam, Constantinopolitanam, & inter has medias Ecclesias diversis uti translationibus, & corruptis, maximè circa propria nomina personarum, & locorum, ejus hortatu Hieron. post quatuor translationes, scilicet Septuaginta, Symmachii, Aquila, & Theodotionis, ad quintam juxta fontem veritatis Hebraicæ animum adjecit.

## C A P U T I.

**P**RIMA decem capita non nisi Genealogias continent, quia in iis exacti erant Hebrei, tum ad 12. tribuum distinctionem, tum propter ipsum Christum, ut constaret cum ex

**ex Abraham, Davide, & Tribu Juda natum.** Paucis proinde illa expediam, utpote quæ usum non habent, & nomina tantum genitorum enarrant. Istud notandum, sœpe nomina propria virorum & foeminarum diversa esse ab illis, quæ iisdem personis in Genesi tribuuntur; cuius ratio est: quod Hebræi erant Polyonomi, seu pluribus nominibus appellati, ut testatur Cornelius a Lapide; quandoque etiam idem nomen mutatur unius, alteriusve literæ inflexione, & pronuntiatione. Denique non omnes filii, sed magis clari duntaxat, & celebres hic recensentur.

*Describitur Genealogia Adæ usque ad Abraham, ejusque posteros, præsertim Idumæos, quorum Reges & Duces referuntur.*

1. *Adam, Seth, Enos, Cainan &c.* supple: Adam genuit Seth, Seth genuit Enos, & ita in ceteris, compendii causa, ne eadem vox genuit ad tedium repeteretur. Si quæras cur hoc loco taceatur Abel, & Cain? ratio est: quia Abel sine liberis deceffit; Cain vero, non quia malus, sed quia omnes nati ejus diluvio hausti, perierunt.

4. *Noë, Sem, Cham, & Japhet,* (subaudi) Noë genuit; hi enim tres Filii Noë sunt, ut patet ex Genes. Cap. 6.

5. *Filius Japhet: Gomer, & Magog, & Madai, & Javan, Tubal, Mosoch, Tbiras.* A Japheti primogenito Gomer prognati sunt Gomari, seu Cimbri, qui nunc Dani, & Holsatii dicuntur. A Magog Getæ, & Magagetæ, a Madai Medi, a Javan Jones, & reliqui Græci. A Tubal Iberi seu Tiberi, qui in Asia sunt juxta Pontum Euxinum: ex quibus orti, & colonia traducta propagati

sunt Iberi Evropæi, seu Hispani. Ex Mosach sunt Mosci, & ex Thibæ Traces.

6. Porro Filii Gomer Ascenez. Ex hoc orti sunt Ascenii, seu Tuiscones, id est Germani, unde Hebreis Germania Askenez dicitur. Ex Riphath Riphæi, seu Paphlagones. Ex Togorma Phryges, seu Turcæ.

7. Ex Elisa putantur Itali, ex Tharsis Cilices, & etiamnum Ciliæ Metropolis Tharsus vocatur, patria S. Pauli Apostoli. Ex Cethim Cyprii, & Cretenses. Dodanim, sed Rodanim vertunt LXX. Hieronymus, & Isidorus, & explicant ab iis processisse Rhodios.

8. *Filius Cham: Chus, ex quo æthyopes.* Ex Mefraim Ægyptii. Ex Canaan Cananæi.

10. *Chus autem genuit Nemrod &c.* hic primus in alios imperium occupavit, cum antea omnes æquore viverent. Primam Monarchiam Babylone constituit, tur-

rim velut arcem ædificare voluit.

17. *Fili Sem, Elam, & Assur, & Arphaxad &c.* Sem primogenitus Noë ultimo loco ponitur præmissis generationibus Japhet, & Cham, ratio est: ut teneretur continuo ejus generatio; plures enim ab ipso descendenterunt. Cham vero noluit Auctor præponere, quia revelavit verenda Patris Genes. 9. Japhet præpositus est, quia Patrem denudatum contexit. Elam unde Elamitæ, seu Persæ, Assur Assyrii.

18. *Arphaxad autem genuie Sale &c.* Septuaginta in plerisque editionibus inter Arphaxad & Sale ponunt Cainan: hoc pacto: Arphaxad genuit Cainan, Cainan autem genuit Sale; quam difficultatem fuius expositam vide Gen. 10. 25. Heber, a quo Hebrei secundum Hieronymum, & Josephum. Augustinus vero ait: merito querendum utrum ab Heber dicti sint, an ab Abram, quasi Abræi.

19. *Phaleg* (quod divisionem significat) quia in diebus ejus divisa est terra: præviderat enim S. Pater Ejus Heber tempore Filii sui Phaleg divisum iri linguas, & gentes, non in ortu, sed in diebus ejus, seu eo regnante, & turrim Babel, moliente Nemrodo.

24. *Sem, Arphaxad, Sale;* a versu 17. generationes Sem resumuntur, ut hic palam fiat, ex ipsius stirpe natum esse Abraham.

27. *Abram, iste est Abraham, qui*

scilicet mutato aliquantum nomine dictus est Abraham, cum prius vocaretur Abram. Gen. 17. v. 5.

32. *Fili autem Cetura Concubina Abraham:* Vox hæc turpe quiddam sonat apud nos, apud Hebreos, quibus Polygamia interdictum non erat, nomen Pigelesch, a quo Latinum pellex proficiuntur, secundi ordinis uxorem significat, quæ minori cum solemnitate ac cæteræ, ducebatur; neque ad illam spectabat administratio familiæ, neque jus hereditatis competebat illius filii.

36. *Thamna Amalec.* Thamna genitivi casus est, quia Gen. 36. v. 12. dicitur Eliphaz de Thamna concubina sua genuisse Amalec.

38. *Seir.* non est hic Esau (licet etiam ipse hoc nomine vocatus fuerit) neque Filius Isaaci, sed ex alia gente Horreus, qui ante Esau Idumæam tenuit, hic autem sit illius mentio, ut innotescat Thamna genus, ex qua procepsit Amalec.

43. *Isti sunt Reges &c.* vide dicta Gen. 36. v. 15.

44. *Jobab.* Vide de hoc dicta Gen. 36. v. 33. de Bosra, erat una ex principiis urbibus Idumææ.

45. *De terra Themannorum.* The man erat caput Idumææ.

48. *Rohoboth, quæ juxta amnum (intellige Evphratem) sita est.* Rohoboth eadem plane erat, quæ Oroba, vel Rahabath Melic, a Nemrod condita. Hebrei credunt Rohoboth eandem esse ac Nineve, verum sine ulla veritatis specie.

cie. Isthic amnem supplemus Euphratem; passim enim in Scriptura fluvius sine addito Euphratem significat.

§2. Oolibama nomen est uxoris

Esau, de cuius nomine civitas Oolibama vocata fuit. Nomen hoc Hebraice significat altitudinem Tabernaculi, vel Tabernaculum meum elevatum est.

## C A P U T II.

### Jude Patriarchæ posteri usque ad Patrem David recensentur.

3. Fuit autem Her primogenitus Juda malus coram Domino, qui & occidit eum. In ipsa juventute, & forte dæmonis interventu, ut contigit septem maritis Saræ Tobiaz 6to; quale fuerit scelus Her, Scriptura nusquam exponit. Vide Gen. 38. 9. de crimine Onam, quod idem fuisse Her putant Interpretes.

7. Filii Charmi: Achar, qui turbavit Israël. In libro Josue Achan dicitur, qui post crimen suum Achar vocatus est, quæ vox turbare significat eo quod turbasset Israël, furto abducens aliquid de anathemate Jericho Josue 7. at verum illius nomen erat Achan.

9. Ram alibi Aram appellatur. Calubi infra versu 18. dicitur Caleb.

13. & 15. Isai genuit primogenitum Eliah - - Septimum David. Ex Lib.

1. Reg. Cap. 16. patet octo fuisse filios Isai, cum enim ille coram Samuele septem filios adduxisset; Propheta nullum eorum a DEO electum fuisse dixit, accitusque fuit David, qui pecora in agris pascebat; & Cap. 17. aperte dicitur Isai octo fuisse filios. Unus ergo ex his sine sobole ad plures abiisse censendus est; vel Isai filiorum suo-

rum, qui junior excesserit, filium adoptasse, & educasse putant velut filium suum, Jonathan, seu Jondab appellatum filium Samaa; quæ plurimorum etiam Interpretum est sententia.

16. Filii Sarvia, Abisai, Joab, & Asael tres. Huic sorori Davidis a Scriptura habetur honos, qui alias huic sexui negatur; trium autem horum filiorum Pater ignoratur.

17. Cujus Pater fuit Jether Israëlitæ. Incolatu videlicet, non genebre: nam 2. Reg. 17. dicitur Israëlitæ. Alii putant Jether fuisse de Jezraël oppido nobili Palæstinæ in Tribu Issachar.

18. Caleb vero filius Hesron &c. Prior hic fuit illo, qui primus terram promissionis est ingressus; & filius Jephone dicitur.

21. Patris Galaad &c. id est Principis; sic v. 24. Pater Thecuz accipitur pro Principe Thecuz.

42. Ipse est Pater Ziph: id est habitantium in Ziph. Est autem Ziph locus, a quo dicti sunt Ziphæ, qui prodiderunt David Sauli 1. Reg. 23.

46. Porro Aram genuit Jezen. Glossa hic interpretatur Jezen Tansor.

*Sor.* Unde putatur a Judæis Nabal Carmeli, qui tondens oves suas nuncios David contumeliis affectit. 1. Reg. 26.

52. *Dimidium requietionum.* Qui orti sunt ex Sobal diviserunt sibi Regionem, quam obtinuerat Sobal; vel qui possidebant dimidiari partem Regionis, in qua quiete habitaverant Patres ejus, & hanc dimidiari partem Sobal transcripsit Filiis suis. In Sacris Litteris requies frequenter pro habitacione sumitur, ut Psal. 94. *Si introibunt in requiem meam.*

54. *Corona domus Joab Sc. q. d. præcipui familiæ istius Heroës.*

55. *In Jabel Sc.* erant Scholæ publicæ. Hi sunt Cynæi, qui venerunt de Calore Patris domus Rechab. Seu de Patre domus Rechab: aut potius de Calore, nomen est proprium חם Chammeth; quod Interpres vertit calorem, nam interdum ponit significationem nominis proprii pro ipso nomine. Cynæi vero non Iraëlitæ, sed a tempore Moysis cum Iraëlitis coniuncti fuerunt, Rechabitæ dicti; quod ferventi in DEUM Religione, & vita austerritate assidue in lege DEI meditantes, a vino & Sickerâ abstinentes sine domibus in solitudine morabantur.

## C A P U T III.

### Generations David, & Regum Juda.

1. *Jezaëlite Sc.* duplex erat in terra promissionis Jezaël, una in Tribu Juda, Josue 15. prope montem Gelboë; altera in Tribu Manasse, Josue 14. ubi occisus Naboth. *Daniel de Abigail Sc.* binomius is fuit; nam 2. Reg. vocatur Cheleab. Abigail uxor Nabal Carmelitæ.

3. *Zetram de Eyla uxore sua:* id est: etiam uxore sua, non enim eadem est cum Michol, ut quidam opinantur, nam huic Filii non erant, ut dicitur 2. Reg. 6.

5. *Quatuor de Betsabee.* Dubium hic oritur, cum Salomon Proverb.

4. v. 3. dicat se unigenitum fuisse sororam Matrem sua. Sunt, qui putant tres priores suscepisse Betsabeam

ex priore suo marito Uriâ Hethro, eosque a Davide ad competentiam injuriam adempti Parentis adoptatos. Sed verisimilius Salilianus cum aliis a se citatis censem omnes hos quatuor ex Davide, & Betsabee fuisse procreatos: & Salomonem isthic vocari unigenitum, id est: *unice dilectum*, ut ibidem translaterunt LXX. Alioqui Nathan, ad quem Lucas Genealogiam Christi deducit, non fuisset Filius Davidis, sed Uriæ. Denique filiolus ex adulterio Betsabee natus impedit, quo minus Salomon dici possit absolute unigenitus Matris lux.

9. *Habueruntque Sororem Thamar;* erat hæc uterina soror Absolon, &

ex Patre tantum ceterorum libero-  
rum David, soror.

15. Filii *Josia*: *Johanan*, *Joakim*,  
*Sedecias*, *Sellum*. Lib. 4. Reg. 23.  
24. tres tantum leguntur, *Jooha-*  
*nan* Patre vivente sine liberis  
obtulisse vero haud ab simile est.  
Tres alii Regnum possederunt; at  
nequaquam juxta nativitatis ordi-  
nem. *Sellum* prior solium obti-  
nuit, mox *Joakim*, vel *Eliakim*;  
tertius vero fuit *Sedecias*.

16. De *Joachim* natus est *Je-cho-*  
*nias*, & *Sedecias*. Hic frater erat  
*Joakim*, & *Patruus Jechonias*, adeo  
ut filius sumatur pro fratre, vel  
Successore: constat enim *Jechonias*  
*Sedeciam* successisse, & filium  
*Josia* fuisse.

17. Filii *Jechonias* fuerunt *Afir*, *Sa-*  
*lahiel* &c. Octo hic filii *Jechonias*  
recensentur: ipse tamen vocatur  
sterilis *Jerem.* 22. v. 30. quia nul-

lus ei in regno successit, ut ibidem  
explicat *Jeremias*.

19. De *Phadaja* orii sunt *Zorobabel*  
& *Semei*. Alius est hic *Zorobabel*  
a *Zorobabele* atavo Christi 1mo.  
ejus tamen fuit *Patruelis* ut censeret  
*Cornel. a Lapide*. Nam ille *Matth.*  
1. fuit filius *Salathielis*. Nonnulli  
tamen existimant unum eundemque  
esse *Zorobabel*, qui natura fues-  
tit filius *Phadajæ*, adoptione vero  
*Salathielis*. Sed hi consequenter  
dicere debent aliquem filiorum  
*Zorobabel*, qui hic recensentur,  
alio nomine vocatum fuisse *Abiud*.  
Nam *Matth.* 1. dicitur *Zorobabel*  
genuisse *Abiud*. Unde *Mariana*  
opinatur *Hananiam*, qui hic se-  
quitur, alio nomine vocatum fuisse  
*Abiud*.

22. Sex numero si Pater in com-  
putum veniat, alias quinque tan-  
tum sunt.

## C A P U T IV.

**P**osteri *Jude*, ac *Simeonis Patriarcharum*: eorundemque victo-  
riae, & res præclare gestæ.

1. Filii *Juda Phares*, *Hesron*, &  
*Charmi* &c. Solus *Phares* fuit *Juda*  
filius, qui genuit *Hesron*, *He-  
sron* *Charmi* &c. filii ergo hic vo-  
cantur nepotes, & pronepotes, qui  
longa serie a *Juda* descendunt.  
*Scopus* enim *Auctoris* hoc libro  
fuit, nominare viros virtute, vel  
familia ampla celebres, qui a *Juda*,  
vel alio quopiam *Patriarcha*  
prognati sunt.

8. *Cos* autem genuit *Anob*. *Cos*, ut  
ex affinitate nominis apparet, vide-  
tur idem esse cum *Cenez* v. 13.  
frater *Ethnani*, Pater *Jephone*.  
Unde uterque a communi avo di-  
ctus fuit *Cenezxus*.

9. Fuit autem *Jabes* inclitus præ-  
fratribus suis. *Jabes* significat do-  
lorem, quo nomine voluit filium  
Mater vocari, eo quod exquisitissi-  
mis doloribus partus cum enixa-  
esser.

esser. Quis hic Iabes sit, non constat, sed neque quis Pater aut avus illius: solum notum est ex posteris Juda fuisse, ac præ contribulibus suis inclytum. Vero simile autem est fuisse filium Arum, fratrem Ahazelis, & Othonielis, nepotem Cenez, seu Cos.

21. In domo Juramenti Hebr. Esbaa est nomen proprium significans Juramentum. Unde septuaginta vertunt: in domo Ascha. Sæpe in his decem capitibus nomina propria non ponuntur, sed eorum significata; quia in his later mysterium, vel altusio rei, aut personæ congrua.

22. Qui stœre fecit salem, viri que mendacii significatio est nominis proprii Joakim, quod est: stœre fecit, sed non solem, cuius neque mentio est in Hebræo, neque in 70. neque videtur ad Latinum textum adjungi debere: forsitan ab aliquo sciollo ad marginem primo, deinde etiam in textum insertum fuit, ut sentit Tirin. Viri mendacii dicuntur Maalon, & Chelion, quia cum essent Juvenes, & haberent uxores, conjugium eorum videbatur spondere generationem futuram, & mortui sunt sine sobole. Securus est interpretatio Maalon, incendens Chelion.

23. His sunt figuli habitantes in plan-

tationibus Et c. Vatabl. isti sunt figuli illi habitantes in Nathaim, Et Gedera cum Rege in opere ejus. Locorum sunt nomina ab hortis, & sepibus: q. d. isti sunt figuli illi clari, qui habitabant inter plantas & sepes; nimirum qui versabantur in hortis apud Davidem, ut opera ejus Regia adjuvarent; ideoque magno apud eum in pretio fuere.

40. In qua ante habitaverant de stirpe Cham. Chananezi videlicet: hi enim prognati sunt ex Chanaan filio Cham, filii Noë. q. d. Simeonitez crescente numero filiorum suæ tribus, cum ante habitarent, præsertim in medio tribus Juda, quæ in Schismate factò sub Roboam suas urbes a Simeonitis recepit; hac de causa Chananezos vicinos, qui post Josue in terra sancta restiterant, nec ab Hebræis expelli poterant, invaserunt, eorumque Urbes, agros, & pascua occuparunt initio regni Ezechiæ; sed modico tempore iis gavisi sunt: nam anno sexto Ezechiæ cum reliquis novem tribubus a Salmanasar captivi abducti sunt in Assyriam 4. Reg. 17.

43. Percusserunt reliquias Amalecitarum. Eos videlicet Amalecitas, qui manus Saulis, in bello illis illato evalserunt 2. Reg. 14. vel quos David in fugam actos postea persecutus est.

## CAPUT V.

**R**uben, Gad, & dimidiæ tribus Manasses Posteri illustriores referuntur.

1. Data sunt primogenita ejus (Ruben) filiis Joseph. Scilicet Ephraimi, & Manasse. Primogenitus enim habebat dupliceim portionem hereditatis Paternæ (cum cæteri fratres singuli haberent singulas) uti sancitur Deuteronom. 21. 16. & hanc debebat habere Ruben utpote primogenitus Jacob; sed ob ejus incestum illa translata est ad Joseph, qui per duos filios jam dictos duplificem partitionem terræ sanctæ obtinuit. Rursum primogenito competit jux Sacerdotii, & hoc a Ruben translatum est ad Levi: ad hæc jux primatus, & Regni; & hoc determinatum est Iudeæ. Vide dicta Genesim 49.

12. *Joël in capite:* hoc est: Joël fuit caput & Princeps tribus Gad, ut patet ex Hebreo, & Græco: secundus post Joël fuit Saphan, qui Basanitidem occuparunt. Fuerunt hi non filii, sed Nepotes Gad, ut patet Gen. 46.

17. In diebus Jeroboam Regis Israël. Hic Jeroboam non fuit primus Rex Israël, qui Schismæ fecit a Roboam, sed longe posterior; scilicet abnepos Jehu. Hic enim coævus fuit Joathan Regi Juda.

19. Dimicaverunt contra Agareos. id est contra Saracenos, qui ab Agar Ancilla Abraham dicti sunt Agarei. Porro Agareis præbuerunt auxilium Ituræi, Nephissæi, & Nodabæi (ut habet Hebreæ, & septuaginta) contra Rubinitas; sed turpiter ab eis, utpote DEUM invocantibus cæsi, bonisque, & agris spoliari sunt.

25. Fornicati sunt post DEOS populorum. Post idola videlicet sub impiis Regibus Israël. Num DEO servierunt, habuerunt eum proprium, & defensorem contra hostes suos. Cum autem eo relicto idola coluerunt, senserunt ultorem, quem habuerunt protectorem.

## CAPUT VI.

**F**ili, id est Posteri Levi, atque ex iis Cantores, & Ministri templi a Davide constituti. Nominatim vero enumerantur posteri Aaronis Sacerdotes, urbesque Sacerdotiales, & Refugii.

3. *Fili Aaron:* Nadab & Abiu, qui adolescentes ignem alienum a DEO

occisi sunt Levit. 10. superfuere ergo soli duo Eleazar, & Ithamar; ille

ille senior fuit, adeoque Aaroni successit in pontificatu, ejusque posteri usque ad Ozi.

5. *Bocci genuit Ozi*, post hunc Ozi pontifex factus est Heli, qui erat ab nepos Ithamar, non Eleazar: Heli successore quatuor ejus posteri, quorum ultimus fuit Abiathar, qui a Salomone ob conjurationem cum Adonia contra se factam, pontificatu privatus fuit, suffecto in ejus locum Sadoc, qui erat exposteris Eleazar: unde Pontificatus mansit in ejus posteris usque ad captivitatem Babyloniam. Quare quatuor medii, qui hic nominantur ab Ozi usque ad Sadoc scilicet Zaraias, Meraioth, Amarias, & Achitob non fuere Pontifices; cæteri vero post Sadoc fuere.

10. *Iste est, qui Sacerdotio functus est*. Azarias secundus, qui virtute plane Sacerdotali, & primo DEI ministro digna munera sui iura servare novit Oziæ Regis ambitionem coërcens, qui prospero rerum eventu elatus incensum pertractare, & in sancto tymiana ponere ausus est, eum ex templo ejiciendo, ut dicitur Paral. 2. 26.

22. *Core filius ejus*. Hic est Core, qui contra Moysen rebellis vivus a terra dehiscente cum tabernaculo suo absorptus est, filiis ejus innocentibus per miraculum illæsis a DEO servatis; ex quibus fuit Elcana Pater Samuelis Prophetæ.

28. *Primogenitus Vasseni*, qui 1. Reg. 8. v. 2. dicitur Joël. Nota in his genealogiis multos Polyonymos

esse, qui uno versu sic, alio aliter appellantur.

31. *Quos constituit David super Cantores Domus Domini, ex quo collata est arca*. Postquam David transstulit arcam foederis in civitatem Sion, & collocaverat eam in tabernaculo, quod ipse exerat; jussit Sacerdotes & Levitas ibi summa cum dignitate sacris operari. Levitas igitur tres in classes distribuit, Cantores ex familia Caath locum medium in tabernaculo obtinebant; ii vero ex familia Merari lævam, & cæteri ex familia Gerson dextram partem occupabant. Omnes DEUM laudabant, & viva voce, & musicarum fidium concentu.

49. *Aaron & filii ejus adolebant incensum*. Incensi nomine non intelliguntur hic odores, qui super altere holocaustorum adolebantur; sed hostiae duntaxat, & saginatae victimæ cremabantur; quæ incensum nonnunquam in scriptura appellantur.

57. *Dederunt Civitates ad confundendum*. Nolim quis arbitretur has omnes 13. civitates, quæ filiis Aaron assignatae fuerunt, fuisse Urbes refugii: hæ enim omnino sex erant: Hebron in tribu Juda, & alia duæ in tribu Nephtali, & Ephraim, quarum altera erat in Gallæa, prope Sichem altera: tres vero trans Jordanem in tribu Ruben, Gad, & Manasse; alia autem Sacerdotum, & Levitarum urbes hac in re privilegio non distinguebantur.

81. *Et Jeser cum sub urbanis suis*.  
Hic

Hic hoc loco in Josue concluditur: itaque civitates Levitarum universæ 42. supple exceptis sex Civitatibus refugii.

## CAPUT VII.

**G**enealogia Issachar, Benjamin, Nephtali, Manasse, Ephraim  
et Aser.

3. *Filius Ozi.* Pro filius Ozi: neque enim numeratur alius præter Izrahiam: non quod nullus alius fuerit, sed quod ejus solius velut eximii prosopiam deinceps pertinere voluerit Esdras. *Quinque omnes Principes ad literam:* omnes capita frequentis nimirum familiæ, & in tribu sua nominis celebritate polentes. *Quatuor tantum enumera-*  
*runtur in textu;* unde adnumerandus est Izrahiam eorum Pater.

6. Filii Benjamin : Bela, ♂ Bechor,  
♀ Jadiel tres. Hi tres fuere illu-  
striosores : nam universim fuere de-  
cem, qui recensentur Gen. 46.

18. Soror autem ejus *Regina* peperit virum decorum. Hebr. Soror ejus מולכת אישור מולchet, peperit Ischod, ita septuaginta Pagnan. Vatabl. & alii. Nomina propria per significata sua translatâ sunt: Molchet enim significat Reginam. Ischod vero virum decorum.

21. Occiderunt autem eos ( filios Ephraim primogeniti Joseph ) vi-ri Geth indigenæ; quia descenderant, & invaderent possessiones eorum. Ve-

Solyma, Lusa, Bethel, Jerosolyma, Jebus, Helia-

Urbs Sacra Jerusalem dicitur, atque Salem.

Alia Bethel fuit iuxta Jerusalem, de qua dicitur *cum filiabus*, id est *cum villis circumiectis*.

ro simile est Pharaonem Josepho, quem ob famam depulsam Ægypto præfecerat, in ea possessiones aliquas donasse præsterrim in ejus finibus, & terra Gessen ( Ægypti Angulus est, Palestina proximus ) quam fratribus ejus ad alenda pecora assignaverat. Joseph vero moriens has possessiones reliquit filio suo Ephraim, qui eas tradidit filiis suis; sed eos occiderunt Ægypto vicini Gethæ, & possessiones eorum occuparunt.

24. *Filia autem ejus fuit Sara, quæ adificavit Bethoron.* Filia, id est nep-  
tis, vel potius proneptis: nec enim filia Ephraim habitans cum eo in  
Ægypto potuit ædificare Betho-  
ron, & duas alias urbes, quæ erant  
in Chanaan.

28. Bethel cum filiabus suis. In Numer. etiam dicitur quod Bethel fuerit in sorte filiorum Joseph. In Iudic. legitur, quod fuerit in Benjamin: Bethel enim est Jerusalem, quæ fuit in sorte Benjamin R. Due fuerunt Bethel, una fuit Jerusalem. Unde versus:

## C A P U T VIII.

**P**Osteri Benjamin plenius recensentur, ut deinde per texatur genealogia Saulis.

7. *Nuaman autem & Achia & Gera*: Supple. sunt filii Ahod, quos Gera vers. præced. scilicet Ahoditas transtulit ex Gabaa in Manatath. Idem Gera genuit Oza & Abiud, ac tertium Saharaim existens in Regione Moab, ut sequitur v. 8. ad quam Gera migravit forte cum Elimalech famis causa. Auth. I.

12. *Ono & Lod*. Hæ sunt duæ civitates, quarum nomina ante Babyloniam captivitatem nullibi inveniuntur; credibile proinde est, eas primum post illam fuisse conditas. Lod plane eadem est, quæ Lydda, dein Diopolis dicta ad decimum ab Jerusalem Lapidem. Ono tribus passuum milibus a Lydda distabat.

29. *In Gabaon autem habitaverunt abi Gabaon &c.* id est Pater Gabaon

seu Princeps, cuius nomen proprium est Jehiel, ut dicitur Cap. Seq. v. 35. qui fuit Pater Cis patris Saulis ut sequitur. Dices: quomodo v. 33. dicitur, Ner fuisse Pater Cis, & avus Saulis? R. Jehiel alio nomine dictum fuisse Ner, id est lucerna, eo, quod ipse ut lucerna toti familie præfulgeret. Ita Emmanuel Sà, & Mariana. Alii putant Jahiel fuisse Patrem Ner, cuius filius Cis, nepos Saul. Operosum esset hanc difficultatem evolvere inter tantæ vetustatis caliginem. Glossa dicit Ner genuisse Cis, quia educavit eum.

33. *Esbaal filius hic Saulis idem est, qui Isboseth*, qui fere septenrio regnavit a morte Saulis 2. Reg. 2. v. 8.

34. *Meribbaal Filius Jonathæ dicitur Miphiboseth* 2. Reg. 9.

## C A P U T IX.

**P**RIMI habitatores Jerusalem post redditum de captivitate. *Misionisti, ac munia Sacerdotum, & Levitarum.* Recensentur iterum Benjamite, & Parentes, ac Posteri Saulis.

1. *Universus Israël dinumeratus est.* Gloss. Per David, vel per Salomonem, vel per quemvis alium Regem 2. Reg. 24. Translatique sunt in Babylonem. Præcedentibus omnibus capitibus recensiti sunt,

qui captivitatem Babyloniam antecesserunt, hoc vero 9. Capite recensentur ii Principes, qui soluta jam captivitate ad suas sedes in Iudeam remigrarunt. Et plurimi ex his Sacerdotibus, Levitis, & aliis, qui

qui hoc capite enumerantur, etiam Lib. 2. Esdræ Cap. 11. iisdem nominibus recensentur.

2. *Nathinai*. Hi sunt Gabaonitæ, quos Josue vita donavit, & servitio templi deputavit, ut ligna, & aquam portarent. *Donati*, quæ Hebræ vocis נְתִינִים *Nethinim*. 70. διδομένοι est significatio. Hi ergo ex captivitate Babylonica reduces cum populo Israëlitico: nempe qui evaserant manus Assyriorum, cum decem tribus a Theglath-Phul, Assar, & Salman-Assar in Assyriam, & Medium captivæ abducerentur, & se se subjecerant protectioni Regum Juda; sed post una cum ipsis Babylonem avecti fuerunt. Hi inquam etiam cum tribu Juda e Babylone in Judæam reversi sunt ad possessiones suas, & urbes, in quibus primi, seu prius habitarunt.

3. *De Filiis Juda . . . de filiis quoque Ephraim & Manasse*. Non Juda solum, & Benjamin, sed etiam ex aliis tribubus, qui frui voluere ea facultate, quam Cyrus large Judæis impertivit, ut in Regionem suam reverterentur, liberrime in Palæstinam migrare potuerunt. Plurimi igitur ex tribubus Ephraim & Manasse dilapsi sunt, qui in civitatibus Juda sedem sibi quæsierunt; Regio enim pro iis omnibus satis ampla fuit.

11. *Azarias . . . Pontifex domus DEI*. Non primarius, aut summus (nam is a reditu e Babylone erat) JESUS, vel Josue filius Josedechi

i. Esdræ 3. v. 8.) sed ex secundariis, nempe capitibus 24. familiarum Sacerdotalium, qui & Principes Sacerdotum, & Pontifices templi vocabantur.

15. *Bacbar quoque carpentarius*. Seu Præfector fabrorum templi.

16. *In atris Netophati Hebraice: בֵּיתָנָפָחָתָה* Bechaztere in suburbanis. Græce ἐν ταῖς κώμαις in villis. Netophati est urbs tribus Juda.

18. *Usque ad illud tempus, nempe a prima Janitorum templi institutione usque ad eversum templum a Nabuchodonosore*; *Observabant hi Levitæ per vices suas*. Hebraice: excubabant per turmas suas vicissim, tum in aliis atriorum templi portis, tum vel maxime in porta Regis ad Orientem, id est, quæ vicinior erat palatio regio, & per quam Rex in templum, cum palam vellet, introire solebat.

22. *Descripti in villis propriis*. v. 25. dicitur: *in viculis morabantur*. Neque enim Levitæ omnes habitabant Jerosolymis, sed in propriis morabantur villis, viculis, & urbibus. Omnes tamen per classes descripti, & distributi erant, ut suis singuli temporibus ad sua ministeria Jerosolymam convenirent, prout constituerant, & singulis suas vices distribuerant Rex David, & ante ipsum Samuel videns: seu Prophetæ: *in fide sua*; fideli, & stabili decreto, vel in fideli munere sibi credito; vel hoc ipsum Levitis commisit, certus de eorum fide.

33. *Qui in exedris morabantur*. in He-

Hebraico additur *liberi*, nempe ab omni alia cura, & ministerio, ut solis laudibus divinis decantandis, & populo docendo vacarent. *Excedra* quidem omne cubiculum, & aulam significat; sed hic videtur pro iis solis locis usurpari, quæ psalmis, & hymnis publice decantandis, populoque instruendo in anterioribus atriis deputata erant, quæ & Synagoga postea vocata sunt, & pastophoria ante vocabantur.

## C A P U T X.

**R**ex Saul ob peccata a D E O rejectus una cum filii a Philistæis in monte Gelboë occiditur; Ejus caput in templo Dagon suspenditur; reliquum corpus sepelitur a viris Jabes Galaad.

Gesta hujus capitinis explicata sunt 1. Regum. Capite ultimo.

10. Arma autem ejus consecraverunt in fano DEI sui Astaroth, ut dicatur 1. Reg. Astaroth erat Venus, quæ nunc ut D E A, nunc ut D E U S colebatur.

Caput affixerunt in templo Dagon. Nobilissimum ei spolium offerentes cui victoriam se debere credabant.

35. In Gabaon autem transit a Levitis ad Benjamitas, ut ad Saalem primum Regem Israëlis, deinde eo amoto ad Davidem descendat; Davidis enim causa hæc omnia scribuntur, quia ejus familia regia perduravit usque ad captivitatem Babylonicum; imo usque ad Machabæos; verum tum non Regia, sed Ducali auctoritate præfuit populo.

14. Nec speravit in Domino. Hebr. & 70. nec consuluit Dominum, sed Pythonissam. Hæc fuit prima peccati Saulis causa, quod diffusus D E O, quem per inobedientiam offenderat, fiderit diabolo, eumque per Pythonissam advocaverit.

## C A P U T XI.

**D**avid in Regem ungitur ab omnibus tribubus Israël: expellit Jebusæos ex arce Jerusalem. Allatam e cisterna Bethlehem per medios hostes aquam noluit bibere.

1. Congregatusque est omnis Israël. Videri potest 5 tum caput Lib. 2. Reg. ubi hæc usque ad v. 10. explicata sunt.

10. Hi Principes virorum fortium. Videatur 2. Lib. Reg. Cap. 23.

22. Ipse (Banaias) percussit duos Ariel Moab. Seu duos Leones Moab. Ut

Ut est 2. Regum 23. v. 20. Ariel enim significat Leonem DEI, id est præferocem, & magnitudinis inusitatæ. Abulensis, & Sanctius putant hos a Banaia interfectos Leones fuisse veros, & naturales. Sed S. Hieron. ex Hebræorum traditione, Josephus, Lyranus, Glossa, & alii dicunt fuisse duos potentissimos Duces instar Leonum truculentos, & robustos, qui subilio accurrerunt Moabitum cum David illos expugnaret 2. Reg. 8. Istud certum est: tertium, cuius hoc versu fit mentio, verum fuisse,

& naturalem Leonem, quem idem Banaias in media cisterna interfecit tempore nivis, id est hyemali, quo membra minus apta sunt ad arma tractanda. Unde Banaia tum animi, tum corporis robur amplius commendatur.

25. Posuit autem eum David ad auriculam suam. S. Hieron. vertit: fecit eum auricularium a secreto. Initum videlicet Consiliarium, & monitorem; qui eum de agendis commoneret, & facienda suggereret.

## C A P U T XII.

**R**ecensentur ii, qui Davidem, cum fugeret Saulem, secuti sunt: & ii, qui primi ad eum venerunt in Hebron, ut eum ungerent in Regem.

1. In Siceleg. Civitas est, quam dedit ei Achis Rex Geth, quando fugit ad eum secundo.

2. De fratribus Saul ex Benjamin, puta de cognatione Saulis ex Benjaminitis: Saul enim erat ex tribu Benjamin. Mirum hoc fuit divinæ providentiæ argumentum, quod ipsi Cognati Saulis Davidem sequi maluerint. Nimirum DEUS pro Davide pugnavit, ejusque innocentia & modestia alliciebat, quos Saulis superbia, & insolentia avertebat.

3. De Carchim. id est Hebraice, & Græce de Coritis, seu Posteris Core Levitis.

8. Sed & de Gaddi, seu de tribu Gad.

15. Mense primo, puta Nisan, qui nostro Martio, & Aprili respondet. Quando inundare consuevit Jordanis super ripas suas, quod fit tempore messis Josue 3. in quo Gaditarum audacia eluxit, quos fluminis quaquaversum inundatio non impedivit, quo minus & trajicerent, & hostes siros fugarent.

18. Spiritus induit Amasai. Spiritus S. docuit Amasai, quid Davidi responderet omnium militum suorum nomine. Amasai erat Princeps Schalischim seu Ducum trigin-

ta. *Pax, Pax*, salutandi formula  
Hebræis familiaris.

21. *Adversus latrunculos*, ut sci-  
licet persequeretur, ac interficeret  
Amalecitas, qui absente David di-  
ripuerant Siceleg. 1. Reg. 30.

28. *Sadoc puer egregia indolis*. He-  
bræus habet. *Sadoc adolescens for-*  
*missimus*; cui Saul summum Sacer-  
dotium contulit in locum Abime-  
lech, quem interemerat. Sadoc  
benigne acceptus a David, neque  
illius dignitas imminuta. Voca-  
tur puer, quia illo tempore erat Ju-  
nior. A Salomone deinceps amo-  
to Abiathar, solus Sadoc Pontifex  
mansit. Etsi enim Jojada vers.  
præcedenti vocetur *Princeps*, tamen  
Pontifex non erat, sed *Princeps*,  
seu Dux agminis militaris, quod e  
Sacerdotibus & Levitis ad Davi-  
dem deducebat.

32. *De Filii quoque Issachar viri*  
*eruditii*. En Hebraicum textum ad  
literam: *Et Filii Issachar noverant in-*  
*elligentiam in temporibus, ut scirent,*

*quid faciendum esset Israeli, & omnes*  
*fratres eorum pendebant ab ore eorum.*  
Scientia eorum in hoc potissimum  
confitebat, quod scirent, quid om-  
ni tempore agendum esset. Un-  
de suadebant populo, ut eo tem-  
pore, quo cæsus cum totis castris  
erat Saul a Philistæis, Rex creare-  
tur David, utpote terror Philisti-  
norum, qui eorum superbiam ex  
recenti victoria reprimeret; unus  
enim ille erat, qui afflictis rebus  
Israëlis succurrere posset. Doce-  
bant etiam tempus jam advenisse,  
quo promissio regni Davidia DEO  
facta implenda foret. 2do. Erant  
Issachariani agricolæ, ideoque ob-  
servabant aëris, ventorumque mu-  
tationes, ut scirent, quando foret  
tempus seminandi, metendi, plan-  
tandi, navigandi. 3to Per scien-  
tiā temporum intelligitur scien-  
tia computus Ecclesiastici, quan-  
do celebrandum sit Pascha, Pen-  
tecoste, ceteraque festa, quid quo-  
libet eorum faciendum, & offeren-  
dum sit.

## C A P U T XIII.

A rca de Cariathiarim in Jerusalem transfertur. Oza, eo quod  
Arcam tetigerit, morte percutitur. Arca vero in Domo  
Obed-Edom collocatur.

3. Non enim requisivimus Arcam in  
diebus Saul, id est, non magna no-  
bis cura fuit, imo nulla collocandi  
arcam fœderis loco decenti: præ-  
pedientibus id continuis bellis ab  
initio regni Saulis usque ad præ-  
sens tempus.

3. A Sihor Ægypti fluvio. Sihor,  
vel Sichor Hebraice, Græce, με-  
λας, quod utrumque niger signifi-  
cat. Unde putant aliqui Nilum  
hic designari, quod ejus aqua quia  
turbida, nigra soleat vocari. Ma-  
lo tamen cum Tirino de Rhinocolu-

ra altero fluvio Aegypti, & termino Palæstinæ hunc locum intelligere juxta dicta Josue 13.

7. Minabant plaustrum, id est, deducebant, & observabant plaustrum, quo arca vehebatur.

## C A P U T   X I V .

**L**egati Hiram ad David, Uxores, & Filii David, ejusdemque victoriae de Philistæis relatæ.

2. Cognovitque David, quod confirmasset cum Dominus &c. Ex eo, quod videret omnes Israëlitas ultiro, & communi consensu se in Regem acceptasse cum plena subjectione.

Hiram quoque, vicinosque Reges videbat se ut Regem Israël colere, amare, & timere. Reliqua hujus Capitis explanatio repetenda est ex Lib. 2. Reg. Cap. 5.

## C A P U T   X V .

**D**avid Arcam deducit in Sion, ac coram ea saltando exultat. Idcirco despicitur ab uxore Sua Michol; sed haec a DEO sterilitate punitur.

1. Tendit ei tabernaculum, vel tentorium recens. Vetus tabernaculum relictum fuit in Gabaon, uti & altare holocaustorum, quæ Moyses in deserto ædificarat. Et ad hujus veteris formam David novum extruxerat in Jerusalem.

12. Afferte arcam, humeris vestris, & non plaustro: illicitum enim portari arcam ab aliis, quam a Levitis v. 2. dicitur, & Num. 4. v. 15. expresse decernitur. Sanctificamini, abstinetе ab uxoribus, item abluite corpora vestra, & vestimenta vestra; haec erant tunc temporis vulgatae expiations. cum fratribus, cum contribulibus vestris,

13. Ne, ut a principio. Cum nempe ex Cariathiarim arcam nuper deduximus; quia vos Levitæ non eratis præsentes Bajulando arcam humeris vestris, ut oportebat, percussit nos Dominus occidendo Ozam, sic & nunc fiat. Hinc ex versu sequenti patet causam percussi Ozæ fuisse neglectum legis Divinæ, quæ iubebat arcam, cum transferenda esset, non aliis, quam Levitarum humeris transferri.

20. In nobis arcana cantabante. Puta Psalmos, qui Hebræis inscribuntur *bal halamot*, id est arcana & occulta, qualis est Psalmus 9. & 45. qui duo Psalmi ita huic loco sunt oppositi, ut de arcæ translatione

tione 2 Davide videantur esse compo-  
siti. Porro *Nabulum* erat instru-  
mentum musicum, quod ventricu-  
lo, quasi utriculo (*לְבָב*) nebel enim  
est ute<sup>r</sup>) excipiebat aërem, & eun-  
dem per fistulam cum harmonia  
emittebat sine inflatu cuiusquam.  
Unde eo utens vocabatur utricula-  
rius, & ascaules, ~~אַשְׁנָה~~ enim est  
uter; est autem ute<sup>r</sup> in proprio sen-  
su pellis, in qua vinum, vel oleum  
deferri solet.

21. *Pro octava canebant opinio-*  
nem. Hebræi & Chaldaeus interpres in-  
strumentum putant octo Chordar-  
um. Cui Sententiaz farent 70.  
qui non semel in Psalmis, ubi nu-  
merum aliquem absolute legimus,  
& de cantu, aut sono sermo est, in-  
strumentum ejus numeri chordar-  
um intellexerunt. Ut Psal. 32.  
2. cum in Hebræo sit: *Confitemini*  
*Domino in cythara, in psalterio dicem*  
*psallite illi; ipsi adjecerunt Chordar-*  
*um Opinio-*ni. Lætum carmen, qua-  
le in victoria cani solet.

23. *Janitores Arce.* Scilicet, ubi  
collocata fuisset, fortasse etiam in  
via curabant, ne quisquam prope  
accederet.

26. *Cumque adjuvisset DEUS Le-*  
*vitas.* Sententia est, Levitas in fe-  
renda arca a principio sensisse mi-  
rabiliter alacritate perfusos, in Sa-  
cro illo onere ad fastigium usque  
arcis Sion deferendo, DEO id  
agente, ut clare cognoscerent gra-  
tam sibi esse hanc arcæ gestatio-  
nem.

27. *David autem etiam induitus erat*  
*Ephod linea.* Ephod nequaquam  
adeo proprium erat Sacerdotibus,  
ut aliis illud gestare esset nefas.  
Samuel, qui Levita erat duntaxat,  
cum adhuc puer erat, deferebat  
Ephod. Simplex autem Ephod  
erat Zona, quæ super tunicam ne-  
stebatur. Hebraice est: *pallio bys-*  
*fino;* veste ex lino candidissimo, &  
subtilissimo. Reliqua hujus Ca-  
pitis explicata sunt 2. Reg. 6.

## C A P U T XVI.

A Rca reposita in novo tabernaculo, quod exstruxerat David;  
A Psalmus nonagesimus quintus, & centesimus quartus sunt  
decantati.

2. Benedixit David populo, dupli-  
ci Benedictione, Spirituali, dum  
ille bene precatus DEUM rogat,  
ut populi pietatem Cœlestium, ter-  
restriumque rerum abundantio  
compensem. Altera corporali, dum  
descendentem populum hospitali-  
ferculo recreat.

3. Divisi universis tortam panis, &  
partem affæ carnis bubule, & simillam  
oleo frixa. Torta erat genus pla-  
centæ, cui ad conciliandum sapo-  
rem admixtum erat aliquid dulcia-  
rium. Simila oleo frixa juxta He-  
braicum basi sub solim in genere  
significat id, quod hominem exhi-  
larat

larat in convivio. Plerique Re-  
centiores vertendum putant *lage-  
num vini*, credo, ne vinum mensæ  
Davidis defuisse videatur.

38. *In excelso quod erat in Gabaon*.  
Recole dicta 2. Reg. 8. 17.  
40. *Ut benedicret domui sua*. V.  
dicta 2. Reg. 6. 20.

## C A P U T   X V I I .

**C**Um David consilium iniisset templum Domino aedificandi; Na-  
than DEI verbis significat illi, honorem hunc filio ipsius esse  
servatum. Davidis gratiarum actiones, & preces in hac occa-  
sione.

Quæ scripta sunt L. 2. Reg. 7. hic repetuntur. Explicatio  
igitur ex dicto libro petenda est.

## C A P U T   X V I I I .

**V**ictoriae Davidis de Philistæis, Moabitæ, Syris, Idumeis, Am-  
monitis, Amalecitis reportatae commemorantur.

Explicatio hujus Capitis habetur 2. Reg. 8.

3. Regionis Hemath. Est Antio-  
chia Syria, ideo autem hic expri-  
mitur, ut differentia notetur inter  
hanc Syriae partem, cuius metro-  
polis est Antiochia, ab alia, cuius  
caput est Damascus; cuius propte-  
rea Rex hic v. 5. vocatur *Syrus Da-  
mascenus*, cui prævaluit David. Al-  
tero usus est amico, & confœdera-  
to; licet partem regni ipsius, quam  
tyrannice sibi usurparat Adarezer,  
eo devicto David jure belli usur-  
parit.

12. *In valle Salinarum*. Hæc val-  
lis inter Syriam, & Palæstinam est,  
non longe a mari mortuo, quod &  
saltissimum appellatur ob salsugi-  
nem, & salis ex ea aqua concro-  
scens abundantiam. Spectat ad  
terminos Idumæorum, quibus lo-  
cus ille fatalis fuisse videtur, ob  
crebram isthic cladem ab Israëli-  
tis acceptam. Reliqua hujus Ca-  
pitis explicata sunt 2. Reg. Cap.  
8.

## C A P U T   X I X .

**D**avid Legatos mittit ad Hamon Ammonitarum Regem, qui  
illum ob Patris mortem consolentur. His vero injuriosius  
acceptis, bellum adversus Ammonitas infertur.

Hujus Capitis idem fere est argumentum, quod Lib. 2. Reg. Capitis 10.

4. *Decal. viii.* Id in Hebræo, Chaldeo, & Græco non habetur, sed solum rasi, nimirum dimidiati barbam, & dimidium vestium usque ad superiorem femorum partem praecedit 2. Reg. 10. Hebraicus textus ad literam: *sorondit eos, & præsecuit uestes eorum ad medietatem usque ad superiora femorum.* Detegens nimirum illud, quod pudor celari jubet. Quod probrum universus Israël ad se pertinere est arbitratus.

7. *Triginta duo millia curruum,* Metonymice, continens pro contento, sunt totidem millia equitum e curribus pugnantium pro more illius temporis. Nam equitesocabantur non *ii soli*, qui equis insiderent; sed etiam, qui equis currunt, cui armati inerant, protrahentibus veherentur. Quis alioquin esset equitatus in curribus Pharaonis? Cant. 1. Reliqua hujus Capitis exposita habentur 2. Reg. 10.

## C A P U T   X X .

**B**ella Davidis contra Ammonitas, & Philistæos gesta, quæ Lib. 2. Reg. Cap. 10. & 11. memorata, referuntur cum novis circumstantiis.

2. *Tulit David coronam Melchom.* Quod nomen, quia idoli est, putant aliqui non fuisse diadema Regis, sed idoli Ammonitarum. Verum cum Devternom. 7. diserte caveatur: *Sculptilia eorum igne combures, non concupisces argentum, & aurum, de quibus facta sunt.* Igitur Melchom, seu ut in Hebræo est: *Melcham* idem est, quod *Regis* eorum. Neque est, quod quemquam terreat pondus talenti, quod erat 125. librarum Romanarum, quale nemo facile patietur capiti suo imponi. Nam non debebat immediate capiti infigi, sed supra caput in throno, & conopæ Regio: quod

inde sublatum jussit David suo deinceps throno alligari, ut vertici sedentis perpetuo immineret.

3. *Tribulas, & trahas, & ferrata carpenta fecit transire super Ammonitas.* Tribula & traha instrumentum illud est, quo segetes teruntur in area. Quin & plaustris, & rotis ferratis teri fruges colligitur ex illo Isaiae 41. v. 15. posui te quasi plaustrum triturus novum, habens rotas ferrantia. Eo igitur modo egit David in Ammonitas humi stratos, rotas, & plaustra ferrantia, & tribulas ferreis cuspidibus horrentes, quo modo agricola tribulas immittit in fruges, quas in area tri-

riturat. Sic fecit David cunctis urbibus filiorum Ammon.

Potes: an peccarit David ita sxiendo in Ammonitas? negat Abulensis, eo, quod gravem injuriam contra ius gentium intulissent Legatis Davidis. Sed hoc crimen ad solum Regem, & Consiliarios ejus spectabat, non item ad reliquas Urbes filiorum Ammon, quas tamen eodem supplicii genere omnes involvit David. Unde probabilius est, peccasse hic Davidem,

& quidem gravissime. Quod minus mirabimur, si consideremus, hæc tam crudelia patrasse Davidem eo tempore, quo adhuc hærebat in luto adulterii Betsabee, & homicidii Uriæ, neque poenituerat de tantis sceleribus. Solent vero tales ex uno in aliud scelus ruere, & magis ac magis sordescere in dies, ut docet Concilium Tridentinum, & Doctores passim. Quod reliquum est hujus capitinis vide explatum 2. Reg. 21. 18. & deinceps.

## C A P U T   X X I .

**D**avid populum numerando **DEUM** offendit: pro expiando delicto e tribus propositis paenit, pestem eligit, qua multa milia intereunt, donec Oratione, & Sacrificio placaretur **DEUS**.

Totum hoc caput continetur Cap. 24. Lib. 2. Reg. ubi explicatum est.

## C A P U T   X X I I .

**D**avid omnia præparat ad fabricam templi, [e]iusque ideam a **DEO** acceptam tradit Salomonis, ac eum bortatur, ut **DEUM** semper religiose colat, monetque Principes, ut eum in fabrica adjuvent.

1. *Hæc est domus DEI.* Hoc loco condi debet templum Domini, in area Areunæ Jebusæ, in monte Mōria, ubi Isaac in figura se obtulit, & **DEUS** cohibuit ultricem manum. Ita David decrevit ex revelatione, & iussu **DEI**.

2. *Profelyti dicuntur*, qui cum non sunt ex genere Israël, sacra

tamen Hebræorum suscepunt, & circumcisione consignati sunt.

5. *Puer parvulus est.* Erat tum Salomon 20. annorum, dicitur tamen parvulus ob ætatem inexperitem respectu tantæ, tamque magnificæ fabricæ.

8. *Mulum sanguinem effudisti.* Non sanguis hic effusus, ob quem Da-

vidi

vidi negatum est Domino tem-  
plum extruere, fuit sanguis Uriæ:  
nam ante Uræ cedem jam David  
inierat consilium Domus Domino  
ædificanda. Sanguis etiam in  
bellis justissimis effusus quasdam  
velut fôrdes affert, quæ simul esse  
nequenit cum ea puritate, quam  
res sanctæ efflagitant. Unde ad-  
huc in Ecclesia Catholica irregu-  
lares habentur, & ab Ecclesiasticis  
ministeriis alieni, qui ad hominis  
necem etiam justissimam aliquid  
contulerunt.

10. *Ipse erit mibi in filium.* Ista  
in Christum magis, quam in Sa-  
lomonem conveniunt, quem DEUS  
(ut Augustinus L. 17. de Civit.  
C. 8. notat) permisit in nequissima  
flagitia protuere, quo intelligere-  
tur de JESU Christo verba hæc  
explicanda esse; quamobrem ea  
verba Paulus ad illum applicat  
Hebr. 1. 5. *Cui enim dixit aliquan-  
do Angelorum -- ego ero illi in Pa-  
trem, & ipse erit mibi in filium?*

14. *In paupertate mea.* Omnia  
nimirum hæc præ DEI dignitate,  
& Majestate parva erant, & pauca.  
Item in paupertate idem est, quod  
in labore, & afflictione. Demum,  
quia David in se pauper erat, nec  
habebat, nisi quod a DEO acce-  
perat. Unde modestiz causa ita  
locutus fuit. *Auri talenta centum  
millia.* Hoc est duodecimi cum  
dimidio milliones librarum auri,  
quæ faciunt mille, & ducentos mil-  
liones aureorum Francicorum: tan-

eundem reliquit ei in argento, scilicet *mille millia talenta argenti*, quæ faciunt totidem, videlicet mille, & ducentos milliones aureorum; olim enim una libra auri valebat decem libras argenti. Universum ergo reliquit ei bis mille, & quadragesimæ milliones aureorum. Incredibilis pene videtur hæc auri, & argenti summa; sed DEO nihil est impossibile, nihil difficile; quare Ei facile fuit omnem hanc copiam Davidi suggestere ad fabri-  
cam tam magnifici templi. Porro Vilalpandus noster sub finem To-  
mi 2di in Ezechielem per plura capita censet Davidem tantas o-  
pes collegisse partim ex vestigalibus, partim ex Ophir, partim ex  
hostium polis, & tributo, partim  
ex anno Israëlis censu, quo quis-  
que pendebat quotannis templo  
dimidium siculum. Israëlitæ etiam  
extra Judæam degentes per totum  
orbem sparso idem quotannis mit-  
tebant Jerosolymam, quorum cum  
ingens esset numerus, ingentem  
confabant auri summam. Ad uni-  
versa impendia. Id est: ad omnes  
fabricæ usus, & necessitates. In  
Hebr. est: *& his addes, nempe au-  
rum, & argentum &c. ad eundem  
finem contribues.* Atque ita conciliatur textus 3. Reg. 5. 2. ubi  
dicitur, quod ad Hiram misit Sa-  
lomon dicens: *Præcipe servis tuis,  
ut præcidant mibi cedros de Libano, &  
mercedem dabo tibi.*

## C A P U T   XXIII.

**D**avid sub mortem Salomonem Regem designat, ac Levitas in suas classes distribuit, eisque sua officia partitur: Levitis quoque filios, id est Posteros Moysi annumerat.

1. *Igitur David Sexet anno regatis suis 70. regni 40. anno uno, & dimidio inuenire ante ejus mortem.*

3. *Triginta octo millia Levitarum.* Ex eis 24. millia David deputavit ministerio templi, sex alia millia fecit Praepositos, & Indices, & quasi Senatores, ac Patres conscriptos. Quatuor millia Janitores, qui portas atriorum per vices custodiebant. Deinde alia quatuor millia constituit Cantores, & Musicos, qui omnes 38. millia consciunt. Insuper David constituit 24. ordines Sacerdotum, qui sibi per vices succederent ad ministrandum in templo. Quisque enim ordo per Septimanam ministrabat. Unde *Lucæ 1. 9.* dicitur de Zacharia: *sors exiit, ut incensum ponere:* erat enim Zacharias de vice *Abia,* quæ ordine est octava. Cuique vero ordinis Sacerdotum attribuit ordinem unum Levitarum, qui eis per omnia subservient. Hinc sequitur quemlibet Sacerdotem & que, ac Levitam bis tantum in anno ministrasse in templo: nam erant eorum 24. classes, quarum qualibet per hebdomadam serviebat. Hac autem David non tam fecit ut Rex (hic enim ius in Sacerdotes, & Sacra non

habet) quam ut Propheta; neque fecit per se, sed per Pontifices Sadoc, & Ahimelech.

13. *Ut ministraret in Sancto Sanctorum.* Hoc est, ut esset summus Sacerdos, locus autem is erat intimum penetrale templi, in quo arca foederis servabatur; in quem solus summus Pontifex, idque semel tantum in anno, die propitiationis ingrediebatur; cæteri vero Sacerdotes adolebant thymiam in altari thymiamatis in sancto, quod erat ante Sanctum Sanctorum. *Ipse, & Filius ejus.* Nam Pontificatus Hebræorum per successiōnem ad posteros transmitebatur.

14. *Moysi quoque boniis (amicis) DEI Filii annumerati sunt in tribu Levi.* Mira fuit Moysis resignatio, & humilitas, qua se submisit ordinationi DEI statuentis, ut principatum populi transferret in Josue; filios vero suos non Sacerdotibus, sed Leviris annumeraret. Nam Sacerdotium a DEO additum erat posteris Aaronis, qui erat frater senior Moysis.

22. *Acceperunt eas Filii Cis fratres eorum,* propinqui nimirum juxta legem Domini. Vide Num. 36. 7.

24. *Filiii Levi a 20. annis & supra.* David bis numeravit Levitas, scil. primo v. 3. a triginta annis, & supra,

pra, 2do hic a viginti annis, & supra. Ratio fuit: quia primitus a DEO per Moysen statutum erat, ut Levitæ portarent suppellestillem sacram per desertum, in quo continue peregrinabantur, ad quod ætas valida & robusta requireretur; David vero cessante hoc onere ædificato jam templo, & quiescente Israële in terra sancta, statuit, ut a 20mo anno servire incipient.

28. In vestibulis & exedris ad portas & ingressus templi per atria, & cubicula, in quibus sacra suppellex asservatur. In loco purificatorum, ubi lavantur Sacerdotes, & victimæ. Et in Sanctuario loco magis sacro, quam sint portæ, aut atria, cum Cantores tempore Sacrificii canebant in atrio Sacerdotum, ubi erat altare holocausti.

29. Super panes propositionis, quos singulis hebdomadis die Sabbati Sacerdotes mensæ aureæ in sancto coram Domino appositorum imponebant, figuræ erant quadratae. Duodecim erant pro singulis tribubus Israël. Cumque singulis Sabbathis recentes, & calidi imponerentur, subducebantur veteres, qui solidi Sacerdotibus in usu esse poterant. Et super omne pondus & mensuram. Tum quia Sacerdotium, & Levitarum erat, omnia DEO offrenda mensurare: an scilicet justum pondus a lege præscriptum haberet; tum quia eorum erat, justas in templo servare mensuras, & pondera, ut, si per fraudem in populo illa vitiarentur, ad mensuras & pondera templi restituerentur, & corrigerentur.

## C A P U T      XXIV.

**D**istribuuntur Sacerdotes in 24. Classes, ac cuique sua Levitærum Classis ad subserviendum in sacrificio assignatur.

2. Mortui sunt Nadab & Abiu. Filii Aaronis igne Cœlesti absumpti, quod uterentur igne profano. Historiam habes Numer.

3. 4.

3. Divisi David, per 24. Clases distribuendo Sacerdotes omnes, & singulis Classibus suas vires assignando, idque per sortes, ut hic dicitur v. 5. ne quid favori datum videretur, nec quisquam

quereret, se aliis esse postpositum.

5. Erant enim pari jure, pari decreto, omnes Principes Sanctariss, Principes DEL, id est maximi, quia in iis, quæ ad DEUM pertinent. Unde & Principes Sacerdotum vocabantur capita harum 24. Clasium. His omnibus eminebat, & præterat summus Pontifex, scilicet Sardoc.

6. Abi.

6. *Abimelech filio Abiathar.* Apparet Abiatharum summum tunc cum Sadoco Pontificem magnam partem functionum suarum subinde transcriptisse filio suo Ahimelecho, etiam curam hujus distributionis Sacerdotum in suas Classes, & vices: forte, quod agrotarez tum temporis, vel aliis negotiis magis urgentibus distineretur.

31. *Contra fratres suos, videlicet ex opposito fratrum, seu cognatorum suorum.* 70. legunt sicut fratres eorum. q. d. Sicut Sacerdotes posteri Aaronis divisi in 24. Claves sortem jecerant, ita etiam Levitæ vices ministrandi sorte accepérunt.

## CAPUT XXV.

**N**umerantur 24. Classes Levitarum ad canendum, psallendum, & cytharizandum deputatorum.

1. *Magistratus exercitus.* Principes tam politici, quam Ecclesiastici ex Levitis segregaverunt in ministerium canendi in templo: hoc enim significat hic prophetare in psalteriis &c. Porro psalterium videtur lyra fuisse, 7, 8, vel 10 chordarum, quæ plectro pulsabatur. Ita Lucas Dudensis in Chronicô. Secundum numerum suum. Tanto numero, quanto ad id munus destinati fuere, & eo ordine, quo sunt sorte designati Cantores.

2. *Sub manu Asaph,* nimirum sub ejus direktione. Prophetantis laudes divinas decantari curantis juxta Regem ad Regis imperium. Alii explicant hos non in Gabaon in tabernaculo Moyisis, sed in arce Sion functos esse Cantorum officio, ubi Rex suam sedem habebat: vel in separato loco templi, ubi Rex adorare, & divinis laudibus vacare solebat.

5. *Heman* videntis Regis. Sicut

Cantores dicuntur Prophetae, ita etiam appellantur videntes, quæ vox alias saepe in Scriptura Prophetas proprie significat; eos scilicet, qui obscura, aut futura prævident. In sermonibus DEI Psalmis nimirum, & prophetiis, quas canebant. Ut extaret cornu. Id est ad laudandam divinam potentiam, quæ cornu metaphora designatur in Scriptura, & divinæ potentiaz, & bonitatis opera.

7. *Qui erudiebant canticum.* Qui docebant reliquos scire canere, & psallere tam voce, quam instrumentis musicis.

8. *Doctos pariter & indoctos* q. d. David distribuit Cantores in 24. Classes, & cuique Classi dedit 12. magistros musices peritos, qui ceteros in cantu dirigerent, & persicerent. Quocirca hi magistri universim fuere 288. multiplica enim 24. per 12. resultabit dictus numerus.

## C A P U T   XXVI.

**R**Ecensentur Ordines & Classes Levitarum, qui erant Janitores templi. Ad hæc Custodes thesaurorum tum templi, tum Regis.

1. *Divisiones autem Janitorum.* Hi ex familia Core, & Merari fuere, atque in quatuor Classes divisi pro quatuor templi foribus, quæ quatuor mundi plagas respiciebant.

5. *Quia benedixit illi Dominus.* Sermo est de Obed Edom, quem Dominus benedictionibus cumulavit propter arcem domi sui receptam, & sedulocustoditam. Hæc autem benedictio maxime fecunditatem respergit, & ingentem hilorum numerum, quibus DEUS illum donavit.

6. *Viri fortissimi.* Eorum enim munia velut militaria erant, arma deferebant, omniaque præstabant officia custodiarum Domus Domini. Summam igitur oportuit illorum virtutem esse, & vires corporis ingentes, ut aperirent, & clauderent templi valvas, quæ immanes, ac prægraves, easque Josephus tales fuisse ait, ut 20. viri eas vix claudere possent. Portæ vero erant 4. prima ad Orientem, 2da. ad Septentrionem, 3ra. ad Austrum, 4ta ad Occidentem. Prima intelligi potest baptismi, & ingredientium; Secunda penitentiaz, & redeuntium; Tertia Reli-

gionis, & præficientium; Quarta mortis, & pervenientium.

15. *In qua parte (palatii) erat domus Seniorum,* nempe Concilium magnum Sanhedrim dictum, 72. Judicium. De quo Numer. 11.

16. *Via ascensionis* vocatur acclivis illa via, qua ex subjecta Urbis parte ascendebatur primo ad tabernaculum in arce Sion, deinde etiam ad templum in monte Moreia. *Custodia contra custodiā.* Custodiz sibi invicem, & e regione respondebant: forte propter adventantium frequentiam, & maius periculum. Dicuntur enim ad hanc v. 18. portam nimirum Occidentalem quatuor Levitæ Principes Custodiarum excubasse in via illa acclivi publica: præter binos alios, qui per cellulas, id est in consuetis ædibus excubitorum templi excubabant cum subjectis sibi cohortibus.

18. *In cellulis Janitorum.* Hebr. ad cellulam instrumentorum, in quibus instrumenta pro sacrificiis servabantur.

29. *Ad opera forinsecus,* pura ad ligna & lapides ædendos, & poliendos, ad vineas, prata, & agros templi colendos.

CA.

## C A P U T   X X V I I .

**D**uodecim Principes militiae Regiae ex variis tribubus, quorum singuli suo mense praeerant 24. millibus armatorum, item alii Principes tribuum singularium recensentur.

1. *Principes familiarum Tribuni, & Centuriones &c.* Haec tenus recensiti sunt Ordines Sacerdotum, Levitarum, & ministrorum templi; hic vero agitur de divisione politica unice ad Regis Majestatem spectante. Levitarum divisio facta est ultimo vita Davidis anno; & 24. hominum millia pro Regis custodia ipso regni initio electa fure. Tribuni mille militibus praefecti, Chilarchæ. *Centuriones*, qui centum militibus imperant. *Praefecti*, qui Principum familiarum vires gerebant, & iis impeditis eorum munere fungebantur. Distributi erant bellatores in duodecim classes, & in unaquaque 24. millia, qui toto mense lunari erant in armis eo in loco, quo Rex pro temporum necessitate prescribebat. Reliquis undecim mensibus quiescebant hi ab armis, & alii toridem in locum succedebant post singulos quosque menses. Hac ratione nec gravis cuiquam erat militia, nec admodum sumptuosa. Nam quisque suo mense, quo in exercitu comparere debebat, se ipsum alebat. Neque prepediebat rei domesticæ, aut priorum negotiorum curationi, cum facile unicuique esset uno per annum

mense a domo abesse. Interim Regi prospectum semper erat recenti, & tamen veterano milite, & quidem adeo numeroso, ut paucorum dierum intervallo cogi potuerit exercitus trecentorum milium militum cum ducibus suis spectatissimæ virtutis. Principes, qui praeerant his turmis menstruis, de nomine hic recensentur usque ad v. 16. habebant singuli vicarium unum generalem, qui absente, vel impedito Principe praeerat toti illi exercitui. Et hoc est, quod dicitur v. 4. post se alterum habuisse; & v. 7. post cum fuisset.

16. Porro tribubus praeerant alii, qui mox recensentur. Hi erant jure primogeniturae Principes singularium tribuum. At qui militiam praeerant, designabantur a Rege pro robore, prudentia, experientia, & talento cuiusque.

23. Noluit autem David numerare eos. Si recensere voluisset universum Israël, visus fuisset velle tentare DEUM, atque experiri, num re ipsa multiplicasset Israël velut stellas coeli juxta ea, quæ pollicetus fuerat. Noluit igitur habens universalem omnium acatum recessionem, merito existimans hoc idem fuisset futurum, ac Istum per-

perfodere, propter innumerabilem populi multitudinem.

33. Achitophel etiam consiliarius Regis. Hic nefarius ille Achitophel est, qui per summum scelus a Davide defecit, ut Absolonem sequeatur: Chusai, qui hic Regis amicus vocatur, Davidi ea præstítit benevolentia argumenta, quibus ma-

jora vir viro præbere nequeat, coercens perniciosum consilium, quod Achitophel Absoloni contra Regem dederat 2. Reg. 16.

34. Post Achitophel, laqueo extinctum Jojada & Abiathar. Hic Pontifex, iste e primis Sacerdotibus erant Davidi ab intimis Consiliis.

## C A P U T   XXVIII.

**D**avid convocatos Regni Principes æque, ac Salomonem hortatur, ut DEI leges exadæ custodian; præscribit formam templi, omniumque ejus partium, quam a DEO acceperat.

1. Cum Evnuchis. Cubiculariis, viris nobilibus, spectata fide, & probitate. Evnuchus hic non significat Castratum, lege enim prohibebantur Judæi Levit. 19. non indecet carnies vestras. Gentiles vero non fuerunt diæti hic Evnuchi; nam ad Consilium Regis intimum admittebantur, a quo alienigenæ omnes arcebantur.

2. Scabellum pedum DEI nostri. Arca fœderis vocabatur scabellum pedum DEI, qui inter alas Cherubinorum supra propitiatorium sedere credebatur, pedibus suis arcæ quasi scabello inniti, atque ita responsa dare petentibus dicebatur. Sic illud Psal. 98. *adorate scabellum pedum ejus*, ad literam de arca intelligitur. Sublimiore sensu S. August. de adoratione corporis Christi interpretatur.

4. Ut esset Rex super Israël in Sempiternum. Regno perpetuis success-

sionibus ad posteros meos transmissio. Porro phrasis Scripturæ in Sempiternum, longum tempus significat, ut docet Abulens Quæst. 15. Vel certe de Christo accipendum est. De Juda elegit Principem: Ita in singulari legunt Hebræa, Chaldæa, & Græca. Latina Vulgata in plurali: Principes; q. d. DEUS voluit a tribu Juda Principes populi sui, id est Reges deligi, non modo nunc, sed & deinceps. Id vero se velle significavit Gen. 49. 10. Non auferetur scepterum de Juda, & Dux de semore ejus.

5. Elegit Salomonem: significavit enim Davidi Dominus per Nathan Prophetam, Salomonem regnatum, & ædificaturum templum supra Cap. 22. 9. Hic Princeps erat figura JESU Christi.

9. Tu autem Salomon fili mi scito DEUM: Cognosce DEUM, & sepe cogita, & æstima immensam DEI

DEI Majestatem, potentiam, justitiam, bonitatem, ut hæc cognitio te impellat ad eum jugiter colendum, amandum, & timendum.

11. *Domus propitiationis*: id est Sancti Sanctorum; in ea enim erat propitiatorium supra arcam, ex quo DEUS propitius Pontifici oracula, & populo beneficia præstebat.

12. *Thesauri Sanctorum*: sunt æraria, in quibus ea, quæ DEO consecrabantur, & sic sancta siebant, asservabantur.

14. *Aurum in pondere*: descripsit quantum auri pondus deberet impendi in vasa aurea, ipsumque aurum, & argentum tradidit.

15. *In Candelabra aurea*. In tabernaculo Mosis unum erat candelabrum aureum, in templo vero de-

cem. Nam cum DEUS Exod. 25. unum iussit fieri candelabrum, non vetuit plura, populo etiam interim divitiis aucto.

18. *Similitudo quadrigæ Cherubim*. Cum enim antea in tabernaculi propitiatorio per Mosen facto non essent nisi duo Cherubini, qui quasi bigam faciebant cui DEUS insideret: jam jubetur quadriga fieri duobus aliis Cherubinis adjectis.

19. *Omnia venerunt scripta manu Domini ad me*: Seu descripta, & delineata manu Angeli, vicem DEI supplentis; nimirum sicut olim Moysi tradita ab Angelo fuit idea tabernaculi, & omnis ornatus ejus, ita nunc Davidi formam templi, & omnis suppelætilis illius, cælitus tradita fuit. Vide 3. Reg. 6.

## C A P U T   XXIX.

**R**ecensentur impensa a Davide preparatae ad fabricam templi: item ea, quæ adjecerunt Principes, & populus. Salomon secundo publice ungitur in Regem, ac David plenus dierum, & meritorum moritur.

2. *Et quasi stibinos*. Lepides candidos intelligit, quos Alabastrites appellamus. Similes stibio, quo mulieres faciei fucum faciunt, ut appareant formosiores, quam sint. Ita Jezabel Reg. 4. depinxit oculos suos stibio. Unde in Hebr. est: *lapides fuci*, quod scilicet intuentibus fucum facerent. *Marmor parium*. Hebraice tantum est marmor, sed 70, & Latinus ut exponerent, qua-

E 2  
le fuerit, adjecerunt Epitheton *Parium* ab Insula Paro, una ex Cycladibus; album erat, & cæteris marmoribus præcellebat.

5. *Implear manum suam*. Auro, & donis, quæ liberaliter vult DEO offerre pro fabrica. Significare videtur David oblationem hanc fore quasi sacrificium DEO gratissimum, & ipsos offerentes quasi Sacerdotes. Impiere enim manum

num phrasē Scripturæ Sacerdotio initiare est. Vide Jud. 17.

7. *Solidos 10. millia.* Solidus erat 6ta uncia pars, indeque sextula dicebatur, & 72. solidi faciebant libram, quæ duodecim uncias continebat.

14. *Tua sunt omnia.* Quidquid DEO offerimus, ab eo accipimus; & tamen DEUS sic accipit, quasi nostrum sit.

17. *In simplicitate cordis mei.* Hebraice dicitur rectitudo, Græce iustitia; designat candorem animi, & rectam, puramque intentionem, quæ a Christo vocatur oculus simplex Matth. 6.

20. *Adoraverunt DEUM,* & deinde Regem. Pari nimirum gestu (ut ait Grotius) animo diverso. DEUM supremo cultu, qui latræ dicuntur, adorarunt. Coram Rege vero se abjecerunt, ut honorem duntaxat civilem illi deferrent.

21. *Tauros mille.* Refer hæc non ad sola holocausta, quæ proxime præcedunt, sed ad omnes victimas Domino die illa immolatas, v. g. hostias pacificas, quæ non totæ igne absumebantur, ut siebat in holocaustis; sed pro majore parte cedebant offerentibus in epulum: unde & hic subditur, victimas illas abundantissime fuisse in omnem Israël; id est omni populo, qui tum convenerat, abunde suffecisse in tantum epulum.

22. *Unixerunt secundo Salomonem.* Prima unctio, quæ ad preces Beth-

sabee facta fuerat in Gihon 3. Reg. 1. tumultuario opere, & coram paucis facta fuit. Itaque conveniebat eandem publice, & solemniter institui, totoque Israël presente, & consentiente iterari. Eadem opera etiam Sadocum solenniter inunxerunt in Summum Pontificem: forte ne quis locus esset cavillationi, non esse legitimum Pontificem, qui a Saule tyranno potius, quam Rege intrusus esset in munus sibi non debitum, ut pote vivente legitimo Pontificatus herede Abiatharo. Et verisimile est Abiatharum, ejusque sequaces sparsisse ejusmodi rumores sub id maxime tempus publici schismatis, quo alter Adoniz, alter Salomon palam favebat. Unde Salomon, qui suggestente Davide jam tum decreverat exaucitorare Abiatharum, solumque Sadocum, ejusque posteros Pontificati adliberre, ne quod deinceps cuiquam dubium de illius unctione occurreret, voluit eandem coram universo Israële seu iterari, seu comprobari. Ex hoc loco planum fit, Sacerdotum, & Regum consecrationem in Veteri lege nullum impressisse characterem, nequaquam tamen certum est, Sadocum unctionum jam fuisse; nam Sacerdotes ex Semine Aaron descendentes ungere non fuit necessarium.

30. *In cunctis regnis terrarum:* Hyperbolice dictum, cuncta regna pro regnis Palæstinæ vicinis.

# LIBER II. PARALIPOMENON. CAPUT I.

**O**blatis mille hostiis a Salomone in Gabaon DEUS illi nocte apparet, optatam donat sapientiam cum immensis divitiis, & gloria. Numerus curruum ejus, & equitum.

Primi tres versus clari sunt ex dictis 3. Reg. 3. v. 1.

5. Altare - requisivit Salomon, illud adiit in Gabaon, ubi erat tabernaculum, ut super altare æneum offerret mille hostias.

10. Ut ingrediar, & egrediar coram populo. Scilicet ut Regem decet. Ea phrasii explicant Hebrei omne genus actionis publicæ, & conversationis.

12. Nec ante te, nec post te fuerit similis tui. In Ecclesiaste Salomon de se loquitur. Ecce effectus sum magnus, & præcessi omnes sapientia, qui fuerunt ante me in Jerusalem. Et Proverb. 30. ait: *stultissimus sum virorum.* Nimirum ibi loquitur de Sapientia Sæculi, quæ inimica est DEO; unde statim sequitur: & Sapientia hominum non est mecum, non didici sapientiam, & novi Scientiam sanctorum.

15. Sycomorus. Arbor est Palæstinæ familiaris, plebeorum ædificiorum fabricis subserviens, parum ad firmitatem, & speciem idonea, usitata tamen, quia facili impendio comparabilis. Opponitur Cedro, quæ ob firmitatem suam palatiis Regum adhibebatur.

16. Adducebantur ei equi - Ec. de Coa. Hebrei מִקְוֵה Mikoa, i. e. de Coa: sic recte olim antequam puncta a Masorethis apponabantur, legi potuit; idque erit nomen proprium urbis in Ægypto; vel potius insula quædam maris mediterranei. At hodierno in codice Hebreo, prout puncta literis sunt subjecta, legitur Mikve מִקְוֵה quod ex quibusdam significat congregationem populi, vel emporium.

## C A P U T   II.

**S**alomon ad templi fabricam destinat 70. millia bajulorum, & 80. millia latomorum: paciscitur cum Hiram Rege Tyri de insigni architecto; lignisque transmittendis.

1. Decrevit autem Salomon &c. ram Patris mei; subaudi Architec-  
Totum hoc caput explicatum est etum, & famulum.

3. Reg. 5.

2. Et numeravit - - Præpositosque eorum tria millia sexcentos. L. 3. Reg. C. 5. numerantur tantum 3300. Sed ibi omittuntur, qui præpositis præterant, quique erant 300. Præ-  
positi superiores, qui hic supple-  
tuntur.

13. Missi tibi - - Hiram Patrem meum. Quem scilicet ego ob vir-  
tutem, sapientiam, & industriam  
veneror ut Patrem: & tum tem-  
poris viri eximii Patres vocaban-  
tur, ut apud nos Magistri. Hebr.  
Septuag. & Chald. habent: Hi-

17. Numeravit igitur Salomon om-  
nes viros Proselytos. De filiis Israël  
erant 30. millia, qui ad cædendas  
de Libano Cedros missi sunt, de  
Proselytis cæsores lapidum, de  
Gentibus ipse Hiram, & Servi  
ejus, qui cum servis Salomonis li-  
gna cædebant de Libano. Omne  
igitur hominum genus, per quos  
ædificanda erat Ecclesia, præcessit  
in ædificio templi; Judæi enim,  
Proselyti, & Gentiles ad fidem  
conversi Ecclesiam Christi recte  
vivendo, & docendo construunt.

## C A P U T   III.

**T**emplum Salomonis, illius dimensiones, & ornamenta.

1. Et caput Salomon. Hoc caput satis intelligitur ex dictis 3. Reg. 6. In monte Moria, in quo olim Abraham filium suum Isaac DEO obtulerat. Gen. 22.

3. Longitudinis cubitos in mensura prima sexaginta. Secunda namque mensura fuit, qua hi 60. cubiti di-  
visi, & dimensi sunt in duas se-  
ctiones, scilicet ut ex eis sanctum haberet 40. cubitos, reliquos ve-  
ro 20, haberet sanctum sanctorum,

5. Domum majorem. Sanctum, seu sanctuarium, in quo erat altare thymiamatis, quodque medium erat inter porticum, & sanctum sanctorum, atque utroque majus.

14. Fecit quoque velum; Verius videtur fuisse: duo vela; quod multi Auctores tradunt apud Bar-  
rad. quorum alterum esset ante sancta, alterum ante sancta sancto-  
rum. Quod vero velum occum-  
bente Domino in cruce scissum  
fue-

fuerit, non convenit inter Aucto-  
res. Opportunius hoc ipsum ex-  
aminabitur in Commentario in D.

Matthæum. Reliqua hujus capi-  
tis explicata sunt 3. Reg. 7. a v.  
15. & deinceps.

## C A P U T   I V.

**C**onstruitur altare æneum, mare fusile, decem conchæ, candela-  
bra itidem decem, mensæ pariter decem, phialæ centum, &  
cætera ad ornatum templi pertinentia, quæ Lib. 3. Reg. 7. sunt  
descripta.

1. Fecit altare æncum 20. cubitorum  
longitudinis. Altare holocaustorum,  
quod fecerat Moyses longe minus  
erat hoc, cum quinque tantum la-  
titudinis, tres vero altitudinis cu-  
bitos haberet Exod. 27. Illud ve-  
ro, quod Salomon confлавit, æ-  
neum erat, intus cavum; non se-  
cus, ac illud a Moyse exstructum,  
atque impolitis lapidibus, vel in-  
gesta humo fuisse repletum Me-  
nochius prohibet juxta verba Exod.  
20. Altare de terra facietis mihi &c.  
Decem cubitorum altitudinis. Ut Sa-  
cerdos in altari sacrificaret, non  
ascendebatur per gradus, id enim  
vetitum erat Exod. 20. sed per  
pavimenti acclivitatem.

2. Mare fusile: id est lavatorium.  
Funiculus 30. cubitorum Peripheria  
maris ænei erat 30. cubitorum,  
nempe triplo major diametro  
eiusdem. Ita 70.

3. Similitudo boum: Præter du-  
decim boves, quibus mare velut  
fulcris insistebat, erant in antero-  
re parte maris spatio 10. cubito-  
rum (quæ erat 3*via* pars periphe-  
riæ maris) alia capita boum pro-

minentia: forte per illa tanquam  
per epistomia aqua educebatur.  
Erantque hæc duobus versibus, Hebr.  
& 70. duobus ordinibus distincta,  
uno infra labium, altero versus  
fundum; hæc capita pariter erant  
fusilia eadem massa cum mari.

5. Porro vasitas ejus, seu crassi-  
tudo habebat mensuram palmi 4.  
digitorum: vel repandi lili: labium  
erat instar folii lili circa extremum  
recurvi, capiebatque ter mille me-  
tretas, seu 280. modios Parisinos.

6. Ut lavarent in iis omnia, quæ  
in sacrificium erant oblaturi. Hebr.  
fecit hos luteræ ad abluendum: illuc  
omne opus holocausti injiciebatur; mare  
autem destinatum erat, ut ibi Sacerdo-  
tes abluerentur. Luteræ (vasa erant  
a quatuor Cherubim suffulta, quo-  
rum singuli basibus nitebantur,  
quæ rotis æneis instructæ ad illos  
huc aut illuc transferendos confe-  
rebant) inserviebant holocausto-  
rum victimis abluendis, & omni-  
bus, quæ in sacrificiis adhibeban-  
tur, cultris, pateris, vasibusque  
aliis, ac præterea partibus victimarum  
pro peccato, & hostiarum pa-  
cifici-

cificarum. Mare vero æneum Sacerdotibus ita reservatum erat, ut ibi vel corpus totum, vel pedes duntaxat, & manus, prout indigebant, abluerent. Non ingrediebantur autem maris concham, sed inde per epistomia hauriebant aquam, eamque in pelvibus, aut hydriis excipiebant, ut ibi se lavarent.

8. *Phialas centum.* Hebraicus

textus proprie pateras significat, vel instrumenta ad liquorū libamina peragenda.

9. *Basilicam grandem.* Hebraice, & Græce atrium magnum, scilicet pro populo porticibus undique circumdataum.

21. *Florentia quædam,* Hebraice flores; nempe opere fusili de auro, imitabantur flores liliorum, vel etiam alios.

## C A P U T V.

**I**llatis in templum vacis sacris, variisque donariis, arca solemniter in sancta sandwichorum inducitur, Gloria Domini implet templum.

Caput hoc maxima parte explicatum est 3. Reg. 8.

10. Nihilque aliud erat in arca, nisi due tabule lapideæ; nam licet a tempore Moysis, dum in tabernaculo nullus alias esset locus, in quo tuto, ac religiose possent reponi (*Virga Aaron, quæ fronduerat, Urna aurea cum manna, & Devteronomium Moysis* reposita fuerunt vel intra arcam: ut insinuat S. Paul. ad Hebr. 9. & docent S. August. & Thomas, vel saltem ad latera aræ, ut de Devteronomio disserente iussit Moyses) tamen ex quo conditum fuit stabile templum, & in eo varia ad latus gazophylacia, in quibus res illæ sacræ commode possent asservari, videntur ab arca semotæ, & in vicinum aliquod conclave traductæ; ut de libro Devteronomii certo constat, paucis post

seculis inter alios templi thesauros repertum, ubi Helias Sacerdos 2. Paralip. 34. dicitur reperisse librum legis Domini per manum Moysi.

11. Sanctificati sunt: mundarunt, & purificarunt se, ut ministrare possent, ne Sacerdotes deessent victimis, quæ mactabantur eo die maxima copia. Nec adhuc in illo tempore (dedicationis templi) vices, & ordo inter Sacerdotes diversus erat. Hebraice: non observabatur; nempe confluxerant non ii soli, quibus ministerium ea septimana incumbebat (neque enim hi sufficerent) sed omnes, quotquot ex toto Israële haberi poterant. Cetera hujus capititis vide 3. Reg. 8.

Quæ-

*Quæres: quorsum tanti sumptus, labores, & sudores in templum impensi, cum tamen DEUS non habet in templis manufactis, ut habetur Actor. 7. & 17.*

R. DEUS in iis non habitat tanquam egens habitatione, ut exponit S. Paulus Actor. 17. non ut Rex in palatio, quo tutus sit ab iuriis æris, nam ejus immensitas loco contineri nequit. Habitat vero ibi, in quantum exaudit preces nostras, confert beneficia, & peculiari quodam modo præsentiam suam exhibet, jubetque nos eo conferre, ut sibi laudes, sacrificia, & orationes offeramus. Templum Jerosolymitanum DEUS elegit, & sanctificavit, ut nomen suum habaret in eo, suam potentiam, Majestatem, sapientiamque revelaret, quod & verbis, & signis multis fecit.

## C A P U T VI.

**R**Ex Salomon populo publice benedicit, Deoque gratias agit de promissis olim Davidi fatis, jam opere impletis: orat enixe, ut populi in templo precantis vota semper DEUS exaudiat.

1. Dominus pollicitus est. Totum hoc caput continetur, & explicatur. 3. Reg. 8.

21. Quicunque oraverit in loco isto. Hinc colligimus orationes in templo fusas magis exaudiri, quam aliis in locis, quod templum ob eam causam fuerit extructum, ut fideles precibus suis conjunctis DEUM orent, ac demum unitas, & charitas conservetur: nam eo conveniunt, ut unius Ecclesie membra, fidei, & charitatis vinculo colligata; quod plurimum confert, ut precatio[n]es nostræ exaudiantur.

28. Aerugo, proprie æris rubigo dicitur: aurugo, vitium coloris in homine; quod icteritia dicitur ab auri colore; sed utrumque hic pro

segetum vitio ponni videtur. 70. tamen vertunt æris corruptionem, icteritiam.

33. Tu exaudiens, -- pro quibus invocaverit te. Joëlis 2do, dicitur: omnis, qui invocaverit nomen Domini salvus erit. Et Matth. 7. non omnis, qui mibi dicit: Domine, Domine &c. R. invocaverit quatuor importat: scilicet perseverantiam, quia omne tempus complectitur: item triplicem invocationem, nimirum oris, cordis, & operis; in Mattheo tantum duo istorum quatuor reperiuntur; unde bis dicitur: Domine, Domine! non ter.

41. Consurge Domine in requiem tuam. In templo inter nos, & nobiscum jugiter habita. Tu, & arca fortitudinis tua. In arca enim DEUS

DEUS ostendere solebat potentiam suam, & fortitudinem, cum ad ejus præsentiam Jordanem visit, Jerichuntis muros prostravit, Chananaeos, Philistaeos, aliosque Israëlis hostes debellavit. Sacerdotes tui - - induantur salutem, justitiam, & sanitatem; id est his

virtutibus abundant, ut iis quasi vestibus undique cingi, & ambiri videantur.

42. *Ne avertas faciem Christi tui.*  
Mei ipsius, qui a te factus sum Christus, seu unctus: ne me, meamque faciem, & orationem spernas, & pudore suffundas.

## C A P U T VII.

**D**EUS igne e cœlo misso victimas Salomonis inflamat, eique revealat, se ejus preces exaudiisse, ut orantes in templo pro qualibet necessitate exaudiatur.

1. *Et Majestas Domini.* Hebrei, & Græce: gloria Domini scilicet nubes splendida, quæ DEI invisibilis præsentiam, gloriam, & majestatem repræsentabat.

6. *Sacerdotes stabant in officiis.* Nempe distributi per turmas suas fungebantur singuli officiis suis. Simili modo stabant Levitæ in organis carminum Domini: id est cum instrumentis omnis generis musicis, quibus canebant per manus suas,

manibus, & plectris pulsantes psalmebant carmina, in laudem DEI a Davide composita.

8. *Facit Salomon solemnitatem in tempore illo.* Peracta dedicatione templi per octiduum, celebravit consequenter alio octiduo festum scenopégiz, quod eodem mense celebrari debebat. Hæc, & reliqua hujus Capitis explicata sunt 3. Reg. 8. & 9.

## C A P U T VIII.

**S**alomon plures ciuitates ædificat; Chananaeorum reliquos sibi tributarios facit: Sacerdotum, & Levitarum officia distribuit: Classemque in Ophir mittit.

2. *Civitates, quas dederat Hiram Salomoni:* Certavit enim Hiram benevolentia signis cum Salomonem; a quo cum 20. oppida accepisset, ut dicitur 3. Reg. 7. ipse

Salomoni alia donavit; aut fortasse eadem reddidit.

4. *Et edificavit Palmiram.* Sita erat in Syria superiore unius diei itinere ab Euphrate: hæc urbs fuit

fuit Regis Odenathi, & Zenobiz uxoris sedes. Sunt, qui putant Palmiram alio nomine Emath appellari in tribu Nephtali ad radicem Libani.

6. Urbes quadrigarum. Quæ e-

quorum, & curruum multitudini erant destinatæ.

18. Quadrageinta, quinquaginta talenta. L. 3. Reg. 420. ponuntur. Videntur ibi deduci sumptus in navigationem facti.

## C A P U T I X.

**A**DVENTUS REGINA SABÆ. PROVENTUS ANNUI SALOMONIS; reliqua ejusdem magnificentia. MORS denique post annos regni 40.

Hoc caput continetur in capite 10. Lib. 3. Regum.

25. Habuit -- quadraginta milibus decem equos. Nota: libri stabulæ equorum in stabulis. Hebr. 4000. Abia, Addo, &c. non existant. stabula equorum, in singulis sta-

## C A P U T X.

**F**ILLIUS, & SUCCESSOR SALOMONIS ROBOAM SPRETO SENIORUM CONSILIO, populum contemnens, discindit regnum Iſraēlis in duas partes.

PROFECTUS EST autem ROBOAM &c. Totum hoc caput explicatum habes L. 3. Reg. Cap. 12.

## C A P U T XI.

**R**OBOM volens armis subjugare decem tribus, prohibetur a SEMEIA PROPHETA. Multi Sacerdotes, Levitæ, & fideles religio JEROBOAM IDOLOLATRA in JERUSALEM migrant. ROBOAM ex multis uxoribus multas procreat proles.

11. Posuit in eis principes: Belli- duces, cum commeatu sufficienti, ut vicini hostis JEROBOAMI insul- tus sustinere possent. Erant enim CIVITATES LIMITANÆ in confinio JUDÆ, & ISRAËLIS,

14. Eo, quod abjecisset eos JEROBOAM. Scilicet a munere Sacerdo- tali, & Levitico. Cum enim nol- lent ipsi sacrificare in idolis, ne- que JEROBOAM permitteret eos Je- rosolymam adire ad sacrificandum

DEO vero, fiebat, ut omni prorsus sacro munere privati manerent. Maluerunt tamen proprias sedes, & urbes relinquere, & ad tribum Juda se conferre, quam sacris suis functionibus ita privari.

17. Roboraverunt Roboam per tres annos. Hoc undique tam multorum piorum concursu factum est, ut staret in avita pietate, & robore regnum Roboam saltet per tres annos. In viis David, & Salomonis, supple, priusquam hic in senio peccaret.

22. Constituit Abiam in Capite. Id est Caput, & primum omnium; neque enim erat major natu, sed ob singularem prudentiam prætulit illum parens reliquis filiis omnibus, qui erant numero 28. Et ne quod illi ab his periculum crea-

ri posset; en! novum eyranni inventum.

23. Potentior super omnes filios ejus: supple: ut esset Abias: ut commode prævaleret omnibus fratribus suis, captivos constituit, Hebraice: *divisi* Roboam omnes filios suos seorsim in cunctis finibus Juda, & Benjamin, & in universis civitatibus muratis. Quasi in honestis carceribus, ne possint capita conferre, & conspirare contra Abiam; juxta illud politicum, & tyrannicum Machiavelli præceptum: *vis regnare, divide.* Atque, ut sorte sua contenti viverent, ne de regno cogitarent, præbuit eis escas plurimas, pingues redditus, quibus alerentur. Et multas petivit uxores Abia, & cum primis reliquis filiis suis, ut ventri, & Veneri vacantes in deliciose otio torperent, & consenserent.

## C A P U T XII.

**R**oboamus Dominum deserit, traditurque in manus Sesac, Aegyptii Regis. Mors Roboami, cui succedit Abia.

1. *Derelegit Legens Domini.* Roboam tres annos fidelis fuit Domino; cum autem se pace frui, & regnum convalescere vidit, DEUM deseruit.

2. *Ascendit Sesac.* Vide dicta 3. Reg. 14. v. 25. *Troglodyta.* Populi Aethiopiz sub Aegypto in sinum Arabicum, & mare rubrum vergentes, de quibus Plinius L. 5. C. 8. ita sunt *από τῶν τρεύλων*, id

est a terra foraninibus, & cavernis, in quibus habitant, dicti.

7. *Non stillabit furor meus amplius per continuas cædes, rapinas, & strages, quas parat Sesac.* Exemplum cito, & facile placati DEI. Nam veram, & stabilem pœnitentiam Roboani non fuisse, patet ex eo, quod instinctu Matri sua Naamz Ammonitis, ideoque idololatrz reversus sit ad idola.

13. *Con-*

13. *Confortatus ergo est Rex Ro-  
beam. Quæ hic habentur usque ad finem, repetita sunt ex 3. Reg.  
Cap. 14.*

## C A P U T   X I I I .

**A**bia Rex Juda de Jeroboamo Rege Israël nobilissimam refert victoriam. Ex 14. uxoribus 38. generat filios.

2. *Nomen matris ejus Maachaja: apud 70. vocatur Maacha, quæ multis videtur fuisse filia Absalon, seu ut scribunt 70. Αβεσσαλωνη, quem Hieron. non putat fuisse Absalon filium Davidis, cuius unica fuit filia Thamar 2. Reg. 14. qui-que non erat ex Gabaon, ut Uriel, sed ex Hebron; & 3. Reg. 15. vo-  
catur Abessalom, non Absalon.*

3. *Electorum quadringenta millia. Quædam Biblia typis edita ha-  
bentur, quæ Abiæ quadraginta hominum millia tribuunt, & Jero-  
boam octoginta; at Hebræus, sep-  
tuaginta, Josephus, & Biblia me-  
liora typis excusa unanimi con-  
sensu dicunt, quadringenta homi-  
num millia in exercitu Abiæ fuisse,  
& octingenta in acie Jeroboam.  
Numerus hic ingens est; verum  
notandum, tunc Reges omnes, vel  
fere omnes subditos in aciem edu-  
cere consueville, cum armis ferendis pares essent.*

4. *Stetit Abia super montem. Ut  
melius undique ejus oratio exau-  
diri posset, quæ erat gravitatis,  
roboris, & pietatis plena, licet im-  
pius esset, ac nefarius iuxta Scrip-  
turæ testimonia 3. Reg. 15. Reli-  
gionis causam prætexit, ut populi*

sui animos erigat, & hostibus ti-  
morem incutiat; & DEUS populi  
pietatem respiciens magis, quam  
Principis pravas affectiones, insi-  
gnem illi victoriam largitur. Utitur  
autem Abia, qui impius erat,  
ad conterendum Jeroboam, qui  
magis adhuc improbus erat.

5. *In pactum salis: id est in pa-  
ctum firmum, stabile, & æternum;  
Sal enim res a putredine integras  
conservat: hinc sal est symbolum  
æternitatis. Constat hoc pactum  
de regno in Davidis familia per-  
petuo, esse conditionatum; nem-  
pe si progenies Davidis pactum  
servet.*

9. *Fie Sacerdos eorum, qui non sunt  
Dii. Sicut falsos haberis Deos,  
sic & falsos Sacerdotes. Non enim  
elegit DEUS eos, ut elegit Aaro-  
nem, & posteros ejus; sed quicun-  
que licet vilis, & sceleratus offe-  
rendo taurum, & septem arietes  
consecravit manus suas apud vos,  
hoc ipso fit Sacerdos Idolorum,  
puta vitulorum aureorum.*

20. *Quem percussit Dominus: Du-  
biuum est: an de Abia, an de Jero-  
boam sit sermo. Sed longe pro-  
babilius est, de Jeroboamo hæc  
dici.*

## C A P U T X I V .

**A**bie succedit filius Asa, qui excisa idololatria confortatus a DEO Zaram Regem Aethyopum cum mille milium millibus ad internacionem cædit.

2. Rex Asa subvertit altaria peregrini cultus ( quo Gentiles colebant Deos suos, & idola ) & excelsa. Dices: 3. Reg. 15. 14. de Asa dicitur: non abstulit excelsa. Resp. excelsa alia erant idolis, alia DEO vero dicata; illa sustulit Asa, hæc non. Rursum excelsa, scilicet altaria, & simulacra, & lucos idolorum sustulit Asa, non vero templo omnia iis a Salomone dicata; hæc enim postea sustulit Josias 4. Reg. 23.

9. Egressus est autem ( sub annum 15. regni Asa ) contra eos Zara Aethyops cum exercitu suo decies centena millia. Hunc Aethyopem vult Torniellus non ex Africa prodiisse, sed ex Asia, nempe Madianitide, Judæis vicina; unde originem traxit uxor Moyfis, quæ propterea Aethyopissa dicta est. Verum me-

lius Seranus, Sanchez, Salianus, & alii veram Aethyopiam, quæ sub Aegypto est, accipiunt. Hæc enim adjacet Aegypto, ideoque Judæa vicina est. Et forte Zaram fuit Rex Aegypti, quam Aethyopiz; nam hi ipsi Cap. 16. vocantur Aethyopes & Lybier; erant ergo veri Aethyopes, qui sunt in Africa, & Lybia. Favent huic sententiaz Hebrei in suo Seder-Olam, ubi ajunt, hunc Zaram restituisse Asæ prædam omnem, quam Jerosolymis 26. annis ante Selucus abistlerat.

13. Ruerunt Aethyopes usque ad internacionem. Nemini eorum, qui in Victorum manus venere, vita permitta est; neque ex hac cruce in statum pristinum se restituere unquam valuerunt, DEO pro Asa, & Juda pugnante.

## C A P U T X V .

**A**Zarias Propheta prædictus, destituendum Israëlem multo tempore veri DEL cultu, Lege, & Sacerdotio. Quo excitatus Asa Rex reliquias idololatriæ excindit, propriamque Matrem idololatram imperio privat.

1. Azarias filius Obed. Nomen Parentis additur, ut hic Propheta distinguatur ab Azaria Pontifice,

qui sub idem tempus summo Sacerdotio fungebatur.

3. Transibunt multi dies &c. Hæc

accidisse potant aliqui tempore captivitatis Babylonicæ. Alii ad præsentem rerum Judaicarum statum referunt post Christi adventum, & captam a Romanis Ierusalem. Nam nunc Hebræi sunt sine DEO, qui scilicet Trinum non colunt, nec Christum agnoscunt: nec Lex Mosaica est, quæ dudum obligare desuit. Absque Sacerdote, nunc enim confusis tribubus non habent Sacerdotes, nec Levitas. Doctore, nam pro veris Doctribus mendaces, & fabularum Soctatores Rabbinos habent.

4. Cum reversi fuerint. Hæc ad mundi occasum pertinent, cum scilicet Israëlitæ, qui tunc supererant aliquando resipiscentes salvi fient. Vide ad Rom. 11. 26. Mensa tertio: Sivan, qui Majo nostro respondet, quo celebrabant Pentecosten, ut indicet, hoc festo ipsos DEUM invocantes, ejus ope tantam victoriam adeptos esse, ideoque in gratiarum actionem ei manusias hostium obtulisse. Ita vice versa Constantinopolis a Turca expugnata est in Pentecoste, eo quod Græci impie sentirent de Spiritu Sancto, cuius hoc est festum, docerentque Eum non procedere a Patre, & filio.

16. Maacham Matrem -- ex Augusto depositus imperio: id est aviam,

Matrem Abiæ, uxorem Roboam; aut potius uxorem Abiæ, Matrem suam; duæ enim fuerunt ejusdem nominis, quarum altera avo, altera Abiæ Patri Asæ nupsit. Hebr. fecit, ne esset Domina, ne Regina esset, ne se rebus publicis immisceret, vel potius ne præcesset sacris, neve Astartæ ministraret, ut habent 70.

17. Cor autem Asæ erat perfectum cum Domino cunctis diebus ejus: Quoad verum DEI cultum externum; nam Asæ per omnem vitam nunquam, ut alii, ad idola deflexit. In aliis vero peccavit graviter, ut patet Cap. seq.

19. Bellum vero non fuit usque ad trigesimum quintum annum Regni Asæ. Id est: Regni Judaici, quod a morte Salomonis, ubi ab Israëlitico reliquarum decem tribuum solemnis schismate sejunctum fuit, hic potest dici tum cœpisse. Ita Hebræi, Salianus &c. Cap. seq. Baasa Rex Israël dicitur ascendisse in Judam anno 16. Regni Asæ, qui proprius annus erat Regni Asæ proximus ab Æthyopica victoria. Nam Lib. 3. Reg. 16. dicitur Baasa obiisse anno 26. Regis Asæ; itaque bellum non fuit usque ad 35. annum regni Judæ, quod obtainebat Rex Asæ: nam Roboam regnavit 17. annis, Abia tribus, quibus si addas 15, erunt anni 35.

## CAPUT XVI.

**A** Sa perculsus exercitu Baasæ Regis Israel, opem poscit a Benadad Rege Syriae; qua de causa reprehensus ab Hanani Prophetæ, eum in carcerem mittit. Inde podagra correptus extinguitur.

1. Anno autem trigesimo sexto Ejus ( Asæ ) ascendit Baasa. Dices : Baasa jam erat mortuus ante decennium, scilicet anno 25. Regni Asæ, ut patet 3. Reg. 16. Nam anno 36. Asæ regnavit in Israël Amri 3. Reg. 16. R. varii varia ad hæc loca concilianda adferunt; verius videtur : hos 36. annos esse Regni Judæ ; quare computandos esse a primo anno Roboam, qui primus fuit Rex in Juda; tum Israël, id est decem tribus Regem sibi crevere Jeroboam. Urgebis : hi 36. anni non vocantur Regni Judæ , sed regni Asæ . R. Idem est regnum Judæ , quod regnum Asæ ; nam Asa aliud non habuit, quam Judæ .

7. Idcirco evasit Syriae Regis exercitus de manu tua. Nam si DEO nixus fuisses, non solum Baasam Regem Israël, sed & Benadad Regem Syriae ipsi confederatum vicisses ejusdem DEI ope, qua ante vicisti Aethyopes longe his numerosiores, & potentiores.

10. Interfecit de populo plurimos. Qui Hanani Prophetæ innocenciam injuste ab Asa in carcere affli-

gi dolentes, ejus tyrannidem liberius incusabant.

12. Ægrotavit Asa dolore pedum vehementissimo. In Hebræo, & Græco additur usque ad supra, nempe ad caput. Cum enim podagratus humor caput impetiit, & dolorem ciet vehementissimum, & mortem accelerat.

14. Plenum aromatibus, puta balsamo, aloë, & myrrha, quibus adversus putrefactionem infarciri cadavera solent. Unguentis meretriciis. Vatabl. vertit : delicatissimis, quibus meretrices utuntur, ut stultos procos decipient, & foerentem halitum suum, quem stupris confectæ non secus, ac saniosa cadavera exhalant, obducant, & contergant, juxta illud. Posthume ! non bene olet, qui bene semper olet. Et combusserunt super eum. Hebraice : combusserunt ei, supple : aromata, quæ juxta cadaver continuo exurebantur. Unde patet, non tam ipsum cadaver apud Judæos, quam juxta cadaver aromata comburi consuevit, ut multis exemplis docet Gaspar Sanctius, & alii.

CA-

## C A P U T XVII.

**A**sae succedit pius Josaphat, dives, & potens armis: hic mittit Doctores per totum regnum, qui populum legem DEI doceant. Vedigales ei fiunt Philistæi, & Arabes. Milites, & Duces ejusdem recensentur.

6. Cumque sumpisset cor ejus audaciam propter vias Domini. Pietas, Religio, & custodia legis Divinæ Josaphato animos suffecit, ut, quod alii pii Reges, timentes populi offendam, & rebellionem, non audebant, ipse perficeret, excelsa, & Lucos idolis dicatos destrueret, & heroica opera promovendo divino honori animo destinaret. Sanctitas enim omnibus terrori æque est, ac Venerationi. Ita Pius V. Pontifex Turcarum terror fuit, & flagellum.

7. Misit de principibus suis Politicis; non tam ut docerent, quam ut Sacerdotibus, & Levitis, qui cum illis mittebantur, adessent, atque populum cogerent, ut illos summa cum observantia exciperent, &

quæ docti fuissent, exercent. Insignis hic fuit zelus Regis Josaphat, quem olim imitati sunt S. Stephanus, Ungarorum primus Rex, S. Ludovicus Francorum, S. Wenceslaus Bohemorum Dux; hodieque Principes Orthodoxi cum incredibili Divinæ gloriæ accessione piissime emulantur.

18. Et cum eo centum octoginta milia. Universim Josaphat sub signis habuit undecies centena, & sexaginta bellatorum millia DEO benedicente. Ita Cornel. in hunc locum. Præter tribus Judæ enim, & Benjamin potentes, & numerosas sibi subditas, multi ex decem tribubus avitæ Religionis studiosi, & prosperitate Josaphati illecti in Jerusaleni transfugerunt.

## C A P U T XVIII.

**J**osaphat filio suo Joram jungit uxorem, filiam impii Achab Regis Israël, cum eoque ad bellum contra Syros proficiat. Totum hoc Caput fuse explicatum est L. 3. Reg. 22.

## C A P U T XIX.

**J**ehu Propheta arguit Josaphat, quod cum impio Achab fœdus inierit: unde hic zelum cultus divini adauget, ac Judices de  
G ser-

*Servanda iustitia, Sacerdotes, & Levitas de populo pie erudiendo admonet.*

2. *Impio Achabo præbes auxilium &c.* Cum hostibus enim DEI nimis familiariter agere citra necessitatem, aut publicam utilitatem, valde displicet DEO. Unde David Psal. 138. profitetur se hostem hostium DEI: *Nonne qui oderunt te Domine oderam, & super inimicos tuos tabescbam?* perfecto odio oderam illos. Quocirca subjungit DEUS per Iehu Prophetam: *idecirco iram quidem Domini merebaris;* sed bona opera inventa sunt in te: quorum intuitu peccatum hoc, & pœna omnes tibi remittuntur. Quod nota pro merito bonorum operum adversus hæreticos.

6. *Non enim hominis exerceatis iudicium, sed DEI.* Hebraico textui hic sensus tribui potest: *Non enim iudicatis pro homine, sed pro DEO.* Et (Dominus) est vobiscum, quando iudicatis. Deberis illum veluti in medio vestri sedentem, & iudiciis vestris præsidentem animo reputare:

DEUS stetit in Synagoga DEOrum, vel Judicum. Psal. 81. Munus vestrum nequaquam humanum est, sed prorsus divinum; quod si DEUS a nobis exigit, cur negant Anabaptistæ homini pio, & Christiano licere jus dicere?

7. *Non est apud DEUM iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munierum.* Ergo nec apud vos, qui Vicarii DEI estis, quidpiam istiusmodi inveniri debet. Digna sententia, quæ omnium curiarum parietibus, vel potius omnium iudicium cordibus inscribatur.

11. *Amarias Sacerdos, summus, in his, que ad DEUM pertinent, præsidebit, in Ecclesiasticis causis, & negotiis.* Porro Zabadias super opera, qua ad Regis officium, Causas, & politica negotia curabit. Ubi nota distinctionem fori, seu Magistratus Ecclesiastici, & Civilis contra Anglocalvinistas, & nostros Arminianos.

## C A P U T   X X .

**I**Nsignis Josaphat de hostibus victoria, sed ipse a Propheta reprehenditur, quod Societatem inierit cum Ochozia.

1. *Filli Ammon, & cum eis de Ammonitis.* Hoc est de Idumæis: hi enim ne viderentur contra Judæos, fratres suos, pugnare, vocabant se Ammonitas. Ita Auctor tradit apud S. Hieronym. hic Ammonitas,

ait, *Idumæos vult intelligi, qui ob reverentiam Paterni nominis (Esau, qui erat frater Jacob Patris Judæorum) nolabant in pristino habitu arma movere contra Isræl, sed transfigurabant se in habitum Ammonitarum.*

2. *De*

2. De his locis, que sunt transmarie. Puta mare mortuum: jamque traejecto illo mari, seu lacu Asphaltite, castrametantur in Engaddi: in limitibus regni Juda; Syria enim separabatur a Judaea mari mortuo, ait Vatabl.

5. Atrium novum, seu innovatum. Cum enim Salomon amplissima fecisset templi atria, ut totum populum 12. tribuum caperent; deinde vero decem tribus fecissent Schisma a Roboam, & templo, hinc multæ atrii partes utpote vacuae fuere occlusæ, vel ad alios usus deputatae. At vero sub Josaphat crescente multitudine fidelium, & populi tam Juda, quam eorum, qui ex diis tribubus transfugerunt ad Juda, necessum fuit, earum partes alias rursum aperiri, & innovari, ut tantam populi multitudinem caperent.

13. Omnis Juda stabat coram Domino. Patet ex hoc loco antiquitas lytaniz, sive orationis publicæ, & communis, qua in publica calamitate omnes cuiusvis sexus, ætatis, & conditionis conveniunt, ut communi voce misericordiam DEI

implorent, Deoque quasi vim faciant. Hac enim vis grata est DEO, ait Tertull. in Apoll. Idem fecere Ninivitæ Jonæ 3. Machabæi 2. Machab. 3. Judæi tempore Judith Cap. 4. & alii pene innumeri.

33. Populus non direxerat cor suum ad Dominum; scilicet: perfecte. Nam divelli non poterat ab excelssis, quo minus ibi quoque sacrificaret DEO, licet præceptum esset, ut in solo templo Jerofolymitanó (quia is locus erat a DEO ad id designatus) sacrificia offerrentur.

36. Et participes fuit, ut facerent naves, que irent in Tharsis. Ex his constat Tharsis, cuius hic est mentio, non esse aliquam ex urbibus, aut portibus maris mediterranei (nam Aisongaber portus est maris rubri) sed Oceano adjacere. Contritæ vero lunt naves pii Josaphat, quod junctæ essent navibus Ochotiz, impii Regis Ifraël. Simili modo iussit DEUS per Prophetam, ut Amasias impios Israëlitas, licet centum talentis argenti jam conductos, domum remitteret, ut, quantopere ejusmodi Societatem detestaretur, manifestum ficeret,

## CAPUT XXI.

Plo Josaphat succedit impius filius Joram, qui fratres suos, & nonnullos Principum occidit. Quare Elias literis missis ei gravem morbum, mortemque, ac toti regno cladem denunciat; quæ omnia re ipsa evenerunt.

2. Azarium, & Jabel, & Zachariam, Azarium. Hi duo Azariæ fi-

lii Josaphat aliter in Autographo textu scribuntur. Alter simplici-

ter Azarias, alter Azariahu: Dominus auxilium meum. Reliqua usque ad versum 12. repetita sunt ex 4. Reg 8. 17.

12. *Allatae sunt ei literae ab Elias Prophetæ:* Nota: Eliam jam dudum raptum fuisse curru igneo: tempore enim Josaphat Patris Joram prophetabat Elisæus, qui Eliæ successit. Unde Salianus censet has literas datas anno nono post raptum Prophetæ. Cajetanus pro explicatione hujus loci existimat, alium hunc esse Eliam a Thesbite, sed hoc speciem veri non habet. Vatablus vult intelligi Elisæum, utpote cui Spiritus Eliæ insederit. Emmanuel Sà opinatur Eliam ante raptum suas literas scripsisse, & Eliso dedisse ad Joram subinde deferendas: Grotius arbitratur hoc per somnum accidisse Joram.

Communis autem est opinio, Prophetam literas has de paradiso terrestri, vel loco illo, ubi adhuc vivus persistit, ad Joram misisse sive per Angelum humana forma indutum, sive per Elisæum, aut alium, cui, quemadmodum Discipulis in monte Thabor comparere potuit. Literas ipsas habes hic v. 12. quibus exprobrat Elias Regi fidam idolatriam sub nomine fornicationis, & fraticidia, prædictaque ei triplicem plagam: primo in publica clade bonorum suorum rapinam, ut uxorum, & filiorum; quam mox intulerunt Arabes, Äthyopes & Philistini: 2do mortem probrosissimam per lentam viscerum egestionem post tabem duorum annorum: 3to: denegatum honorem sepulturæ Regiæ.

## C A P U T   XXII.

**I**MPIUM OCHOZIAM filium Joram Regem Iuda occidit Jehu, simul & Joram Regem Israël. Impia Athalia occidit omnes filios Ochozia, unico Joas natu minimo per Josabeth amitam suam neci subtradit.

1. *Ochozias.* Hic minimus natu filiorum Joram C. Præc. v. 17. Joachaz vocatur.

2. *Quadraginta duorum annorum erat Ochozias.* Gravis est hic quæstio, & antilogia: nam 4. Reg. 8. dicitur: viginti duorum annorum erat Ochozias, cum regnare cœpisset. Joram cœpit regnare cum 32. esset annorum, regnavitque 8. annis, mor-

tuusque est anno ætatis quadragesimo ait Josephus. Mox successit ei filius Ochozias; ergo is non potuit esse 42. annorum, alias fuisset duobus annis Senior Patre suo Joram. Hebrei in Seder-Olam C. 17. quos sequitur Genebrar. & Serar. respondent, hos 42. annos computandos esse ab anno 6. Amri, qui fuit avus maternus Ochoziaz, cuius

ejus mores, & idola ipse fecerunt se est. Amri enim in Samaria a se condita, & in metropolim regni Israël erecta solus regnare coepit anno 6. regni sui, regnavitque in ea octo annis; successit ei Achab filius, qui cum Ochozia filio regnabit 22. annis; huic successit Joram pariter filius per 12. annos; anno autem ejus 12. & ultimo coepit regnare in Iuda hic Ochozias filius Joram, eodemque anno cum Joram Regem Israël occisus est a Jehu; jam adde annos 8. Amri, 22. Achab, 12. Joram, habebis 42. quos

quærimus. Videntur enim Israëlitæ æram constituisse ab initio regni Samariæ, ab eoque annos numeras se, uti numerant historici a Roma condita. Plerique tamen interpres mendum irreplisse in hunc locum Paralip. existimant ob notas numericas 2 2, Caph, Beth seu 22. non multum absimiles 2 2, Mem, & Beth, seu 42. Ac quidam codices manuscripti Græci, & 70. legunt 22. Reliqua hujus capitatis explicata sunt L. 4. Reg. Cap. 8. & 11.

## CAPUT XXIII.

**J**ojada Pontifex septennem Joas in Regem ungit, Athaliam ejus aviam regnantem occidi jubet, cultum DEI restituit, aras & delubra Baal evertit.

1. Anno autem septimo: Totum hoc caput explanatum habes L. 4. Reg. C. 11.

5. Porta fundamenti, hic vocatur præcipua porta, quæ plagam respiciebat orientalem.

## CAPUT XXIV.

**J**oas Rex sub Jojada Pontifice rite DEUM colit, at eo mortuo defledens ad idola, ideoque reprehensus a Zacharia, filio Jojadae, eum in atrio templi lapidibus obruit. Quare anno sequenti DEUS Iudeam Syris spoliandam tradit, & Joas Regem per ejus famulos occidit.

Hoc caput explicatum est 4. Reg. 12.

22. *Qui (Zacharias) cum moreetur, ait: videat Dominus, & requirat. Videat scilicet meam innocentiam, & probitatem, qua ex officio meo (erat enim Pontifex) Regem*

idola colentem reprehendo. Videat pariter Regis impietatem, & ingratitudinem, qua me filium Jojadae Pontificis, & avunculi sui, cui vitam, & regnum debet, ingratice,

te, injuste, & impie interficit. Et requirat, ut meam necem, tantaque scelera justo iudicio puniat, & ulciscatur. Dixit hoc Zacharias ex zelo iustitiae, qui fuit Spiritus Eliæ, & veteris testamenti. At in novo Christus, & Apostoli a Judæis occisi non vindictam, sed veniam a DEO occisoribus precabantur.

23. *Ascendit contra Joas exercitus Syriae.* Exaudiuit DEUS orationem Zachariæ: vix enim annus a morte ejus lapsus erat, cum adest Hazaël Rex Syriæ, flagellum DEI, qui exiguis copiis infinitam pene multitudinem Judæorum concidit, thesauros tum templi, tum Palatii Regii in Syriam asportat, & in

Joas ignominiosa exercet iudicia, acriter, & probrose increpando de ingratitudine, de perfidia, de animi vilitate. Neque hic malorum finis: Rex acerbissimo mox corporis dolore cruciatur, lecto affigitur, insurgunt in eum Servi, & decumbentem trucidant in domo Mello. Vicina hæc erat Palatio, construeta a Salomone pro filia Pharaonis. S. Hieron. cum multis doctoribus putat hunc Zachariam illum esse, de quo Christus Matth. 23. dicit, occisum fuisse a Judæis inter templum, & altare. Sed non minus probabile est, Christum allusisse ad alterum Zachariam, qui in minorum Prophetarum Catalogo undecimus numeratur.

## C A P U T   X X V .

**A**masias Rex ulciscitur necem Patris sui Joas, ac Idumæos prælio superat; sed in idolatriam lapsus a Joas Rege Israël profigatur, capitur, & spoliatur.

1. *Viginti quinque annorum Sc. Pleraque hujus capit. Explicata sunt 4. Reg. 14.*

6. *Mercede quoque conduxit centum talentis argenti. Talentum continebat tria millia sicciorum argenteorum, id est, tria millia florenorum brabanticorum; si ergo dicta summa distributa fuisset in centum millia Israëlitarum hoc pretio conductorum, cuique militi obvenissent 3. floreni, quod illo anno, cum rara esset pecunia, & an-*

nona vili pretio, ingens erat, & magnæ estimationis; quare immerto nonnulli censem hæc talenta fuisse auri, cum scriptura expresse dicat fuisse argenti.

17. *Veni, videamus nos mutuo. Pro vocatio est ad bellum, quo discep tetur de regno Israëlitico decem tribuum, quas volebat Amalias rursum conjungi sceptro Judaico, uti conjunctæ fuerunt tempore Davidis, & Salomonis, proavorum ipsius.*

24. Apud Obed- Edom. Scilicet demandata fuerat custodia thesau-  
apud posteros Obed - Edom, his rorum templi.

## C A P U T XXVI.

**O**Zias, sive Azarias pius, ac Religiosus Philistæos, Arabes, &  
Ammonitas vincit, sed animo elatiore dum incensum adolere  
præsumit in templo, lepra percutitur, filio ejus Joatham regnum ad-  
ministrante.

5. In diebus Zacharia. Non est  
hic ille ex Prophetis minoribus,  
sed ut tradit Hieron. filius Zacha-  
riæ, filii Jojadæ Pontificis, & post  
mortem Patris, posthumus natus.  
Intelligentis, & videntis DEUM, id  
est: experti, & periti in visionibus  
Propheticis.

6. Murum Geth: Geth, & Azotus  
primariæ fuerunt Urbes Phili-  
stinorum, & duæ de quinque Sa-  
trapiis illorum. Reliquæ tres erant  
Ascalon, Gaza, & Accaron.

8. Supra portam Anguli, sic di-  
ctam, quod urbs ea parte An-  
gulum haberet. Sicut porta Ephraim  
illa vocabatur, quæ sortem tribus  
Ephraim respiceret. Supra por-  
tam vallis: Erat hæc vallis cadave-  
rum jacens inter montem Calva-  
riæ, & murum Jerusalem, sic di-  
cta; quod ibi cadavera, ossa, & ci-  
neres eorum, qui in Golgotha

morte puniti erant, aut combusti,  
projiciebantur, hac porta egressus  
est Christus crucem bajulans.

10. Turres in solitudine. Ira vo-  
cantur villæ, & domus rusticane  
turribus ad custodiæ frugum, &  
fructuum agrorum instructæ, in  
quibus fructus reponebantur, pe-  
ccora servabantur, quæ alibi castella  
dicuntur. Sic Christus discurre-  
bat per vicos, & castella, id est: per  
rusticorum villas, & pagos.

19. Orta est lepra in fronte. Qua-  
re nec abscondi potuit; temere se  
sacris immissenti poena mortis de-  
bebatur Num. 3. 10. Verum lepra  
instar mortis erat, quæ ab homi-  
num consuetudine tanquam mor-  
tuos separat, & eam morti æquæ  
scriptura hoc loco, cum ait v. 16.  
& elevatum est cor ejus in interitum  
suum.

## C A P U T XXVII.

**J**OATHAM pius, ac zelosus egregiam de Ammonitis victoriam re-  
fert, quibus multam annuam imponit. Sed pio Patri succedit  
impius filius Achaz.

2. Excepto, quod non est ingressus templum Domini. Ad adolendum thymiam, ut fecerat Pater ejus Ozias. Joatham imitatus est Patris pietatem, at non temeritatem, munus Sacerdotibus proprium usurpando.

3. Et in muro Opbel. Erat hæc turris adeo excelsa in Jerusalem, ut in culmine ejus aspiciendo cali-

garent oculi; Ophel enim Hebr. significat caliginem.

5. In anno secundo & tertio. Dubium videtur: an bis tantum solvereint Amononitæ hoc tributum, an vero ter. Verum 70. difficultatem tollunt; sic enim habent: hæc afferebat ei Rex filiorum Ammon quotannis in primo anno, & in secundo anno, & in tertio.

## C A P U T   X X V I I I .

**P**ropter sceleræ Achaz in prædam datur Judæa, primo Syris, secundo Israëlitis (qui tamen monente Prophetæ prædam relaxant) tertio Idumæis, &to Philistæis. Impio Achaz succedit pius Ezechias.

Primi 4. versus explicati habentur 4. Reg. 16. v. 2. & deinceps.

5. Regis Syrie. Fuit hic Rasin a DÉO creatus Rex, ut esset flagellum Regni Juda, ejusque idola, & scleræ castigaret.

15. Cumque vestissent eos, & calceassent, & ressecissent cibo. Videmus hic insignem Israëlitarum in Iudeorum licet hostium suorum captivos humanitatem, & misericordiam omnibus Christianorum Principibus, & Ducibus propositam, ut eam imitentur. Sic enim vicissim DEI misericordiam in se provocant, si in hostes clementes sint; nimirum: Clementia plus potest, quam violentia, ut ajebat Antigonus Rex apud Plutarch. in Apophateg.

18. Bethsames Urbs Sacerdotalis, in quam ob curiose conspectam arcari ira divina defauit. Ajalon

Civitas Sacerdotalis in tribu Dan. Gaderoth Urbs tribus Juda. Socbo, aliter Sochot in tribu Juda. Thamnan, aliter Thamnata, celebris laceratione Leonis ab inermi Samsone Jud. 14. Gamzo sita forte in tribu Simeon.

19. Eo, quod nudasset cum populum. Nihil amplius est in Hebreo, Chaldeo, & Græco: sed Hieronymus explicationis causa addidit: auxilio, scilicet divino, quia impius Rex idolatriam induxit.

20. Adduxitque contra cum Theglaphazar &c. Iverat Achaz Damascum, ut auxilium a Rege Assyriorum obtineret, quin etiam Achaz suo malo adduxit Jerosolymam; nam ut hoc versu dicitur: affixis cum, & nullo resistente vastavit.

24. *Clausit januas templi DEI.* Ne quis ad sacrificandum, aut adorandum ingredi posset: usque eo enim urgebat Achaz cultum idolorum, ut nollet vero DEO sacrificari, quam nequitiam nemo alias Regum patrasse legitur.

27. *Neque receperunt cum in sepul-*

*chra* &c. 4. Reg. 16. dicitur Achaz dormivisse cum Patribus suis, & sepultus fuisse cum eis, quod intellige: in eadem civitate David, sed non in eodem sepulchro Regio. *Regum Israel.* Nomen *Israel* non secus, ac alibi passim pro *Judea* hic usurpatum.

## C A P U T   XXIX.

**E**zechias *DEI* cultum a Patre *Achaz* sublatum restituit una cum Sacerdotibus, Levitis, & Cantoribus; ac plurimis victimis *DEUM* honorat.

1. *Filia Zacharie*: nempe summi Pontificis, & Prophetæ, qui C. 24. a Rege Joas interfactus est; fuit Mater Ezechiae inquit Hieron.

4. *Platea orientalis* obversa portæ templi Orientali.

15. *Ut expiarent domum Domini*, puta: atrium Sacerdotum, quod eorum erat templum; nam in Sanctum nemini ingredi fas erat, nisi Sacerdoti, sicut in Sanctum Sanctorum soli Pontifici. Unde & hic soli Sacerdotes asseruntur ingressi templum, & sanctificasse, id est, expurgasse illud ab idolis, eorumque superstitione; sordes has exportarunt in vestibulo. Septuag. legunt in vestibulum, ex quo deinde Levitæ illas efferebant, & projiciebant in torrentem Cedron.

17. *Caperunt autem prima die mensis primi* (Nisan, id est in Martio) *mundare.* Octo primos dies impenderunt exedris, & atriis sanctificandis, id est mundandis, &

pristino nitori restituendis: posteriores alios octo dies templo, seu sanctuario repurgando insumpserunt.

21. *Hircos septem pro peccato.* Lex præceperat Levit. 14. offerri pro peccato multitudinis vitulum unum, & hircum pro peccato Principis. Verum Ezechias numerum victimarum non metitur ex præcepto, sed ex zeli sui magnitudine, & sensu pietatis. Præterea leges loquuntur duntaxat de expiacione peccati per ignorantiam admissi; hic vero agitur de nequioribus sceleribus, de idolatria, de legibus DEI derelictis, de templi profanatione, & pluribus aliis, quæ ex prioribus orta fuere. Hebraicus textus ait victimas has oblatas fuisse pro regno, hoc est pro peccatis Regis, & antecessorum; pro Sanctuario polluto, & profanato, vel pro Sacerdotibus sacrilegis, & templi profanatoribus; denum pro H Ju.

*Juda*, pro omni populo, qui Regum impiorum peccata exempla fecutus est.

33. Sanctificaverunt Domino boves sexcentos. Obtulerunt eos DEO &

templo, & oves ter mille, ut ex illis aliae offerrentur in holocaustum, aliae pro peccato, aliae in victimas pacificas.

## C A P U T   X X X .

**E**zechias missis quaqua versum nuntiis non modo per Iudeam, sed & per reliquas tribus Israël omnes invitat Jerosolymam ad Phase celebrandum, quod factum maxima solemnitate diebus quatuordecim.

1. *Ad omnem Israël & Judam &c.* Mirum videri possit, etiam Israëlitas ad hoc phase celebrandum invitatos fuisse. Sed præter ardentem Ezechiaz zelum, illud etiam afferri potest; quod Osee Rex Israël, qui fuit quidem idolorum cultor, sed non sicut Reges Israël, qui ante eum fuerant, ut dicitur 4. Reg. 17. Cum cerneret abductos esse ab Assyriis vitulos aureos, qui erant in Dan, & Beibel, sustulit præsidia, quæ posuerat Jeroboam filius Nabath in regni sui limitibus, ne quis ascenderet Jerosolymam ad adorandum, scilicet ter in anno, quod tradit Chronicon Hebreorum.

2. *Mense secundo*, debebant juxta legem celebrare Phase quicunque mense primo fuerant impediti, vel immundi. Sicut hic impediti fuerant Judæi, quia ut dicitur:

3. *Sacerdotes*, qui possent sufficere, sanctificati non fuerant; neque enim ad hoc solum requirebatur, ut essent de genere Sacerdotali; sed

singuli debebant initiari, & consecrari juxta ritum præscriptum Levitici 8.

5. *Miserunt nuntios &c.* convocare enim oportebat populum, quia legitimæ solemnitates Paschæ, Pentecostes, & tabernaculorum abierant in desuetudinem.

*De Bersabee usque Dan*, qui sunt termini Regni Israëlis secundum longitudinem.

6. *Revertetur ad reliquias*: vocantur quinque tribus Israëliticæ, quas abductis in Assyriam aliis quinque tribubus quarto anno Regis Achaz reliquerat Teglat-Phasar in sedibus suis: ad has revertetur, id est, his reconciliabitur, & propitius erit DEUS.

15. *Tandem sanctificati Hebr.* pudore suffisi sunt, quod in tanta populi alacritate tardi fuissent in sua sanctificatione, & purificatione. Unde illico se sanctificarunt, & mundarunt.

16. *Sacerdotes vero suscipiebant effundendum sanguinem de manibus Le-*

*vita-*

vitarum. Omnis enim sanguis victimæ effundi debebat DEO per Sacerdotem, ut testificaretur ipsum esse Dominum necis, & vitæ omnium. *De manibus Levitarum*, qui cum ex dispensatione sacrificabant, eo quod Sacerdotes consecrati, qui forent mundi, pauciores essent, quam ut possent tot victimas sacrificare: juvabant ergo eos Levitæ, ac victimas mactabant, & sanguinem effluentem dabant Sacerdotibus.

18. Non juxta quod scriptum est. Immundi prohibebantur edere de agno Paschali, aliisque victimis, sed quia tum erat publica solemnitas, & Religionis lapsæ restauratio, ac magnus inmundorum numerus; hinc cum eis pariter dispensatum fuit. Minor etiam munditia requirebatur in agni comeditione, quam in ejus immolatione. Hebræi apud S. Hieron. tradunt, eos qui phase comedenter immundi, magna ex parte cœlitus immissa plaga fuisse occisos: sed precibus Ezechiae sinceram populi intentionem, vixque culpabilem ignorantiam allegantis, mox clamdem cessasse.

22. Comederunt septem diebus solemnitatis. Hebr. comedenter hanc solemnitatem diebus septem, videlicet carnes oblatarum victimarum, & panem a lege pro diebus Paschatis præscriptum: hoc est azymum panem, & carnes hostiarum pacificarum, de quibus sermo est v. 24.

Cum in præsenti capite toties

de immundis redeat mentio, scendum est, *legalis immunditia*, aut impuritatis non unam fuisse speciem: alia enim voluntaria censebantur, uti contactus cadaveris, reptilis, alteriusve impuri animalis, sive rerum sacrarum ab immundis, sive a non Sacerdotibus; contactus insuper hominis leprosi, gonorrhœa laborantis, sive hominis polluti contactu cadaveris; item contactus puerperæ, menstruatæ, profluvio sanguinis laborantis. Aliæ impuritates ab invitis etiam contrahebantur, ut si quis in cubiculo esset, in quo quis subito occubuerit, vel si quis imprudens essa, sepulchrum, vel quid simile impurum contigisset; vel si cui dormienti semen invito effluxisset; vel tandem si quis morbo aliquo impuro teneretur, uti lepra, gonorrhœa &c. Conjuges tandem, sive alii quicunque in matrimonii exercitio.

Cubilia, vestes, utensilia, fictilia ex contactu rei impuræ impuritatem contrahebant, & aliis communicabant. Animalium duplex etat apud Hebreos ordo; alia nimirum impura, a quibus abstinere jubebantur; alia pura, quorum usus permittebatur & in cibo, & in sacrificio. Porro sacrificio adhiberi consueverunt i. vaccæ, tauri, & vituli; boves arcebantur, utpote mutili, & imperfecti; quare dum in S. Scriptura de oblatione boum fit mentio, hac voce non boves, sed tauri intelligendi sunt. 2d<sup>o</sup> offe-

offerebatur capra, hircus, & hædus, 3<sup>io</sup> ovis, aries, & agnus: ver-  
vexnon secus, ac bos arcebatur. In holocaustum (in quo victima  
tota præter pellem cremabatur) tantum masculus offerri poterat,  
qui sine vitio esset; in sacrificiis vero pacificorum etiam fœminæ  
illorum animalium, dummodo pu-  
ræ, permittebantur.

In usum cibi non ea tantum, quæ sacrificiis destinata erant, sed  
plura alia ex animantibus, & do-  
mesticis, & feris licebant, ut cer-  
vus, caper, omniaque bisida, & ru-  
minantia. Quibus vero ungula  
est constans, ac pes bisidus, nec  
ruminant, inter impura, & cibo  
interdicta accensebantur. Adeps  
omnium victimarum Israëlitis ve-  
tabatur, sicut & sanguis cujuscun-  
que generis animalium, indicta  
etiam poena mortis in transgres-  
sores. Pisces sine squammis tan-  
quam impuri rejiciebantur. Ho-  
mo immundus in aqua sive cum

vestibus, sive ipse, & vestes seor-  
sum immergebatur. Impuritas ex  
contactu cadaveris contracta sep-  
tem diebus, plerique alia tantum  
usque ad vesperam durabant. Pu-  
erperarum, si puerum peperisset  
mulier 40. si puellam 50. diebus  
immunditia permanebat. Alia  
immunditia excludebat ab homini-  
num, & urbium consortio, ut le-  
pra; alia a rerum sacrarum conta-  
ctu prohibebat, ut impuri anima-  
lis contactus voluntarius, matrimo-  
niī exercitium &c. Immunditiam  
aliam lotio, aliā sacrificia, aliā  
lixivium quoddam ex cinere vac-  
ca rufa confectum solemni expia-  
tionis die mactata extergebant.  
Qui cadaveris contactu, sive fu-  
neris præsentia maculam contra-  
xerat, sub mortis poena expiatio-  
nis aquis erat tingendus; qui men-  
struorum tempore cum uxore co-  
miscebatur, mortis poena se, &  
uxorem implicabat, si res ad Judi-  
cem deferebatur.

## C A P U T XXXI.

**P**Opulus in Juda, & Ephraim idola, & lucos destruit, Ezechias  
Sacerdotes, & Levitas in suo quoque ordine & ministerio  
disponit.

2. *In portis castrorum Domini. Id*  
*est, in portis templi, ubi erant tur-*  
*mæ Sacerdotum, & Levitarum in*  
*suos ordines, quasi acies militares*  
*distributi, ut ibi viderentur esse*  
*castra, & acies exercitus DEI. Un-*  
*de Ecclesia vocatur castrorum acies*  
*ordinata Cant. 6.*

3. *Pars autem Regis erat. Eze-*  
*chias has partes circa templi mi-*  
*nisteria sibi assumpsit, ut ipse sup-*  
*peditaret sumptus pro iugi sacri-*  
*ficio, aliisque victimis; populus*  
*vero aleret Sacerdotes, & Levitas,*  
6. *Decimas Sanctorum. Juxta He-*  
*breos, ut refert Lyran. Haec sunt*  
*de-*

decimæ, quas Levitæ dabant Sacerdotibus ex decimis, quas ipsi a populo acceperunt.

11. *Horrea in domo Domini: 70.* legunt pastophoria, sive cubicula, in quibus quasi horreis servarentur primitiæ, decimæ, aliæque res templo oblatæ. Hæc extructæ jam erant a Salomone; unde sub Ezechia solum reficiebantur iis partibus, in quibus vitium essent passa.

13. *In Sancta Sanctorum ad sacros usus, & sacrificia &c.*

16. *Exceptis maribus ab annis tribus & supra.* Sensus est: præter mares, qui absolute tertio anno ætatis, cum a Matris ubere depulsi erant, incipiebant accipere ali-

menta ex immolatis, decimis, primitiis &c. Similes locutiones in pluribus Scripturæ locis inveniuntur, ubi ea vox exceptis, præter significat. Nihil hic pueris Sacerdotum assignatur; at vers. 18. de iis mentio fit, atque eodem pacto, ac pueri excipiuntur, dum solidioris cibi sunt capaces. Tanta erat rerum oblatarum abundantia, tanta populi liberalitas, tanta Ezechia Regis providentia, pietas, & devotione.

*Qui ingrediebantur templum Domini. Sacerdotibus, & Levitis, qui in templo, & atris Domino famulabantur.*

## C A P U T    XXXII.

**S**ennacherib Rege Assyriorum invadente Iudeam, & DEUM Cœli blasphemante, Ezechia interim cum Isaia Propheta DEUM precibus solicitante, Angelus cedit ex Assyriis 180. milia. Sennacherib a propriis filiis occiditur. Ezechias animo elatiore DEUM offendit, & Successorem accipit impium filium Manassem.

Pleraque hujus capitinis exposita sunt Cap. 18. & 19. Lib. 4. Regum.

1. *Post hujuscemodi veritatem, nempe rerum jam narratarum: vel post tam insignem Ezechiam justiciam, vitæque integratatem subsecutæ sunt tentationes.*

*Venit Sennacherib.* Belli causam tuisse putat Salian, quod Ezechias Assyriis tributum ipendere recusaret.

4. *Qui fluebat in medio terra. Scilicet vicinæ Jerosolymis.* Hic rivus infra v. 30. vocatur fons Gibon, putaturque idem esse, qui Siloë: & alluit rupem, in qua sita est Jerosolyma: inde late per vicinam Regionem quaquaversus excurrebat. Sunt tamen, qui putent, rivum hunc esse torrentem Cedron,

in quem aquæ Siloë, & Gihon confuebant, quique mœnia civitatis, & radices montis Olivarum ad orientem alluebat. Ezechias igitur, ut adventanti Assyrio subtraheret aquas, ad fundamenta istius rupis amplam effodit piscinam, quæ præterfluentem aquam contineret tali modo, ut ad eam accedere, & inde haurire non posset Assyrius. Deinde perfodit eandem rupem, & per eam declivi lapsu derivavit aquam in putoes urbis, quos ad obsecorum usus intra mœnia effoderat.

21. Cumque ingressus esset Sennacherib domum, seu fanum Nesroch, DEI sui in Ninive, filii ejus Adrame-

lech, & Sarazar, interfecerunt eum gladio. Rationem dat Rabbi Salomon, & ex eo Lyranus: quod Sennacherib ad placandum tum Deos suos, tum suorum animos, qui graviter ferebant filios, & amicos in Judæa tam misere extintos, decreverit more gentium victimam proprietorum filiorum offerre, & suo sic sanguine diis litare. Sed rem subodorati filii præverterunt consilia Parentis, ipsiusque cædem mature occuparunt.

31. Per portentum super terram. Intelligit solem, & umbram in horologio Achaz decem lineis retrogressum, de quo 4. Reg. 20. v. 9.

## C A P U T      XXXIII.

**M**anasses ob idolatriam, & scelera vindictus in Babylonem abducitur, ubi poenitens regno restituitur, & DEI cultum restaurat. Succedit ei impius filius Ammon; sed huic pius Josias.

3. Adoravit omnem militiam cœli. Puta Solem, Lunam, cæteraque sidera, quæ quasi milites DEI ordinata acie consistunt. Ita Hieron.

12. & 13. Postquam coangustatus est, oravit Dominum DEUM suum - - & exaudiuit orationem ejus. Non desunt, qui censeant eodem ipso anno, quo captus est, libertate suis se donatum. Hæc Manassis poenitentia docet, nullam esse tantam peccatorum multitudinem, & gravitatem, quæ aditum ad thronum Divinæ misericordiæ obstruat. Tanta enim Regis hujus fuit in

DEUM impietas, ut dicatur 4. Reg. 21. superasse suis sacrilegiis omnia, quæ fecerunt Amorhai ante eum. Prophetam Isaiam sibi sanguine junctum, jam nonagenario majorem, lignea serra medium secari præcepit; alternis diebus unum e DEI servis morti destinavit. Fateturque de se ipso in sua deprecatione: *Peccavi super numerum arenae maris.* In virtute tamen poenitentiaz veniam, gratiam, & vitam æternam est consecutus. Extat oratio Manassis poenitentis pia, & proba, sed non habet autho-  
rita-

ritatem Canonicæ Scripturæ, ideoque in calcem Bibliorum rejecta est.

19. Scripta sunt in Sermonibus Hosai. Hebræi apud S. Hieron. volunt Hosai esse Isam Prophetam. Septuag. Hosai accipiunt ut nomen non proprium, sed appella-

tivum, vertuntque: videntium, seu Prophetarum.

23. Et multo majora deliquit Ammon, quia non egit pœnitentiam ut Manasses: hic tamen ut fons, & causa malorum habetur Jerem. 15. ob impietatis exemplum.

## C A P U T    XXXIV.

**J**Osias omnem idolatriam succidit; DEI templum, cultumque instaurat, ac sœdus novum inter DEUM, & populum sancit.

Pleraque hujus capitinis habentur Lib. 4. Reg. Cap. 22. & 23.

3. Duodecimo anno mundavit Iuda, & Jerusalem videlicet duodecimo Regni sui anno, etatis vero vige-  
simi mundavit Judam ab omni-  
bus impietatis, & idolatriæ mon-  
umentis, quæ regnum illud pol-  
luerant.

22. Abiit ad Oldam Prophetidem. Ex quo fuerat lapidatus Zacharias, filius Jojadæ, non dabit DEUS re-  
sponsa more solito. Uxorem Sel-

lum - Custodis vestium Regalium,  
vel Sacerdotalem; que habitabat  
in Jerusalem in secunda, forte in ea  
parte, quæ erat inter Urbis mu-  
rum, & antemurale, vel in se-  
cunda parte Urbis, ubi erat tem-  
plum, vel in secunda parte secun-  
di muri; vel secunda erat nomen  
Scholæ, ubi erudiebantur, ut non-  
nulli existimant.

## C A P U T    XXXV.

**J**Osias celebrat Phase solemne: idem Pharaoni occurrentis in prælio occiditur summo omnium luctu, sed præcipue Jeremie.

3. Ponite arcam in Sanctuario. Hæc enim tempore vel Manasse, vel Ammon submota fuerat e tem-  
plo, ne simul cum idolis esset. Tra-  
ducentque Hebræi, illam in domo  
Sellum, avunculi Jeremias, tantisper  
depositam fuisse, sed nunc a Josia  
jussam templo restitui per Sacer-  
dotes, & Levitas. Quibus per-

functis eo officio, Rex ait: Nequa-  
quam eam ultra portabitis, seu e tem-  
plo efferetis: quare liberi ab ea  
cura totos vos impendite ministe-  
rio Sacrificiorum, & instructioni  
populi.

13. Separaverunt ea. Cum Levi-  
tas jugulassent victimas, & corium  
detraxissent iis, quæ in holocau-  
stum

stum erant destinata, ea familiis populi reddebat, ut ab his Sacerdotibus offerrentur, super altare comburenda. *Coxerunt in Lebezibus*; hostia enim pacificæ pars incendebatur, pars cedebat in usum Sacerdotum, pars in usum offerentium, quæ in ollis elixabatur.

15. *Propheta Regis. Cantores Davidis*: nam etiam ii, qui psalmos decantabant, Prophetæ vocabantur. Erant tamen aliqui ex iis veri Prophetæ, uti Asaph, qui in insti<sup>n</sup>c<sup>t</sup>u<sup>m</sup> DEI plures psalmos composuit, & dictavit.

21. *Contra aliam pugno domum. Nempe contra Regem Assyriorum*. Ut dicitur 4. Reg. 23. ad quam me DEUS ire præcepit. S.

Hieron. putat Jeremiam Prophetam sic faciendum monuisse, simulque Josiam ne resisteret Ægyptio, deterruisse. Quod cum Ægyptio innotuisset, repetit hic, & inculcat Josiæ, sed frustra. Reliqua hujus Cap. vide 4. Reg. 23.

25. *Quasi Lex obtinuit in Isræl*. In stabilem consuetudinem, quasi in legem abiit, ut omnes Cantores, & cantatrices, quoties lugubri carmine tristem casum decantant, utantur verbis lamentationis Jeremiæ, quam in morte Josiæ compo<sup>s</sup>uit. Quam si nosle vis, qualis sit, ecce scriptum fertur, seu scripto extat in lamentationibus Jeremiæ, quarum postrema pars tota est de morte Josiæ.

## C A P U T    XXXVI.

**P**atri Josiæ succedit Filius Joachas, quem Necho in Ægyptum abdu<sup>c</sup>it. Huic succedit frater Joakim, & isti filius Joachim, huic Patrius Sedecias, qui omnes cum majore populi parte in Babylonem abducuntur a Nabuchodonosor. Hic enim Jerusalem cum templo succedit, ut Judæa manserit desolata usque ad annum primum Cyri, primi Persarum Monarchæ.

6. *Nabuchodonosor Rex Chaldaeorum ( Joakimum ) vincitum catenis duxit in Babylonem. Sed mox remisit Jerosolymam in Regnum suum: ut colligitur ex 4. Reg. 24.*

9. *Oclo annorum erat, cum regnare cœpisset. Una cum Patre suo. Sed jam eo defuncto cum solus regnare cœpit erat 18. annorum, ut habetur 4. Reg. 24. Solus autem non regnavit nisi tribus mensibus,*

& decem diebus. Unde quod sequitur abductum fuisse in Babylonem,

10. *Cum anni circulus volveretur. intelligendum est: non ex quo regnare cœpit Joachim ( neque enim tamdiu regnavit ) sed ex quo annus Judaicus de more inchoatus fuerat, puta a mense Nilian ineunte vere. Ut idem sit, atque sub finem ejusdem anni, cum duodeci-*

cimus finiretur mensis anni; & quartus inchoaretur mensis Regni Joachim.

12. *Fecit Sedecias malum in oculis Domini DEI sui.* Et statim subjungitur v. 14. *Sed & universi Principes Sacerdotum, & populus prævaricati sunt.* Ad quæ verba Lyran. ad malitiam Regis secuta est malitia in omnibus aliis, ut capit is morbus ægritudo est totius corporis. Unde notat eleganter Innocentius III. Serm. 1. de Consecr. Pontif. eandem victimam, nempe vitulum immaculatum, fuisse impositam pro peccato Sacerdotis, & pro peccato multitudinis; quod peccatum Sacerdotis peccato totius multitudinis coquetur.

15. *De nocte consurgens, mature, tempestive, ac diligenter instar solliciti Patris familias commonebat suos DEUS, eo, quod parceret populo,* id est: parcere vellit, & extreme optaret. Sed

16. *Nulla erat curatio, nulla spes emendationis vita, eo quod Judæi in idolatria, & sceleribus suis essent obfirmati.* Quare mox subsecutæ sunt pœnæ, de quibus 4. Reg. ult. & abducti omnes in Babylonem, vel vita privati.

21. *Donec celebraret terra Sabbatho sua, id est: quiesceret, seu festaretur ab aratione, fulcatione, & missione.*

*Cunctis enim diebus desolationis egit Sabbathum.* Quievit jam dicto modo, quia desolata, & inculta ut ultimum jacuit. Notant Hebræi, Ju-

dæos violasse festum Sabbathi, illudque profanasse operibus servilibus, & illicitis, ideoque DEUM in pœnam e Judæa eos abduxisse, ut ipsa ageret Sabbathum sibi a Judæis negatum.

Quæritur: cur captivitatis Judæorum in Babylone anni 70. cur non 80. non 90. aut centum? R. cum Theodorero: terra Judææ juxta legem septimo anno arari non poterat; sed quiescebat, & stium agebat Sabbathum, id est: otium, & quietem, quam quia Judæi ei abstulerunt ex avaritia, septimo anno eam arantes, ut fructus meterent; idcirco DEUS quietem illi debitam restituit in 70. annis captivitatis, quibus colonis suis destituta quiescat. 70. enim Sabbathæ ei ademerunt, totidem ergo ei reddidit DEUS. Nam in 490. annis, qui ab initio Regni Saulis usque ad ultimum annum Sedecia, fluxerunt pariter 70. Sabbathæ terra; septimus enim annus in 490. annis recurrit septuagesies.

Rursum Hebræi per sua scelera varia, & multa contaminarunt Judæam, quæ erat terra sancta per annos 490. Unde DEUS potuisse totidem annos pœnitentiaz injungere; sed pœnam imminuit, ut e septem annis unum tantum pœnitentiaz eis assignaret quo pariter terra sabbathizaret, & quiescens a sceleribus præfertim ab idolatria, quæ in ea ardenter per annos 70. viguit, expiatetur.

## LIBER I. ESDRÆ.

**E**sdras filius fuit Saraiæ Summi Pontificis, a Nabuchodonosore capite plexi 4. Reg. ult. Frater Josedeci, & cum eo translatus in Babylonem. Narrat hoc libro completis jam septuaginta captivitatis annis, indulto Cyri, primi Persarum Monarchæ, reduc̄tos Judæos Jerosolymam, quam una cura templo cœperunt instaurare. Omnis illa turba populi redeuntis in patriam (ait S. Hieron.) & descriptio Sacerdotum, Levitarum, Israëlis, Proselytorum aliud in cortice proferunt, aliud in medulla retinent. Scilicet *Alleg.* significant institutionem Ecclesiaz novaz veteri Synagoga abolita. *Tropolog.* mysticæ Ecclesiaz, & templi in anima per peccatum violati, & disiecti, per gratiam, pœnitentiam, omnisque virtutis officia reparationem. *Anagog.* Constructionem novaz illius, & Cœlestis Jerusalem, quam vivis coloribus depingit S. Joan. Apocal. 15.

## CAPUT I.

**C**rus expugnata Babylone captivitatem solvit; templi ædificandi facultatem concedit, Sacra vasa 5400. a Nabuchodonosore e templo sublata restituit.

1. *Anno primo Cyri:* non quo cœpit in Perside regnare, sed quo in Babylone: nempe superato, & occiso Balthasare Rege Babylonis, & ultimo Chaldaeorum Monarcha. Dario quoque Medo, Socero suo, & imperii consorte jam evivis sublato, Cyrus Monarchiam totius Orientis solus administravit. Erat is annus Regni Persici vigesimus septimus. Monarcha vero factus, nonnisi triennio in vivis permanuit, ut passim Hebræi cum Josepho afflant.

*Suscitavit Dominus Spiritum, id est: cor, seu voluntatem Cyri Re-*

*gis;* & traduxit Cyrus vocem Preconis in omni regno suo, etiam per Scripturam, seu literas quaquaversum missas. Quibus primo accepta fert DEO Cœli omnia recens parta regna. 2do. Dicit eundem DEUM sibi præcepisse, ut tempulum Jerosolymitanum instauraret. 3to. Jubet id instaurari, omnesque tum Judæos, tum alias subditos suos ad id excitat, & hortatur, Commendatur hoc loco Regis, licet Gentilis, pietas, qua Monarchiaz lux fundamentum esse jussit Sacra Religionis instaurationem.

Re-

Respublicæ non secus, ac Luna modo crescent, modo decrescent, modo ecclypsantur; ut pleno lumine fulgeant, a Sole (DEO) lucem recipiant, est necesse.

4. *Et omnes reliqui:* Judæi, qui in Babylone, aliisque locis sedes fixerunt, uxores duxerunt, liberos procrearunt, agros coemerunt, ut non possint, vel nolint illis dimissis redire in Jerusalem; hi adjuvent illos, qui redire cupiunt, auro & argento tum ad viaticum tam longi' itineris, tum ad Urbis, templique instaurationem.

Si queras, unde hæc Regi Gentili tam pia mens? Respondet Josephus, & Theodoretus: quia suggestente vel Esdra, vel potius Danielie, ut ante Dario, sic nunc etiam Cyro perfamiliari, imo conviva didicerat a DEO Judæorum per Isaiam Prophetam jam ante 120. annos sibi, etiam proprio nomine Cyri expresso, addictum, prædictumque Orientis imperium Isaiæ

44. in fine, & 45. initio capit. Ubi etiam templum, & urbem Jerusalemitanam ab eo instaurandam dicit. Quod cum sine evidenti miraculo prædici tanto tempore non possit, facile advertit Cyrus, non posse quoque non verum DEUM esse, a quo id promanasset.

8. *Sassabas* *Principi Juda.* Hic erat Zorobabel, filius Salathielis, & nepos Jechonias, Babylone natus. Familiare fuit Chaldaeis mutare nomina. Cum ergo nepoti Regis captivi nomen a tristi Parente inditum esset Zorobabel, quod *peregrinum in Babylone* significat; ut primum e carcere contigit Regem cum omni familia educi, & mensæ Regiæ adhiberi, mutarunt Adolescentis nomen in *Sassabas*, quod gaudentem in tribulatione designat. Ita fere Eusebius.

10. *Scyphi* *secundi:* supple ordinis, & generis; nam primi, & præcipui erant aurei: secundi argentei.

## C A P U T    II.

**N**umerus, & nomina revertentium cum Zorobabel e Babylone in Judeam. Item munera in instaurationem templi oblata.

1. *Hi sunt Provincie filii Judææ, vel Chaldaæ;* erant quidem Judæi gente, sed in Chaldaæ fere nati, aut educati tempore captivitatis, itaque tam Judææ, quam Chaldaæ filii appellari possunt. Nota Hebrewos non factos sui juris, etsi in Patriam remitterentur, sed Cyro, & Persis tributarii manebant.

2. *Qui venerunt cum Zorobabel, Duce, & Josue Pontifice,* qui alio nomine JESUS dictus fuit, filius Josedec.

6. *Filii Phhabath,* id est: Ducis, cognominati Moab forsan a victoria inde relata, vel exilio ibi acto. Item filii Josue, & filii Joab, posteri duorum insignium Ducum.

Hi ordines simul confecerunt numerum 2812. Nota: dum Esdras hic, & Nehemias Cap. 7. differunt in numero populi redeuntis, ita conciliandi sunt: quod vel aliqui in Itinere se adjunixerint, vel aliqui mortui sint, vel numerati sint de novo, cum jam instauratum esset templum.

21. *Filiæ Berilebem.* Id est: Civis, vel e civibus illius urbis oriundi. Cum enim hactenus per familias distinxerit capita: deinceps per Urbes distinguit usque ad v. 31. forsitan quia familiæ erant ignota.

36. *Sacerdotes.* Hucusque Laios e tribu Juda, & Benjamin recensuit, nunc recenset Sacerdotes, av. 40. Levitas, a 43. Nathinæos, templi Servos; ait ergo: *Sacerdotes filii Jodaja in domo Josue*, qui erant de domo, & familia Josue, puta filii, & nepotes JESU filii Josedec Pontificis erant numero 973. Jadai enim fuit ex posteris Josue, & Josedec, ut patet i. Paralipom.

9. 10.

59. *De Thelmala, Cherub &c.* Nominæ sunt Urbium Chaldaæ, unde plures emigrarunt in Judæam, qui tamen probare non potuerunt originem suam ex Judæis, aut Sacerdotibus.

61. *Filiæ Berzellai*, qui accepit de filiabus Berzellai Galaaditis (Sacerdotis) uxorem, & vocatus est nomine eorum, scilicet Sacerdotum. Hic Berzellai duxit uxorem filiam Berzellai Sacerdotis, & per illam vo-

catus est *Sacerdos*, id est ortus de genere Sacerdotali; sed cum id publicis tabulis probare non posset, nec ipse, nec filii ejus ad munia Sacerdotalia admissi sunt, donec consuleretur DEUS.

63. *Atherosata* Hic est Nehemias, quo nomine etiam appellatur 2. Esdræ 8. 9. 10. quod munieris ipsius nomen est: erat enim Pincerna Regis Artaxerxis. Ut non comedenter de Sancto (cibo) Sanctorum, id est: victimarum DEO oblatarum, seu de Sacrificiis pro peccato, aut armum dextrum de victimis pacificis; haec enim cedebant solis Sacerdotibus, de quorum genere se probare non poterant. Donec surgeret Sacerdos doctus, atque perfectus. Hebr. Donec staret Sacerdos cum Urim & Thummim. Donec Summus Sacerdos applicato Ephod, & Rationali, in quo erat Urim, & Thummim, consulens DEUM, ab eo perfecte doceretur, an hi essent de genere Sacerdotali.

Nota *Urim, & Thummim* inscripta erant vel intexta Rationali Pontificis. *Urim* Hebraice significat illuminationes, *Thummim* perfectiones: quia Sacerdos Summus Pontificibus induitus perfecte illuminabatur a DEO circa ea, de quibus eum consulebat. Allegorice significabatur Christus Pontifex, per quem lux, & veritas facta est Joann. 1. Tropologice per hæc duo admonebatur tum Pontifex, tum populus studere veritati doctrinæ, & per-

ectioni vitæ: Anagogice vero, aspirantam DEI fruitionem, & amorem.

## C A P U T III.

**J**ESUS Pontifex, & Zorobabel Dux cum populo redeuntes Jerosolymam, extruunt altare, in eo sacrificant, celebrant festum tabernaculorum, & novi templi fundamenta jaciunt.

1. Jamque venerat mensis septimus. Hebreis vocatur *Tisri*, qui nostro partim Septembri, partim Octobri responderet. (Hebrei enim utebantur mensibus Lunaribus) cuius die 15. celebrandum erat festum tabernaculorum, seu Scenopegix. Hinc colligitur Judæos Babylone egressos sub veris initium mense Martio, & in iter quatuor prope menses impendisse; dum enim supererant illis adhuc duo menses, quibus, & altare erigere, & ad septimi mensis celebrationem omnia parare possent.

5. Holocaustum juge, quale sit vide Num. 28. v. 3. &c.

7. Ad mare Joppe. Ad portum Jappis, qui Jerosolymæ vicinus,

& etiamnum totius Palestinx celeberrimus est.

12. Flebant voce magna. Quod initia hujus templi non respondebant Majestati prioris. Flebant quoque vestigia calamitatum præteritarum, quæ se undique in oculos ingerebant; lætabantur nihilominus de tam felici rerum mutatione, propensa tanti Monarchæ erga se voluntate: de templo Domini jam quasi reviviscente: & quod caput est, de Divino Numine sibi reconciliato. Itaque tot animali motus maximum excitabant populi clamorem, gemitu, lacrymis, lætitia, & jubilo confusum. Verum lætitia hæc non admodum diurna fuit.

## C A P U T IV.

**S**amaritani per Præfatos Persarum, impetrato a Cambysè Cyri Successore rescripto, impediunt fabricam Urbis, & templi.

1. Hostes Juda, & Benjamin. Samaritani, quos misit Rex Assyriorum in Samariam, ubi quinque libros Moysi receperunt, & DEUM Cœli in idolis coluerunt.

2. Asor Haddan. Filius Sennacherib, ultimus Rex Assyriorum. De quo 4. Reg. 19.

3. Non est nobis, & vobis: supple, quidquam commune in hac fabrica. Verebantur enim Judæi, ne, utpote jurati hostes quidpiam admiserent seu doli, seu danini: item ne sibi postea templum velut a se constructum vendicarent, vel eo Sacrificulos, aut idola introdu-

ducerent. Quo sane facto suo Judæi Christianos docent vitare commercium cum hæreticis in omni re, qua Religionem vel cultum DEI concernit.

4. Factum est igitur, cum non succederet simulationis artificium, ut populus terra, id est: Samaritani, aliam tentarent viam, qua restorationem templi de facto impedi-  
verunt: nempe

5. Conduxerunt adversus eos Consiliatores, ut destruerent consilium eorum omnibus diebus Cyri. Aulicos muneribus sibi devinxerunt, qui non obstante favore Cyri erga Ju-  
dæos, & coeptam fabricam, eos turbarent, atque lacesserent; sive hæc inscio Cyro contingenter, qui tum Scythico bello detentus erat, seu quod Ministri Regis hujus mo-  
ras nosterent, aut etiam penitus negarent ea, qua: a Cyro in adi-  
cationem Urbis, & templi impera-  
ta erant. Satis superque patet,  
quid valeant Aulici lucri spe cap-  
ti etiam adversus iusta, & mentem  
Principis.

6. In Regno autem Assueri, id est: Cambysis, ita Josephus, & patet ex præced. Hic enim Patri Cy-  
ro in Regno succedit. Nota Assuerus Chaldaice, Persice Artaxerxes  
erat nomen commune Regum Per-  
sarum, & Babyloniorum, sicut Æ-  
gyptiorum Pbarao, & Romanorum  
Imperatoribus Cesar, & Augustus.

Assuerus, vel ut Chaldaice dicitur Acha-Sueros deducitur ab Achas, id est: magnus, & ros quod significat caput, seu magnum Caput, Rex aut Princeps. Artaxerxes vero magnum bellatorem denotat. Facile autem fuit ab hoc Assuero, qui erat Cam-  
byses extorquere inhibitionem fa-  
bricæ, quia Judæorum hostis erat,  
atque ab iis secundus Nabuchodo-  
nosor dicebatur.

8. Beelteem. Est nomen officii significans Praefectum rationis, vel Magistrum Sapientia. Hebræi pro-  
nunciant Baaltaam idem est, quod Praes rationis, Et Consilii, quod agi-  
tabatur in Senatu, & Concilio, hoc  
est Cancellarius, hujus enim erat ad  
Regem facta omnia referre, eaque  
scripto tabulis publicis consignare.

10. Asenaphar. Hic est Asar Haddon, vel Sennacherib, vel quis alius ex ejus cognatis, aut agnatis.

14. Nos autem memores salis, quod in Palatio comedimus. Nos memo-  
res sumus alimoniarum, & Salarii (hoc  
enim a sale est dictum) quod no-  
bis in aula dedisti, monemus te de  
periculo, quod tibi ex fabrica Urbis Jerusalemi imminet, qua pera-  
cta Judæi muris suis confisi sedi-  
tionem certissime movebunt, seque  
negato etiam tributo, in liberta-  
tem afferere omni studio conni-  
tentur,

## C A P U T V.

**H**ortatu Prophetarum Aggæi, & Zacharie Zorobabel instaurationem templi sub Dario Rege frustra obnitentibus inimicis rursum aggreditur.

1. *Prophetaverunt. DEO inspirante hortati sunt populum, ut fabricam templi sub Cambysē intermissam animose resumerent, & strenue promoverent.*

5. *Oculus DEI. Divina providentia, favor, & auxilium.*

7. *Sermo, quem miserunt. Hi Praefecti ute pote nondum conventi a Samaritanis vel corrupti, ut illi priores, nullam habuerunt causam, cur se Judæis hostiliter opponarent. Unde, et si politica quadam prudentia etiam Samaritis hostibus eorum gratificari voluerint, cum de re tota ad Darium scriberent; ita tamen scripserunt, ut Judæorum causæ faverent potius, quam nocerent.*

Nota Darium hunc non fuisse Notum illum sextum a Cyro Regem Persarum, ut voluit Severus Sulpitius, & alii: sed Darium Hyphasis filium tertium a Cyro; & Cambysis, ac Smerdis Magi (qui tantum septimestri præfuit) Successorem. Ita Eusebius, Josephus, Hieron.

11. *Rex Israël Magnus. Est Salomon.*

17. *In Biblioteca. Græce, & Chaldaice in domo thesaurorum, vel in gaza Regia. Intelligitur de Archivio Scripturarum, in quo asservari solent, quæ, spectant ad opes, proventus, & census Regios: & authentica exemplaria legum, ac Decretorum Regiorum.*

## C A P U T VI.

**D**arius suis sumptibus juxta decretum Cyri perficit templum, quod anno sexto magna populi lætitia, multis victimis consecratur: mox celebratur Phœse per septem dies.

2. *Et inventum est in Ecbatanis. Ecbatana sunt metropolis majoris Mediae. Medina Provincia Media. Commentarius Decretum.*

3. *Altitudinem Cubitorum 60. Prius igitur templum Salomonis erat duplo altius: erat enim altum*

120. cubitis. Sed noluit Cyrus novum tam altum extrui, ne forte Judæi exinde arcem facerent, & rebellionem molirentur. *Et latitudinem cubitorum 60. per hanc, ut etiam habent Septuag. intelligitur hic intervallum, quod est a fronte spi-*

spicio usque ad extremitatem Sancti Sanctorum, quam nos longitudinem templi vocamus: sed cum delineatur idea, seu fabricæ figura in chartis, non infrequenter, neque inepte latitudo vocari solet.

5. Posita sunt in templo, id est: ponenda in templo ædificando. Septuag. ut ponantur.

14. Ædificaverunt Sc. jubente Cyro, & Dario, & Artaxerxe. Hoc loco omnes Principes Persarum, qui rebus Judaicis favebant, recensentur. Etsi tunc solus Darius forer, Cyrus tamen per repetitionem, Artaxerxes Longimanus, qui post Xerxem Darii Successorem regnavit, per anticipationem adducuntur.

15. Mensis Adar, est duodecimus, & ultimus mensium anni Hebreorum, responderque nostro partim Februatio, partim Martio. Qui est sextus Darii Regis. Judæi Joan. 2. v. 20. dicunt sex, & quadraginta annos in templi ædificationem insumptos fuisse, licet juxta rectam supputandi rationem a secundo nivirum anno Cyri, quo iacta sunt fundamenta templi, usque ad hunc sextum Darii annum 20. duntaxat anni effluxerint, etiam si

15. annis opus intermissum sit. Nonnulli cum Saliano putant, Judæos vel hyperbolice locutos, vel fortuito, & ex vulgi sententia illud asseruisse. Alii existimant Judæos

simul computasse omnes annos, quin hoc ædificium insumpti fuerant, Cyri, Darii, Histaspis, Simonis summi Sacerdotis, Machabæorum, ac demum Magni Herodis ævo; quo in sensu haud operosum erit 46. annos reperire.

17. In dedicationem domus DEI. Triplex fuit dedicatio: prima facta est a Salomone in autumno decimo die Septembris, ut legitur 3. Reg. 8. Secunda ab Esdra in vere vigesimo tertio die Martii. Tertia facta est a Juda Machabæo in hyeme 25. die Decembris ut legitur 1. Machab. 4. Et de hac ultima intelligitur illud Joan. 10. Facta sunt encænia in Jerosolymis, & byems erat. Hircos caprarum. Hircos, qui adhuc ubera matrum sunt.

20. Quasi unus. Unanimi consensu, & animorum conspiratione ad unum omnes.

21. Qui se separaverant a coquinatione gentium. Omnes Proselyti, qui Judaicæ Religioni nomen dederunt, idolatriam deserentes, atque circumcisionem recipientes: nam sine hac conditione in Paschatis partein venire non poterant.

22. Convertebat cor Regis Assur. Rex Assur pro Rege Persidis ponitur, quod idem Persarum, & Assyriorum imperia obtinebat.

## C A P U T VII.

**E**sdras Sacerdos, & Legis Doctor mittitur ab Artaxerxe Rege Persarum in Iudeam, Iudeos nomine Regis visitaturus, datus, & recturus.

1. Post bac autem verba. Seu genera Cap. præced. mortuo iam Dario, ejusque filio Xerxe, & regnum administrante Darii nepote Artaxerxe, qui Longimanus vocari consuevit, quod unam haberet altera longiorent manum, missus est Esdras in Iudeam cum diplomate Regio.

6. Scriba velox in Lege. Legis divinæ peritissimus, & in ea seu scripto, seu viva voce exponenda promptissimus. Vox Hebraica γνῶνας significat diligenter, ac strenuum. Id enim officii habebant Scribæ, qui apud Iudeos idem erant, quod Philosophi apud Græcos, Magi apud Chaldaeos, Brachmanes apud Indos.

8. Mensis quinto, Julio, qui ab Hebreis dicitur Ab.

14. Ut visites Iudeam, & Jerusalēm in lege DEI tui. Curaturus, ut lex DEI servetur. *Quæ est in manus tua.* Non solum in lingua; Doctores populi enim etiam opere, quod per manum intelligitur, legem implere debent; ut Christus, qui cœpit facere, & docere.

20. Dabitur de thesæuro Regis. Vi-

de hic pietatem Regum Gentilium, scilicet Artaxerxis, qui æque, ac Cyrus, & Darius, ex suo ærario præstigit sumptus necessarios in templi ministeria.

24. Ut vestigia &c. non habeatis potestatem imponendi super eos. Hinc patet, Iudeos fuisse servos, & tributarios Persarum; sed Rex eorum hic ab omni tributo, similiue onere publico immunes facit Sacerdotes, Levitas, cæterosque templi ministros.

25. Tu autem Esdra constitue Iudices &c. Ut lites dissidentium in populo iuridice definitant, & judicialiter decidant.

26. Et omnis, qui non fecerit legem, judicium erit de eo sive in mortem. Ecce hic Rex dat Esdræ, & judicibus ab eo e populo constitutis potestatem necis in prævaricatores, quam Iudeis negarunt Romani: illam enim dument Pilato, cæterisque Præsidibus suis concederunt. Unde Iudei dicenti Pilato, ut ipsi Christum secundum legem suam judicarent, responderunt: *nobis non licet interficere quenquam* Math. 27.

## C A P U T   V I I I .

**R**ecensentur per familias Judæi, qui cum Esdræ e Babylone redierunt in Judæam; item vasa, munera, hostiæ, quas DEO obtulerunt.

13. Querant novissimi. Qui ultimo loco se Esdræ associarunt, ut cum eo redirent in Jerusalem.

17. Et misit eos ad Eddo, qui est primus (Princeps) in Chaspia loco. Chaspia erat pagus, vel vicus in Babylone, in quo habitabant Judæi separati a Chaldaeis, cuius pagi, vel vici Princeps erat Eddo.

21. Et prædicavi: indixi, & promulgavi commune jejunium &c. ut peteremus ab eo viam rectam. Ut scilicet DEUS via recta nos salvos, & incoluentes per tot hostes, pericula, & anfractus deduceret in Jerusalem, omniaque nostra prosperaret.

22. Erubui enim a Rege petere auxilium & equites. Credidit Esdras se nimis humilem potentiam DEI ideam Regi ingerere posse, si, quin ulla urgeret necessitas, ad-

versus hostes suos præcavisset; perinde, acsi DEUS eos tueri minime potuisset. Minus incolumentati & suæ, & suorum, quam glorie DEI sui consulebat, de qua & in suorum salute, & in Ethnicorum infirmitate agi arbitrabatur, quibus scandalum se verebatur afferre, si parvam in DEO suo testatum fuisset fiduciam.

27. Et crateres aureos 20. qui habebant (pondus, id est, ponderabant) solidos milenos. Hebr. & Septuag. drachmas mille.

36. Satrapæ elevaverunt populum. Præfecti Persarum exaltarunt Iudeos suo patrocinio, favore, ope, & opibus, promovendo fabricam templi, animando, adjuvando, annonam præbendo, munera offrendo, uti eis præceperat Artaxerxes.

## C A P U T   I X .

**E**sdræ intelligentis, Judeos plurimos uxores alienigenas duxisse, dolor, & preces ad DEUM fuisse.

2. Tulerunt enim de filiabus eorum sibi uxores. Exod. 34. & Deuter. 7. vetuit DEUS, ne Judæi uxores ducerent Chananæas, quæ incolebant terram sanctam, a Chaldaeis oc-

cupandam, idque ob periculum perversionis. Idem iudicium erat de Moabitis, Ammonitis, Ægyptiis &c. nisi uxores prius abiectis idolis ad DEUM verum, & Ju-

dæis-

dæismum se eonverterent: tum enim licebat eas ducere.

*Manus etiam Principum, & Magistratum fuit in transgressione hac prima.* Principes primi duxere uxores gentiles, qui alios ab hoc opere compescere debuissent. Manus enim adhibetur operi, ut illud operemur; atque manu juncta manui solet dari fides mutua mariti, & uxoris.

7. *Sicut in die hac.* Ad hanc usque horam omnes illæ calamitates nos premunt.

8. *Et nunc quasi parum, & ad momentum;* Hebr. *nunc quasi parvo momento.*

Grata facta est deprecatio nostra apud Dominum. Timebat Esdras, ne ob conjugia hæc, cum gentilibus inita, DEUS rursus iratus reditum in Jerusalem impediret, & aliis ærumnis involveret.

Et daretur nobis paxillus in loco sancto ejus. Modica firmitas (paxillis enim, & clavis fixebant tabernacula, ut firma consisterent) habitationis nostra in Jerusalem. Unde Septuag. pro paxillus vertunt firmamentum. Symbolice paxillus significat Principes, & Magistratus, ab his enim pendebat populus.

Daret nobis vitam modicam in servitute nostra: nempe latam, & prosperam, & saltem ex parte liberam: nam servitus & captivitas, in quibus fuerant Judæi, mors potius censemabantur, quam vita.

9. *Et exfrueretur solitudines.* Ita vo-

cat ruinas, & domos desolatas in Jerusalem, quæ jam restaurantur. .

Daret nobis sepem. Sepis nomine securitas, & defensio a noxiis significatur; q. i. a sepes ab agris, & hortis feras, & fures arcent.

11. *Qui repleverunt eam ab ore usque ad os in coquinatione sua.* Totam omnی ex parte, more validis ab imo usque ad summum.

12. *Non queratis pacem eorum, & prosperitatem.* Non sit vobis curæ talus, aut prosperitas Gentilium, vobis vicinorum, nempe si in suis erroribus obstinati manserint.

13. *Et post omnia, quæ transgressoribus legum tuarum juste minatus fueras, jam in nobis 70. & pluribus annis completa:* Quia tu DEUS noster, quo es animo plus quam Paterno in tuos, rursum misericorditer minuisti flagella; & liberasti nos iterum, sicut est hodie, & defacto experimur: idque provide fecisti, ut illecti novo beneficio, & sic magis, magisque tibi obstricti, non iterum ad pristina scelera converteremur.

14. *Nunquid iratus es nobis usque ad consummationem?* Meriti sumus, ut nos plane, & consummate deles de terra.

15. *Iustus es tu:* Exigebat sane iustitia tua, ut funditus reos excinderes: sed misericordia uti maluisti, qua saltē paucos relinqueres a nobis salvos, qui hoc die præsentes hic adsumus in spectu tuo, sed in delicto nostro, rei gra-

gravissimi criminis! Neque stari possest coram te super hoc. Non potest hoc ulla ratione negari, neque excusari, aut defendi, quin in iudicio causa cadamus, judicemur. que peccatores ingratii, & rei læsa Divinitate Majestatis. Quare præ

pudore vultum velamus, in terram prosternimur, flagitantes gratiam, & misericordiam tuam. Talis debet esse pœnitentium sensus, & Oratio; Tale Sacrificium DEO non gratissimum esse non potest, cor contritum, & humiliatum.

## CAPUT X.

**E**sdras mandat dimitti uxores gentilitias; designantur Præfetti, qui hoc mandatum exequantur; Recensentur, qui has coniugio sibi copularunt..

2. Et nunc si est pœnitentia in Israël super hoc, Hebr. & Septuag. Si est spes, Scilicet DEUM per pœnitentiam placandi. Pœnitentia enim est dolor de peccatis cum spe venia; Qui enī non habet spem veniam, non pœnitit, sed desperat instar Judæ.

3. Projiciamus universas uxores, eos, qui de his nati sunt. Nonnulli cum Bellarmino L. 1. de Matrim. putant hæc matrimonia Judæorum cum alienigenis fuisse irrita, & nulla, eo quod Lex Exod. 23. vetans illa, videatur eadem pariter irritare, & annullare. Probabilius Cajet. & alii censem, illa lege fuisse duntaxat verita, & non irrita: lex enim nil tale exprimit, quo significat, illa esse nulla. Dissolvit tamen illa Esdras, quia in lege connubia solvi poterant per libellum repudii, Judæis permisum, ac proinde hoc casu debebant solvi, utpote contra legem inita, & verita propter periculum

idolatriæ. Filios vero suos non abjeciebant absolute, quasi nullam deinceps curam eorum habituri: sed juxta voluntatem, Hebr. & Græce: consilium Domini, & piorum virorum, qui timent legem DEI. Ex horum præscripto dimittebant a se filios ad aliqua pædagogia, ubi a probis Præfectis instituebantur; pauperes e publico ærario, divites e peculio parentum.

5. Et juraverunt. Se uxores alienigenas omnino dimissuros. Magna fuit hæc resolutio Judæorum, seria pœnitentia, & juramentum valde arduum; nam his uxoribus tot annis magno ardore consuerant, easque amabant, ut viscera sua; maluerunt tamen placere DEO, quam uxoribus, imitati Patrem suum Abraham, qui filium suum unicum DEO immolare decreverat.

7. Et missa est vox in Juda. Nempe præconum, qua jubebantur omnes Judæi intra triduum Jerosolymis se

se sistere, sub pena confiscationis omnium bonorum, & publicæ excommunicationis.

9. Et sedit omnis populus in platea Domus DEI trementes pro peccato, & pluviis. Tremebant interius ex conscientia sceleris eos exagitantem, & pariter exterias ob frigora, & pluvias, erat enim mensis nonus, Casleu dictus, qui respondet partim Novembri, partim Decembri.

11. Nunc date Confessionem DEO. Opere ostendite, & re ipsa fateamini, vos velle obedientes esse DEO, & legi ipsius.

16. Omnes per nomina sua. id est de nomine lecti, sederunt ad hæc

dijudicanda, & executioni mandanda: & in his occupati fuerunt toto trimestri: Erant vero hi Judices, qui versu præced. dicuntur super hoc negotio fletisse, seu constituti fuisse publica auctoritate.

17. Consummati sunt omnes. Omnium summa collecta fuit, qui duxerunt alienigenas.

19. Et dederunt manus suas. Polliciti sunt, uxores alienigenas ejiciendas. Dare manum erat pignus maxime solenne, irrevocabile apud Persas, qui tum toti Asia dominabantur.

## LIBER II. ESDRÆ.

**A** Latinis hic liber Esdræ inscribitur, licet a Nehemia conscriptus fuerit; olim enim teste Hieron. unus idemque erat, hodie in duos divisus. Continet gesta Esdræ, & Nehemiac; præcipue, quo pacto Nehemias (cum Babylone agens res afflictas Jerosolymæ didicisset, dejecta mœnia, incensas portas, Judæos in summo luctu, & Gentium omnium opprobrio versari) a Rege impetravit, ut, missis epistolis Praefectos Provinciarum trans Evphratem, juberet ligna omnia Nehemiac præstare, quot quot opus esset in usum templi, mœnium, & ædium Praefecti Regionis. Instaurata urbe, totam Rempublicam optimis legibus stabilivit. Nehemiam fuisse Sacerdotem eruitur ex 2. Machab. i. ubi dicitur: *jussit Nehemias Sacerdos aspergi Sacrificia aqua.* Cæterum ut genere, & sanctitate, ita naturæ donis excelluit; quare potentissimo Persarum Monarchæ Artaxerxi Longimano & charus admodum, & pro Pincerna fuit, seu a poculis: quod officium non nisi primæ notæ Aulicis concedi solet.

## C A P U T I.

**N**ehemias auditis Judæorum in Judæa ærumnis luget, & gemit, ac jejuniis, & precibus DEI opem implorat.

1. *Verba Nehemias*, quem interpretantur: *Consolator Dominus*, vel *Consolator missus a Domino*, significat Christum.

2. *Anno vigesimo Regni scilicet Artaxerxis Longimani*, Persarum Regis, concessa fuit facultas Nehemias instaurandæ Urbis Jerusalæm; sed vigesimo tertio complectum est opus. Qui annus notandus est, quia ab hoc desumitur initium 70. hebdomadarum Danielis.

*Et ego eram in Susis caffro.* Susa erant sedes Regia Artaxerxis, Regumque Persarum, ita dicta a liliis, & liliorum fertilitate; *Susan* enim est lilyum. Hæc urbs erat munitionissima, ideoque vocatur castrum.

3. *Relicti in Provincia*, nempe *Judæa*, in afflictione magna sunt propter vicinos Ammonitas, Arabes, aliosque hostes amicos Judæorum: qui licet antiquas sedes incolerent,

& templi ruinas instaurassent, ramen, quod mœnibus nudatae essent urbes, patebant omnium injariis. Inter alia ergo nuntiatum quoque Nehemias, quod murus Jerusalæm dissipatus adhuc jaceret, & porta ejus combustæ, a tempore quo combusserat eas, & dissipaverat Nabuchodonosor. 4. Reg. ult.

9. *Extrema Cæli*, vocat extremes, seu ultimas terræ Regiones, quæ, quia in nostro horizonte extremæ sunt, videntur etiam Cæli extremitatem contingere.

10. *Quos redemiſti.* De Ægyptica servitute, ac deinceps à ſæpe a jugo Philistinorum, Ammonitarum, Madianitarum &c.

11. *Et da ei*, mihi Nehemias misericordiam ante vitum hunc, Artaxerxes Regem, cuius ego Pin cerna sum, ut ab eo impetrem quod data occasione postulare defidero, scilicet restaurationem Je rosolymæ.

## C A P U T II.

**N**ehemias ab Artaxerxe impetrat facultatem redeundi in Jerusalem, ejusque muros instaurandi: cui rei strenue infisit, frustra hostibus eum impedire conantibus.

1. *In mense Nisan.* Primo scilicet anni Hebræorum, quo semper Paſcha celebrabatur; incidebat in initium veris.

2. *Timui valde*, ne Rex mali quidpiam suspicaretur v. g. proditionem, aut venenum, quæ cum quis animo versat, fere eti am in

in vultu sceleris leguntur notæ.

3. *Rex in aeternum vive.* Opto, ut diutissime vivas. Dicit hoc, ut timorem Regi eximat, sciatque, se nihil contra ejus vitam moliri.

*Civitas (Jerusalem) domus sepulchrorum Patris mei deserta est, & ego non contrister?* Hinc colligo non Judæis modo, sed Persis quoque commendatissimam fuisse sepulchrorum curam: neque enim alias quæsiisset ex eo capite Nehemias potissimum causæ suæ patrocinium. Sepulchra vocat *domos*, quia dominus Hebræis significat quemvis locum, antrum, thecam, loculum, qui aliquod corpus ambit, & continet: sic nidi vocantur domus avium, flumen, & mare domus piscium.

4. *Oravi DEUM Celi brevi oratione jaculatoria, sed ardenti, ut, sicut cœperat, mihi, meisque Regem reddere benevolum ita pergeret, ut postulationi meæ, quam ei propositurus eram, de reædisi- canda Jerusalem annueret.*

6. *Et constitui tempus, quo lapsione rursus affuturum spopondi. Quantum illud fuerit, non exprimitur. Vero simile est, non excessisse terminum unius anni. Licet postea novo indulto ejusdem Regis permissus sit totis 12. annis ducent populi agere in Judæa, in qua Rex operam ejus, & præsentiam sentiebat non utilem, sed necessariam etiam esse.*

7. *Trans flumen (Ephratem) ut traducant me, donec veniam in Ju-*

*dæam. Cis Ephratem erant omnes fere gentes usque ad Judæam, æmulæ, & inimicæ Judæis, ut nolent Jerusalem urbem olim tam potentem, sibique formidabilem restaurari. DEUS enim omnes Regiones a Jerusalem usque ad Ephratem dederat Judæis. Merito igitur Nehemias a Rege petiit, ut curaret salvum se conduci usque in Jerusalem; quod Rex præstítit addendo in tutelam præsidium militum.*

8. *Et epistolam ad Asaph Custodem saltus Regis, qui erat in monte Libano, ut inde darentur mihi ligna, ac per mare in Joppen mitterentur ad fabricam urbis Jerusalem: ita Sanchez. Saltus Regis in Libano in Græco & Hebræo vocatur *Paradisus*. Constat enim ex Xenophonte, Medis olim, & Persis in usu suis amplios, & circumseptos ejusmodi paradisos ad voluptatem & eriam venationem.*

12. *Jumentum non erat mecum, nisi animal cui sedebam.. Ego solus equitabam, socii omnes pedites aderant: ne nocturnus equorum strepitus silentio, & secreto, quod quarebam, officeret: propter quod & noctem delegeram, & modicum comitatum.*

13. *Egressus sum per portam vallis. Non erat illa Orientalis, quæ ducebat ad vallem Josaphat, sed altera occidentalis, quæ respiciebat valles cadaverum, & Calvariae, cui erat proxima Antefontem draconis, qui ad radices montis Calvariae*

**v**ariæ scaturiebat, & teste Andrichomio, hodieum scaturit, sic dictus ob figuram draconis seu lapidei, seu ænei, aquamevomentis.

14. *Et non erat jumentio locus.*  
Omnia enim ruderibus, & ruinis murorum erant impedita.

18. *Et indicavi eis manum DEI,*  
*quod esset bona necum.* Manus symbolum est opis, & auxiliis, item directionis, & protectionis: hanc enim a DEO senserat Nehemias,

tum quod Regens Artaxerxes tam benevolum, & liberalem sibi effecisset; tum quod iter per tot hostes, & difficultates, iis superatis, prosperum concessisset.

20. *Vobis non est pars, & justitia,*  
*& memoria in Jerufalem.* Nihil vobis, qui Samaritani estis, communе nobiscum: neque jus ullum in hunc locum, neque ullius juris aliquando usurpati vestigium, & memoria, Unde non est, cur negotiis nostris vos misceatis.

### C A P U T III.

**D**Escribitur, quam quisque muri partem, quas turrem, quas portas instaurarit.

1. Eliarib Sacerdos magnus, Nepos Jesu, seu Josue, tertius post captivitatem Pontifex. *Ædificaverunt portam gregis.* Initium ædificationis sumptum est a porta orientali, templo proxima, per quam quia pecora inferebantur, ut abluta in piscina probatica inferrentur in templum immolanda, porta gregis appellata est. *Sanctificaverunt eam.* Mundarunt a ruinis, & ruderibus, & profanatione incendii, & restituuerunt pristino nitori, & usui. Vel sensus est, illam dedicasse, & peculiari quadam benedictione sanctificasse.

*Usque ad turrim centum.* Ex Hebreo, & Græco patet esse nomen proprium turris, nempe Meah, neque ibi additur cubitorum, licet subintelligendum videatur.

Quod ad portas attinet, quam hoc capite frequens sit mentio, notandum, duodecim fuisse Jerosolymis primæ nocte portas ex tribus lateribus. Nam ad quartum latus, nempe meridionale, in quo præruptæ rupes montis Sion nullum aditum, aut exitum dabant, nullæ etiam portæ fuerunt. Reliqua vero latera singula quaternas habebant. Orientale portam gregis, de qua dictum. Portam equorum, per quam equi ducebantur aquatum in torrentem Cedron: Portam aquarum, sic dicatum a collectione aquarum fontis Siloe, quam ibidem fecit Ezechias: *Et portam siélelem,* a sigulis, & aquis eorum vicinis sic nominaram, per quam descendebatur ad notioriam Siloe, seu ad stagnum Salo-

Salomonis. Ad Aquilonare latus Urbis erant: *porta Benjamin*, versus hanc tribum dicens. *Porta pis- cium* ita dicta, quod frequentius pisces e mari Galilæo per eam in urbem inferrentur; aut, quod proxima esset toro piscario; *porta ju- diciaria*, in qua sedebant Judices, & judicia, ut nunc in curiis, tam advenarum, quam civium exercebant. Eadem dicitur *porta vetus*, quod vestigia ejus apparerent a tempore Iebusiorum, & Melchi- sedech; & *porta Ephraim* ad eam tribum dicens. Sed hic non no- minatur, uti nec *porta anguli*, quia non egebant reparatione. Unde vers. 8. dicitur: dimiserunt Jeru- salem usque ad murum plateæ la- toris; id est: interniserunt ædifi- cationem per spatum 400. cubito- rum, quod erat inter *portam Eph- raim*, & *portam anguli*. Nam re- center, & valide id instauraverat Ozias Rex, neque Chaldaei illud

demoliti fuerant. Ad latus Occi- dentale erat *porta anguli*, sic dicta, quod in angulo urbis Septentrio- nali, & occidentali sita esset; *porta vallis*, quæ respiciebat valles ca- daverum, & Calvariaæ, cui proxi- ma erat; *porta sterquilinii*, qua sor- des civitatis egerebantur; & *porta fontis* sic dicta a vicino fonte Siloë. Ad has 12. portas Jerusalem allu- fit S. Joannes Apocal. 21. v. 12. ubi totidem Jerusalem coelestis portas recenset.

16. *Usque ad domum fortium*. In qua habitabant triginta fortissimi heroës Davidis, ac postea eorum successores. Unde velut quod- dam Seminarium erat illorum, qui in arte militari futuris bellis para- bantur. Tota vero urbs Jerusa- lem in vicos, seu Regiones distri- buta erat, cuique vico præterat Præfectus, quorum munus erat, urbem tueri, & tumultus compo- nere.

## C A P U T IV.

**J**udæi una manu fabricant, altera gladium tenent, ut Samari- tanos incurstantes repellant: quare Nehemia instante, & oran- te, fabrica murorum, & portarum absolvitur.

2. Num dimittent Judæos Gentes? id est: an permittemus, ut Judæi sua mœnia restaurent?

Num sacrificabunt, & complebunt in una dic? An putant brevissimo tempore se posse inchoare, & per- ficerre fabricam tantæ urbis? ne- uitquam, nam tempestive occur- remus, eosque inturbabimus,

Nunquid edificare poterunt lapides de acervis pulveris, qui combusti sunt? Restituentne in pristinum statum, in primam duritatem, & formam lapides per Chaldaeos redactos in- cendio in pulverem? quasi dice- rent: Judæi tentant rem perdiffi- cilem. 3. Si ascenderit vulpes, tran- filiet murum eorum: Hebr. vulpes

*ascendet, & dirumperet murum lapideum eorum. Est sarcasmus, & hostilis irrisio.*

5. *Ne operias iniquitatem eorum.* Scilicet oblivione, cum enim parcit DEUS, tegere peccata dicitur, vel delere; detegere vero, vel aperire, cum punit. Non petit ergo hic Nehemias, ut DEUS non ignoscat culpam pœnitentibus, quod impium esset: sed ne pœnam impenitentibus condonet. Imo verius sermo hic fuit prophetia supplicii, quo DEUS castigavit hostes Israëlis.

7. *Obducta cicatrix, partes dirutæ, instauratae, & muri hiantes, rimas agentes, & vetustate sublapsi reparati.*

10. *Dixit autem Judas. Judæi: debilitata est fortitudo portantis, verba sunt in labore fatiscentium, & de bono exitu propemodum desprantium.*

17. *Et altera tenebant gladium. Figurata locutione significatur, Judæos sic operi intentos fuisse, ut*

gladio accincti parati essent ad defensionem. *Tropologice significatur: dum orationi, aliive pio operi (qua fabricam spiritualem meritorum in anima construimus) insistimus, altera manu teneamus gladium mortificationis, quo carnis tentationes, diaboli, mundique suggestiones, vanæ gloriae, superbie, invidiae, gulæ, libidinis &c. a nobis repellamus, imo penitus amputemus.*

22. *Unusquisque cum puero suo, seu famulo, maneat in medio Jerusalem. Nemo exeat extra urbem, cum nocte vigilandum sit, & de die laborandum.*

23. *Unusquisque tantum nudabitur, seu vestibus subinde exuebatur, ad baptismum, ad lavandum seu corpus, seu vestes, partim ob immunditiam legalem, quam ex conversatione cum gentilibus facile contrahebant; partim ob calorem, indeque sudorem, & foetorem, aliasque sordes, quas in continuato opere, & vigilia paulatim contrahebant.*

## C A P U T V.

**I**N pauperum copia, & clamore Nehemias opulentos avaros obligat, usuras vetat, sua pauperibus largitur.

3. *Domos nostras opponamus. Oppignoremus fœneratoribus nostris.*

4. *In tributa Regis. Ut habeamus, unde tributa Regi Persarum pendere possimus.*

5. *Et nunc, Subaudi, valde iniuste a Judæis ditionibus exhausti. Nam sicut carnes fratrum nostrorum, sic carnes nostræ sunt, & sicut filii eorum, ita & filii nostri. Nos, & filii nostri duram hic fer-*

vimus servitutem, similem illi, quam serviunt fratres, id est, contribules nostri, qui in Babylone, & Perside remanserunt, idque ditorum Judæorum injuria, qui nos fratres suos pauperes usuris, & filiorum venditione opprimunt.

7. Congregavi aduersum eos (divites usurarios) concionem magnam. Cœtum totius populi, ut coram eo a me reprehensi usuras dimitterent.

11. Centesimam pecunia, frumenti, vini, olei, quam singulis mensibus pro fœnore exigere soletis ab eis, date pro illis, seu condonate: aut ut in Hebreo est: reddite. Dabant enim pauperculi omnia sua fœneratoribus oppignorata, donec pretium, quod ab illis acceperant, integrum redderent: interim singulis mensibus centesimam illius pretii partem, hoc est duodecim pro centum pendere cogebantur. Et hæc usura centesima vulgo vocabatur.

12. Et vocavi Sacerdotes, quotquot ejusdem sceleris rei erant, quos ob reverentiam Ordinis Sacerdotalis nolui coram populo confundere: sed privatim adjuravi eos, ut idem facerent, addita imprecatione excuso sinu meo vestis extinxerent.

13. Sic excutiat DEUS de domo sua. Sicut vestis, cum excutitur, libera, & vacua manet a pulvere, sic, qui nollet usuras condonare pauperibus, omni fructu, preventuque laborum suorum vacuus fiat, & de domo quoque sua excutiatur.

18. Et inter dies decem vina diversa. Decimo quoque die convivium celebrabam splendidius, vina varia, & copiosa curabam, & alia multa exhilarandis, animandisque omnibus tribuebam de meo.

## C A P U T VI.

Hæc ostes Judæorum Nehemiæ tendunt insidias: minantur accusacionem affectati ab eo regni: Pseudo-Prophetas contra eum submittunt: proditores subornant, sed omnia hæc dissipavit Nehemiæ prudentia, & animi magnitudo.

7. Et Prophetas posueris, qui prædicent de te in Jerusalem dicentes: Rex in Judea est. Criminantur Nehemiæ, quod se velit Regem facere, ideoque Prophetas subornet, qui populo vaticinentur, id ipsum velle DEUM, ut Judææ, quæ tot annis Regibus caruit, jam suus Rex restituatur; ita

10. Et egressus sum domum Semaiæ filii Dalaïæ secreto. Semaiæ erat Sacerdos de vice Dalaïæ, quæ ordine erat vigesima terria, atque domi manebat, quasi studio, & orationi deditus; unde Sanaballat eum pecunia corrupit, ut quasi vir Religiosus, imo Propheta Nehemiæ ad se evocaret, eique vaticinans me.

metum hostium incuteret, ideo que fugam suaderet, idque hoc fine, ut Nehemiam probro timeditatis afficeret, & populo contemptibilem redderet; imo, ut Nehemia timente, & fugiente, timeret pariter, & fugeret populus.

11. *Num quisquam similis mei fugit? Indecora est fuga Principi, itaque quod suades, non faciam.*

12. *Et intellexi, vel solertia, & sagacitate ingenii mei, vel ex revelatione DEI ipsum venditare, se esse Prophetam, & ut talem vaticinari ruinas hostium, cum revera esset Psevdo-Propheta pretio subornatus a Sanaballat, ut me terrendo, populo redderet vilem, & exosum.*

13. *Ut territus oraculo ficto, tanquam timidus, aut sceleris conscientius*

in templum confugerem, quasi ad asylum. *Et peccarem in DEUM per dissidentiam, in populum per pusillanimem fugam.*

14. *Sed & Noadie Prophetæ Hebr. Prophetissa, & plurium aliorum Psevdo-Prophetarum, falsorum fratum etiam Judæorum opera ad me terendum, atque a cœpto opere abstrahendum usi fuerunt. Sed in vanum omnia. Nam*

15. *Compleatus est murus 25. die mensis Elul. Qui est mensis sextus Hebræorum, & respondet partim Augusto, partim Septembri, non impensis toti operi ab initio usque ad finem, nisi 52. diebus. Quod in opere tam vasto merito admirata sunt omnes gentes vicinæ, unde stupore, ac terrore attonitæ exclamarunt: a DEO factum est hoc opus.*

## C A P U T VII.

**C**inctæ jam mœnibus urbi custodes designat Nehemias. Recenset, qui olim cum Zorobabele e Babylone redierant, & dona in fabricam collata.

2. *Præcepi Hanani fratri meo, cognato, Et Hananiae Principi (id est Præfecto) Domus, scilicet palatii Regii, ut est in Hebræo, in monte Sion. Hos duos, utpote præ cæteris viros veraces, & timentes DEUM, Nehemias posuit custodes urbis Jerusalem.*

3. *Cumque adhuc assisterent. His præsentibus, & assistentibus, claudebantur portæ, & mane nonnisi claro die aperiebantur.*

5. *DEUS autem dedit in corde meo. Dedit mihi consilium supplendi paucitatem incolarum in Jerusalem: nimirum recensendo catalogum eorum, qui cum Esdra e Babylone redierant, & juxta eum illos evocando, & invitando ad incolendam Jerusalem; quod re ipsa per sortem factum fuisse audiemus Cap. 11.*

70. *Nonnulli autem de Principibus. Hic est catalogus eorum, qui dona ad fabricam contulerunt.*

C A.

## CAPUT VIII.

**E**sdras prælegit, & explicat populo Legem DEI. Tabernaculum festivitas celebratur.

1. Dixerunt Esdræ, ut afferret librum Legis Moysî. Hoc nomine intelligunt Pentatevchum, & præcipue Deuteronomium. Non dicunt: instaura librum de novo; vel recens ede in lucem: sed affer e scrinio, vel gazophylacio. Neque enim, ut quidam imaginati sunt, perierant, & flammis absumpti fuerant omnes libri legis in excidio templi, & urbis Jerosolymitanæ, ut opus esset de novo eos instaurari per Esdram; Hic ergo eos correxit, & in meliorem ordinem redactos aliis characteribus descripsit.

3. Et legit in eo aperte: & vers. 8. dictinete, & aperte ad intelligendum Hebr. ponendo intellectum, ita, ut vulgus intelligeret, quod legegebatur. Nam quæ Hebraice scripta erant, ipse lingua vulgari Syrorum pronunciabat. Neque enim Judæi, ex quo Babylone redierunt, amplius locuti sunt Hebraice, sed Syriace, mixta nempe lingua ex Hebraica, & Chaldaica. Puræ vero Hebraicæ linguae usus in sacris tantum libris, & divinis officiis permanxit. Unde,

ut a vulgo intelligerentur libri Moysis, opus fuit, ut Syriaca, id est vulgi lingua prælegerentur.

9. Flebat enim omnis populus, cum audiret verba legis. Quia videbat legis ruinas, puta clades omnis generis sibi accidisse ob ejus prævaricationem, in iisque se adhuc magna ex parte perdurare ab initio captivitatis Babylonicae usque ad annum 20. Artaxerxis, quod erat spatium 147. annorum.

10. Ite, comedite pingua. Lautius epulemini. Sic etiam Christiana Lex vetat jejunium die Dominicano ob festi lætitiam.

16. Feceruntque tabernacula in domate suo. Id est in tecto domus suæ, seu solario. Tecta enim apud Hebraeos erant plana, ut in illis sub Dio stare, ambulare, sedere, & dormire possent. Clima enim Judææ est calidum, & siccum, unde ejus incolæ noctu in tectis frigidum aërem, sudumque captant. Omni autem loco poterant ea tabernacula figi, dummodo sub Dio.

## CAPUT IX.

**J**udæi in jejunio, & sacco confitentur peccata DEO. Levitæ celebrant prisca beneficia, quibus DEUS cum malefatis populi certavit: ac fœdus inter DEUM, & populum revocant.

1. *Humus* (id est pulvis, & cinis) super eos. Tria hic adverte pœnitentiæ signa, & symbola: aspersioneum cineris, qua viles se profitebantur: publicum, & solenne jejuniū; fäccum, seu cilicium.

2. *Separatum est semen filiorum Israël* &c. Separarunt se ab uxori-bus gentiliis, ac filios, quos ex eis procrearant, separarunt ab eis, quos ex uxoribus Israëliticis suscep-terunt.

7. *Elegisti Abraham, & eduxisti eum de igne Chaldaeorum.* Dices Hebr. & Septuag. habent de Ur Chaldaorum. R. Ur. vox Hebræa ignem significat. Unde in nonnullis Biblīis hoc loco ignis scribitur per majusculam, tanquam nomen proprium. Potest tamen accipi pronome non proprio, sed appellati-vo, ut significet ignem, affli-ctionem, pressuram: Multas enim afflictiones passum esse Abraham a Chaldæis, eo, quod nollet adorare ignem, quem ipsi, & que ac Persæ ut DEUM colebant, testatur Joseph L. 1. antiquit. 8.

15. *Levasti manum tuam.* Jura-sti.

17. *Et dederunt caput.* Vatablus: & elegerunt id est: eligere volue-runt, *Ducem*, qui eos reduceret in

Ægyptum ad pristinam servitu-tem Num 14.

29. *Dederunt humerum recedentem,* averterunt humeros ab onere.

32. *Ne avertas a facie tua*, ne contemnas, aut negligas omnem laborem, seu molestiam, & miseri-riam nostram, a diebus Regis Assur, qui decem tribus anno sexto Eze-chiæ captivas abduxit in Assy-riam.

33. *Veritatem fecisti.* Verè dedi-sti præmia, quæ promiseras, & pœnas, quæ transgressoribus com-minatus fueras.

37. *Fruges multiplicantur Regibus.* Judæa multos quidem profert fru-etus, at non nobis, sed Regibus Persarum, quibus eos pro tributo solvere cogimur.

38. *Super omnibus ergo his:* Pro-pter omnia hæc, ut nostri deinceps misereri pergas; en novo fœdere, fideli, & constanti nos tibi obstringimus, quod velimus mandatis tuis æternum parere. Et scribimus, literas, hujus fœderis te-stes, obsignari omnium nomine curabimus ab iis, qui in Republi-ca nostra, & Ecclesia primas te-nent, quorum nomina sequenti Cap. recensentur.

C A-

## CAPUT X.

**E**orum nomina, qui instauratum cum Domino fœdus signarunt.  
Instituta quedam quoad legum observationem.

28. Qui se separaverunt de populis terrarum ad legem DEI. Qui de Gentilismo conversi sunt ad Judaismum, factique proselyti.

29. Omnes, qui poterant sapere. Quotquot in ea xstate constituti erant, ut sui compotes essent. Spondentes erant pro fratribus suis optimates. Neque enim omnes de populo, neque omnes Sacerdotes, & Levitæ obsignarunt propria manu pactum: sed qui in quoque ordine Principes erant, signarunt nomine, & vice aliorum.

31. *Dimittemus annum optimum:*  
Sive Sabbaticum, quo agros non colemus, sed sponte ex eis nata pauperibus relinquemus. Juxta legem Exod. 23.

*Et exactiōnē universā manus.* Dimittemus pariter debitoribus ea, quæ per syngrapham manus eorum nobis sunt debita, ita, ut anno septimo ea non exigamus, ut eadem lex jubet.

33. *Et in sanctificatis.* Nostris pacificis, has enim distinguit ab oblationibus pro peccato, de quibus proxime textus loquitur.

34. *Sortes misimus super obligatiōnē lignorum.* Ligna, quæ ad Sacrificia necessaria erant, partim Sacerdotes, partim Levitæ, partim populus tribuisse videntur. Sorte ergo statutum est, quo ordine, quibus hebdomadibus, vel mensibus quilibet ligna præbere

deberent. Lyranus tamen putat ligna a populo tantum fuisse tributa, Sacerdotes vero per vices ignem subiectis lignis in altari nutritivisse; Levitas vero, sub quibus comprehendit Nathinæos, ligna intulisse per vices, ut sors obvenerat.

35. *Primogenita terræ:* Primitias fructuum juxta legem Exod. 23. *Primitiva fructus omnis ligni.* Fructus arborum primis tribus annis immundi erant, nec illis vesci licet Levit. 19. Qui colligebantur anno quarto, domino sanctificabantur, & de his est hic sermo.

37. *Decimam partem terra.* Decimas fructuum terræ; nec enim Levitæ terram possidere poterant; sed tantum ex ea fructuum decimas accipere.

*Operum nostrorum.* Judæi quoque decimam partem proventuum ex laboribus suis Levitis solverunt.

38. *Erit autem Sacerdos filius Aaron cum Levitis in decimis Levitarum.* Sacerdotes filii Aarons habebunt partem decimarum cum Levitis nimirum decimam decimæ. Nam ut sequitur: *Levite offrent decimam partem decimæ suæ in domo DEI.* Igitur decimam decimarum suarum partem Levitæ dabant Sacerdotibus; Sacerdotes vicissim decimam decimæ suæ dabant Pontifici, qui proinde valde dives erat, & opulentus.

39. Et non dimittemus Domum DEI. Curabimus omnia, quæ ad templi usus, & Sacerdotum, ac Levitarum sustentationem perti-

nent. Hæc ergo se facturos jurant, quia in eis significaciones extiterant.

## CAPUT XI.

**I**Nstaurata jam urbe Jerosolyma recensentur incole illius, & reliquarum Civitatum Juda.

1. Habitaverunt autem &c. Statutum est, ut populi Principes habitarent Hierosolymis, præter eos, qui in hac Metropoli sedem sibi eligere voluerint; Reliqua vero plebs misit sorteem, ut decima pars habitaret in Jerusalem.

2. Benedixit autem populus, eos populus laudavit, qui quasi æmulantes gentis suæ gloriam, & metropolim honorantes, & contra hostes roborantes, in Jerusalem habitare elegerunt.

16. Josabed super omnia opera, quæ erant forinsecus. Hic videlicet præserat culturæ agrorum, item curæ vasorum ad templum pertinentium, quorum adaptatio a Principibus Levitarum facienda erat.

17. Principes ad laudandum. Praepositus Cantorum, & Praefectus instrumentis musicis.

22. Episcopus Levitarum. Hebr. Princeps Septuag. vertunt ἐπιστροφος, quod Inspectorum significat.

Quo sensu Cicero ad Atticum, A populo, ait, se constitutum Episcopum ora maritimæ.

23. Præceptum quippe Regis super eos erat. Artaxerxes præcepit, ut Levitæ quotidie per vices juxta ordinem a Davide, & Salomone institutum DEO in templo psalmos, & hymnos concinerent.

24. In manu Regis juxta omnem verbum populi. Hebr. Erat ad manum Regis, ad omnem negotium populi. Id est: a Rege constitutus erat Phatthalias, ut ejus nomine una cum Duce populi determinaret causas populi Judaici

36. Et de Levitis portiones. Pars quoque Levitarum obtinebat portiones suas inter reliquos Israëlitas per totum circulum tribus Iude, & Benjamin. Quia non in sola urbe Jerosolyma, sed & extra illam immixti cæteris Levitæ degabant.

## CAPUT XII.

**S**Acerdotes, & Levitæ, qui venerant cum Zorobabel, recensentur. Murus Civitatis dedicatur; custodes thesaurorum assignantur.

10. & 11. Recensentur sex Summi Pontifices, quorum primus Jo-

sue, vel Jesus præfuit tempore Cyri, Persarum primi Monarchæ: Idem

Idem occurrit Alexandro Magno dira Judæis minanti, eundemque placavit. Sed id contigit facile centum annis post Artaxerxis tempora, & diu post mortem Nehemias. Unde probati Authores censem hunc versum 11. uti & 22. ab alio Scriptore Hagiographo, vel a Synagoga Judæorum, quæ tum regebatur a Spiritu Sancto, ad ostendendam continuam Pontificum successionem toto tempore regni Persarum, usque ad tempora Alexandri, a cuius gestis incipiunt libri Machabæorum, ut continuam Israëlis, hoc est Reipublicæ, & Ecclesiæ DEI historiam pertexant per Machabæos Principes, & Pontifices usque ad Christum.

27. In dedicatione autem muri, addere: & urbis Jerusalem. Vel dic, per murum hic non sola mænia intelligi, sed etiam muros ædium, paliorum, & vicorum urbis. Nam his instaurandis statim ab exstructis mœnibus totus incubuit Nehemias.

mias, atque teste Josepho a reparatione mœnium, urbi usque ad dedicationem solemnem, annos duos, & menses tres impedit. A qua dedicatione desumitur initium 70. hebdomadarum Danielis; quia tum demum, & non ante verum fuit, exitum habuisse sermonem, seu completum fuisse decretum de iterum ædificanda Jerusalem, & de platea, id est interiore habitatione de novo instauranda. Et secundum hunc calculum respondent adamassim omnes anni usque ad passionem Christi.

30. Mundaverunt portas, & murum, aqua lustrali, oratione solemnis, & Sacrificio.

46. Sanctificabant Levitas. Dabant his Judæi partes sanctificatas, nempe decimas. Et ex his decimis sanctificabant Levitæ filios Aaron, id est Sacerdotibus suam decimam dabant. Sanctificare ergo hic sumitur pro dare, quod sanctum, seu sacrificatum est.

## CAPUT XIII.

**L**Exo de more Deuteronomio rursus separantur a Judæis alienigenæ, etiam Tobias, et si affinis Summo Pontifici; Decimæ Levitis instaurantur; Sabbati violatores, & qui Gentilibus matrimonio juncti erant, puniuntur a Nehemia, e Perside iterum reverso.

1. Amonites, & Moabites non debent introire in Ecclesiam DEI. Lex Deuter. 23. vetat eos admitti ad eminentiam, & magistratum in

populo DEI; poterant tamen fieri proselyti, ac ita cum Judæis templum ingredi, & sacris interesse.

4. Super hoc erat Eliasib - - Praepositus in Gazophilacio domus DEI, & proximus Tobiae. Eliasib Pontifex plus favens carni, & sanguini, quam legi DEI, cum esset affinitate junctus Tobiae Ammonitae, primarium officium ei detulit: nam

5. Fecit sibi. Hebr. & Græc. fecit ipsi Scil. Tobiae, gazophylacium grande, Palatum in vestibus templi, fecitque eum loco, & nomine suo præpositum omnium decimorum, & primitiarum, quæ Levitis, & Sacerdotibus advehebantur, quo officio insuper maligne in suum commodum usus est. Sed tanto malo occurrit Nehemias, simul atque e Perside in Judæam reversus est, & amoto Tobia, etiam

8. Vasa domus. Omnem supellectilem Tobiae ejecit, domumque a profanarum rerum sordibus repurgavit, & sacris usibus restituit, ut, astervando vino, oleo,

thuri, &c. ad sacrificium pertinentibus.

19. Cum quievissent portæ Jerusalēm in die Sabbati jam inchoante. Nam Sabbatum inchoabatur vespera feriæ sextæ, seu diei Veneris, jussit Nehemias claudi portas, usque post finitum Sabbathum. Mox etiam edicto cavit, ne ad urbem, seu ante portas urbis quidquam eo die afferretur.

21. Manum mittam in vos. Puniam vos, & merces fisco addicam.

24. Filiæ ex media parte. Hebraice medietas, id est media pars filiorum loquebantur juxta linguam populi, eorum populorum, ex quibus fratres erant, lingua loquebantur filii.

25. Et maledixi, anathematizavi, & excommunicavi talium filiorum parentes; imo eos cecidi flagellis, & decalvavi ob enormem legis tam notæ contemptum,

## LIBER TOBIAE.

**P**RÆSENS Liber moralis Doctrinæ penus ditissima, & usui Concionum apprime idonea est. Ab argumento, quod tractat, Liber Tobiae nuncupatur. Ab Hebræis in Canonem suum receptus non est, eo, quod primum non esset conscriptus lingua Hebraica, sed, ut S. Hieronymus censet, Chaldaica. Neque ipse Hieronymus Canonis Scripturæ voluminibus accensuit. Nihilominus jam a mille ducentis annis a SS. PP. Irenæo, Isidoro, Ambrosio, Augustino, Cypriano, Chrysostomo, aliisque pro Canonicō habitus, & Ecclesiæ judicio in variis Conciliis, præsertim Tridentino pro Canonicō approbatus fuit; Unde non amplius fas est de ejus auctoritate dubitare, quid-

quidquid heterodoxi Cavillatores ogganniant. Auctorem Libri plerique existimant fuisse utrumque Tobiam; tum Seniorem usque ad Caput 12. tum Juniorem usque ad Caput 16. Idque hortatu Archangeli Raphaëlis, suadentis Cap. 12. v. 20. ut enarrarent mirabilia DEI, quibus cætera ad finem libri adjecta fuere ab incerto Authore.

## CAPUT I.

**T**Obiae genus, patria, paerilis, ac virilis etas, & virtutes: gesta in Niniue, & aula Regis Assyriorum.

1. Tobias Hebraice idem significat ac bonus Dominus, vel bonitas Domini. Ex tribu, & Civitate Nephtali. Hæc urbs a Septuag vocatur Tisbe, crediturque ex ea fuisse Elias, qui in sacris literis voca Tesbitæ.

3. Ita, ut omnia, que habere poterat, quotidie concaptivis fratribus (Israëlitis) qui erant ex ejus genere, impertiret. Laudatur hic Tobias ante conjugium a septem virtutibus: 1mo. A constantia in fide. 2do. a charitate in suos cives, & contribubles. 3to. quod fugerit malorum consortia. 4to. de observantia legis Divinæ. 5to. a pietate in DEUM. 6to. quod fideliter DEO offerret omnes decimas, & primitias. 7mo. quod a pueru cætera legis præcepta servaret.

9. Cum autem factus esset vir &c. Hic septem rursus ejus virtutes recensentur, quibus post conjugium initum claruit: 1ma. Pia filii institutio v. 10. 2da. Abstinentia a cibis gentilium v. 12. 3ta. quod memor fuerit DEI in

toto corde suo v. 13. 4ta. quod concaptivis monita salutis daret v. 15: 5ta. Quod Gabelo egeni magnum argenti pondus mutuum dederit v. 12. 6ta. quod in persecutione Sennacherib suos animaverit, omnique ope, & opera adjuverit v. 19. 7ma. quod esurientes aluerit, nudos vestiverit, mortuos sepeliverit v. 20.

13. Dedit illi DEUS gratiam in conpectu Salmanasar Regis. Qui Tobiae tria præsentim præstirit; primum: potestatem eundi quo vellet, & faciendi quodcumque vellet vers. 14. alterum: dona & munera amplissima contulit vers. 16. Addunt Hebræa, & Græca tertium, nempe officium Aulicum, seu Palatinum: nam dicunt fuisse ἀγοραῖν Regis, id est emptorem, seu Procuratorem domus Regiæ, ut olim Josephus in Ægypto. Defuncto autem Rege cum filius ejus Sennacherib Successor Judæos omnes odio haberet, & maxime tum, cum in gratiam Judæorum a DEO per angelum horrenda clade affectus esset, ut refertur 4.

Reg. 19. ideoque in omnes, cum in Niniven rediisset, crudeliter sàvirer, etiam Tobias ad mortem deposcebatur, & omnia ejus bona fisco addita sunt. Sed 45. die a reditu Niniven occiso a propriis filiis tyranno, Tobias quoque amissa ante bona sua, sed non officium pristinum recepit. Addit Hebræa, & Græca, bona hæc Tobiam recepisse, potissimum opera Achiacbari, quem alii Achior vocant,

nepotis sui ex fratre Anaele, in paucis chari Assar-Addon filio, Sennacherib, & successori, quem is primo suum Pincernam, secundo, ab annulo Regio, ut velut sigillifer epistolas regias obsignaret, qualis fuit Mardochæus apud Assverum; tertio totius imperii Assyriorum Gubernatorem; denique secundum a se, sive Vicarium suum esse jussit.

## C A P U T II.

**T**Obias ex sepultura fessus obdormiens, stercore hirundinum excoecatur. Ab uxore, & amicis convitiis affectus, omnia velut alter Job mira excipit patientia.

1. Cum esset dies festus, nempe Pentecostes, ut habet Hebræa, & Græca.

10. Quadam die. Græc. eadem illa nocte, quæ festum Pentecostes subsecuta est, a sepultura rediens dominum suam, neque tamen ingredi volens, quod contactu cadaveris immundus factus esset, extra dominum juxta parietem se abjiciens obdormivit.

11. Et ex nido hirundinum dormienti illi calida stercora incidenter super oculos ejus, fieretque cœcus. In Græco est: Εγανακτησαντες in muro erant verum vox ερεθιον omne genus avicularum complectitur, ut notat Serarius. Albertus Magnus ait, stercus hirundinum, quando calidum est, cœcitatem afferre posse; at cum est

frigidum, utiliter adhiberi ad oculorum nebulas curandas. Quod nequaquam a fide abhorret, eadem enim medela & curare potest, & accensionem parere pro vario caloris, quem habet, cum admovetur, gradu. Acredo hujus stercoris in certo gradu caloris excoecare potest, torrendo corneam; at cum acredo ipsa, & calor mitiores sunt, nebulam absumere possunt, eamque a superiori oculi parte diducere.

20. Hædum accipiens. Anna supra debitam mercedem, ut habet Hebræa, & Græca; cumque Anna id affirmanti non tam cito crederet maritus, illa viruni sanctum risit, ejusque paupertatem, & cœcitatem cum Sarcasmo exprobrabat. Discenda hic est heroï.

heroica patientia, & in Divinam voluntatem resignatio, a qua adversa immittuntur, ut justi vel a vitiis penitus purgentur, vel in virtute perficiantur, ac per meritam coronam gloriae augeant. Ita

justo Abel, Abrahamo, Joseph, Susanna, Davidi, & aliis evenit. De Tobia S. Aug. serm. 220. de tempore, inquit: *ad hoc cœcitatibus incurrit exitium, ut angelum suscipiat medicum.*

## CAPUT III.

**T**obias irrisus ab uxore, Sara ab ancilla gementes, & orantes a DEO exaudiuntur; qui proinde mitit S. Raphaëlem ad utrumque curandum.

2. *Omnis via tua.* Duplex est via Domini. Una, qua ipse ambulat: & sunt actiones ipsius, seu opera, quibus ad præstitutum sibi finem, sui videlicet nominis gloriam, adeoque seipsum tendit. Altera, qua nos ad ipsum ambulamus: & sunt ipsius mandata, monita, consilia, quorum observatione ad ultimum finem nostrum, seu ad æternam felicitatem deducimur. Ambæ viæ sunt, misericordia, veritas, & judicium (phrasè Hebraica ponuntur abstracta pro concretis) id est, sunt misericordes, veræ, & justæ.

7. *Sara in Rages civitate Medorum.* In Græco textu est in Ecbatanis. Nam etiam Ecbatana Rages dicebantur, ut ex Scriptoribus etiam profanis ostendit Serarius. Duæ itaque erant in Media Urbes, quæ Rages dicebantur; altera, in qua habitabat Sara Raguelis filia, de qua hoc versiculo; altera, in qua Gabelus Tobiae debitor, de qua Cap. I. v. 16.

8. *Dæmonium, Græce pessimum dæmonium, nomine Asmodæus,* quem Hebræus textus Regem Dæmoniorum vocat, Princeps in ea Regione omnium dæmonum, qui homines ad libidinem inflammant;

*Mox ut ingressi fuissent ad eam.* Græce: *antequam essent cum ipsa, ut in uxoribus.* id est: antequam congrederentur. Non enim permisit DEUS Sarah tam castam a tam incestis tangi, sed ante tactum eos per Asmodæum occidit, eo, quod vellent effræni libidine eam invadere.

9. *Interfectrix virorum tuorum.* Gravis fuit hæc contumelia in Sarah ab ancilla, vel ut in Græco est, ab ancillis jactata, præter quam etiam sterilitatem perpetuam ei imprecabantur.

15. *Desuper terram eripias me.* Multorum, & gravium malorum concursus etiam Sanctis hominibus affert nonnunquam mortis, tanquam minoris mali desiderium. Sic affecti erant Moyses

Exod.

Exod. 32. Elias 3. Reg. 19. Job Cap. 3. N. 15. S. Paulus 2. Corinth. 1. Semper enim conditio tacita intelligitur: *Si DEO placeat.* Ex quo solvitur apparenſ illa antilogia, qua infra dicitur v. 24. exaudita ſunt preces amborum, cum tamen Tobias, qui etiam mortem a DEO precatus fuerat, adhuc viixerit 42. annis: nimirum cum reſignatione in DEI voluntatem, quod omnium proborum eſt, oravit, ſi ad DEI gloriam, aut ſuam ſalutem conducibilius videretur.

17. *Nunquam mifciū me cum ludentibus.* Hugo choreas ducentes

intelligit; & vero ſic ludendi verbum etiam accipitur Exodi 32. Satius tamen eſt hujus verbi generalē ſignificationem retinere, ut omne puellaris ludi, & laſciviaz genus complectatur.

25. *Missus eſt Angelus -- Raphaël, ut curare eos ambos.* Tobiam quidem a coecitate liberando, Saram vero, alligando Aſmodæum, Reete missus Raphaël, cujuſ nomen medicinam DEI ſignificat. *Mystice* Raphaël eſt Christus magni conſilii angelus, qui venit in mundum in utroque ſexu curaturus genus humanum.

## C A P U T IV.

**T**obias moriturus, ut ſperabat, filium ultimis virtutis, ſalutisque monitis iuſtituit.

2. Audi fili mi! duodecim numero aurea plane monita Tobias senior filio ſuo ceu meliorem hæreditatem reliquit. Primum eſt de pietate tam Patri, quam Matri in vita, & post mortem exhibenda vers. 3. 4. & 5. Secundum de Religione erga DEUM v. 6. & 20. Tertium de eleemosyna v. 7. & 17. Quartum de fulga fornicationis, & castitate v. 13. Quintum de fuga superbiz, & humilitate v. 14. Sextum de iuſtitia, & mercede operariis iuste statim persolvenda v. 15. Septimum de Talione, ut nemini faciat id, quod ſibi fieri nolit v. 16. Octavum de cura pro mortuis v. 18. No-

nim de prudentia, ut nihil faciat ſine conſilio viri sapientis v. 19. Decimum de affidua DEI memoria, invocatione, & laude v. 20. Undecimum de providentia alendæ familiæ repetendo pecuniam Gabelo mutuo datam v. 22. Duodecimum, ut paupertatem ſuam ſoletur ſpe in DEUM, qui ſperantes in ſe ditat.

11. *Eleemosyna ab omni peccato, & a morte liberat æterna.* Intellige eleemosynam hæc operari veluti dispositive, inquantum majorem gratiam impetrat, qua ſenſim peccator provehatur ad hæc conſequenda. Secundo eleemosyna rei ipsa poenas peccato debitas delet, &

& a morte æterna liberat, si cætera omnia adsint, quæ Scriptura alibi ad talem effectum requirit, uti sunt *fides, spes, penitentia, caritas.*

18. *Panem tuum, & vinum super sepulturam justi* (Judæi, non Gentilis) *constitue.* Hebræi super mortuorum tumulos posuerunt vinum, & carnes, id quod olim Romæ, etiam inter Christianos, & in Africa consuetudo obtinuit, non quod crederent defunctorum animas cibo, aut potu indigere, sed ut his cibis recreati pauperes pro anima defuncti ad DEUM preces funderent. Ex quo patet semper in Ecclesia viguisse morem juvandi

animas, in flammis piacularibus detentas. Quia tamen in hac ciborum appositione fideles Gentilium ceremonias imitari videbantur, multique abusus in ejusmodi epulis, quæ in cœmeteriis celebraabantur, contingebant, consuetudo sublata est, & elemosynæ in domo defuncti distribuuntur. In sensu allegorico *panem, & vinum* supra sepulturam justi constituere, est (interpretè S. Ambr. L. 7. in Lucam) *Sacrificium corporis, & sanguinis Christi pro defunctis offerre*; nullo quippe alio pio opere juvantur magis animæ defunctorum, purgatorio carcere detentæ, quam Eucharistici Sacrificii oblatione.

## C A P U T V.

**R**aphaël se se offert comitem Tobiae Juniori usque in Rages.

5. *Invenit Juvenem splendidum.* Erat is Raphaël Angelus, ut Juvenis ob robur utopte immortalis, æternus, immutabilis, ideoque nunquam senescens, aut deficiens. *Stantem præinctum,* quasi ducem viæ. Est enim Raphaël Præses viarum, & viatorum.

18. *Ego sum Azarias Anania magni filius.* Witakerus dicit, Angelum hic mentiri. Sed absit: nam præferens formam, & similitudinem Azariæ, vere poterat dicere se esse Azariam. Sicut Genes. 31. & alibi, quia Angelus præferebat

personam DEI, vere dicebat, *ego sum DEUS:* ut illud agnoscit Witakeri magister Calvinus. Et Sancti Petri imago vocari solet S. Petrus. Quin & significatione non minus vere Angelus erat is, quem se esse dicebat: nempe Azarias significat auxilium DEI, Ananias, vel Hananeel ut est in Hebræo, significat gratiam, seu donum DEI. Afferebat enim Angelus iste Tobiae auxilium DEI; eratque verissime *filius gratiae,* sive doni DEI.

21. *Angelus ejus comitetur vobis cum.* Hinc pater, illo ævo Tobiam &

& fideles credidisse, Angelos custodes singulis hominibus a DEO deputatos, eos comitari, dirigere, instruere, & defendere.

## CAPUT VI.

**T**Obias inslentem in se pīscem Branchia hortatu Angelī apprehendit, & exenterat cor ejus, fel, & jecur ad medica-  
menta seponit: monetur, ut in conjugem petat Saram filiam Ra-  
guelis, consanguinei sui.

1. Juxta fluvium tygris. Cui ad-  
jacet Ninive, unde illo die ex-  
cesserant. Non quod sub die per-  
noctarint, sed in caupona, fluminī  
vicina. Ubi, cum pedes fatigatio-  
nis minuenda gratia, abluerent,

2. Ecce pīscis immanis exivit ad de-  
vorandum eum. Quæres: quisnam  
fuit hic pīscis? R. varijs varia, &  
admodum diversa opinantibus,  
censeo cum Franc. Valesio Sacræ  
Philos. Cap. 42. ex Plinio, Me-  
nandro, & aliis hunc pīscem suis-  
se callionymum, id est pulchri no-  
minis; carnivorus est, & voracissi-  
mus, dentes habens serratos, &  
oculos in vertice capitis fixos, unde  
& uranoscopos, hoc est cœlum  
spectans vocatur, & os inter oculi  
situm; unde ejus aspectu terri-  
tus fuit Tobias. Abundat felle,  
quod valet ad albugines ex oculis  
extergendas testibus Galeno, Plini-  
o &c. Neque refert, quod pī-  
scis marinus sit; nam etiam mari-  
ni in magnis fluviis reperiuntur,  
amant enim aquam dulcem, qua-  
lis est in fluviis.

8. Cordis ejus particulam si super  
carbones ponas, fumus ejus extricat

omne genus dæmoniorum. Non inter-  
na vi propria naturali, qualis est  
in aqua benedicta, vel ablutione  
baptismali, nullo enim ex loco  
constat, tale instrumentum a DEO  
in eum finem vim ullam accepisse;  
Sed extricat omne dæmonium  
sola vi extrinseca, nempe angelica,  
ad talis signi positionem pro-  
ducente talem effectum, & dæ-  
monem in perpetuum fugante:  
idque non intuitu sumi, sed ef-  
ficacia precum Tobiae, ascenden-  
tium ad Dominum. Simili ratio-  
ne Christus luto illuminavit ocu-  
los cœci natū. Et magi per her-  
bas, & signa malefica dicuntur  
occidere, cum tamen ejusmodi  
signis nulla insit efficacia, nulla  
vis seu naturalis, seu supernatura-  
lis ad productionem ejusmodi ef-  
fectuum: sed ut summum moralis,  
& extrinseca, ex pacto, seu de-  
putatione libera dæmonis, qua-  
se sagis obstringit, quod positis  
illis signis, ipse producit tales ef-  
fectus. Ita Abulens. Lyran. &c.

9. Et fel valet ad ungendos oculos  
&c. Hoc facile concesserim vi  
naturali fieri. Cap. II. v. 14. di-  
citur

icitur, linitis hoc felle oculis Tobiae post dimidiā fere horam cœpisse albuginem, quasi membranam ovi egredi; qua detracta visum recepit. Unde etiam patet, excremento hirundinum non fuisse in oculis Tobiae extinctum humorem crystallinum: sed sola pellicula, seu membranula exterius obductos fuisse oculos, alioqui non potuisset vel illo felle, vel alio medicamento naturali, sed sola virtute divina visum recuperare.

Tropolog. fel est amarities adversitatis, & tribulationis, quæ oculos mentis melle voluptatis terrenæ excœcatos, eo discussio operit, ut videat peccati turpitudi-

nem, gehennæ atrocitatem, virtutis pulchritudinem, DEI bonitatem, cœli gaudia.

12. Tibi debetur omnis substantia ejus. Quia secundum legem Domini Num. 27. & 36. proximo cognato nubere debebant filiæ, quæ fratribus orbatæ hæredes erant bonorum paternorum.

20. In copulatione &c. Prima note Angelus docet Tobiae orandum ut fugetur dæmonium; secunda, ut particeps fiat sanctitatis, meritorum, & privilegii Patriarcharum, Tertia, ut proles ex uxore suscipiat; post quam uxorem cognoscere permittitur.

## C A P U T VII.

**T**obias petit a Raguel eam filiam ejus sibi tradi uxorem, & impetrat: scriptis conjugii tabulis nuptiæ celebrantur.

3. Ex tribu Nephtalis sumus. Hoc Tobias respondit, non Angelus. Quanquam etiam hic, ut personam gerebat Azaria, potuisset idem cum veritate respondere.

6. Et misit se Raguel. Supple: in collum Tobiae. Græce ἀνεπιδητε.

15. Apprehendens dexteram filie

sue. Non peccavit Tobias junior, quod inscio Patre has nuptias celebraverit, id enim fecit ex consilio Angeli, quem ut virum pium, & prudentem suspiciebat.

16. Fecerunt conscriptionem conjugii. Instrumentum authenticum, quo conditiones, & pacta conjugalia continebantur.

## C A P U T VIII.

**A**smodeus per fumum cordis, & jecoris ejicitur. Tobias consummato matrimonio a Raguel omnium bonorum hæres scribitur.

2. Protulit de Cassidili, de peravia-

Partem jecoris (adde & cordis, ut toria instar cassil, aut retis confecta, hic additur in Hebræo, & Græco,

& supra Cap. 6. (*posuitque eam super carbones vivos. Sanctitas, merita, & benedictio Raphaëlis, & Tobiz magnam haud dubie sumo virtutem addiderunt ad alligandum Asmodæum.*)

3. *Raphael Angelus apprebendit dæmonium, & religavit illud in deserto superioris Ægypti.*

Apprehendit non visibiliter, sed invilibi virtute, ac imperio. Desertum superioris Ægypti secundum Proloemium est desertum Thebaidos: nempe australior, & superior pars, e qua Nilus delabitur: montibus aspera, arenis plena, pluviis destituta. Hodie *Sabid*, vel *Sait* vocatur: Teste S. Hieron. plena sunt omnia serpentum, & venenatorum animalium. En locum Asmodæo dignum: in

quo verosimillimum est, toto vitæ Tobiz, & Saræ tempore religatum mansisse.

*Tropologice: multis virtutibus, quasi funibus ligatur dæmon, ne ad nos accedat, & noceat. Prima est abstinentia, & jejunium. Secunda, oratio. Tertia castitas. Quarta lectio, & studium S. Scripturæ. Sexta crebra S. Communion. Septima eleemosyna, & officia pia charitatis.*

15. *Reperit eos secum pariter dormientes. Sed quin se mutuo attingerent, & plane omnino induitos. Hoc dicere necesse est secundum vulgatam, quoniam tribus prioribus noctibus abstinere jussi erant a Raphaële; ideoque hunc sensum alii textus exigunt.*

## C A P U T I X.

A Ngelus Junioris Tobiæ precibus profetus in Rages ad Gabellum, ab illo pecuniam recipit, eumque in Ecbatanas ad nuptias adducit.

3. *Vadas in Rages. Cap. 3. v. 7. patet Saram Tobiz jam sponsam habitasse in Rages: & illi nunc aderant tam Raphaël, quam Tobias: quomodo ergo rogat Tobias Raphaëlem, ut in Rages excurrat? R. Tota illa Regio etiam Ecbatanæ, ubi Sara habitabat,*

ab antiquo vocabatur *Rages*; sed erat in eadem tamen Regione particularis civitas, eodem nomine dicta. Quod & in nostris terris non infrequens est, ita Neapolis est Regnum, & Civitas.

10. *Dicatur benedictio. Omnes bene precentur.*

## CAPUT X.

**P**arentes Tobiae contristantur ob diuturnam filii absentiam, quem Raguel cum uxore, & dimidia parte bonorum suorum tandem dimitit; doceturque Sara officium honestæ Matris familias.

4. *Heu me! Fili mi! ut quid te misimus?* Pater erat cœcus, Mater præ senectute cœcutiebat, quare filius eis erat instar oculorum, tam charus, & necessarius, per quem viderent, & agerent. Eundem vocat baculum senectutis nostræ. Sic Scipio Romæ appellatus est, eo, quod ipse Patrem senem, & cœ-

cutientem quasi Scipio, seu baculus sustentaret, & per viam duceret, ac dirigeret.

9. *Dum computant.* De mora hujus peregrinationis inter Auctores non convenit. Censeo cum Saliano eam ultra dies 34. extractam non fuisse.

## CAPUT XI.

**R**aphael Tobiam ad Parentes salvum reducit, qui felle piscis liniens oculos Patris, ei visum restituit. Unde omnes præ gaudio DEUM benedicunt, & epulantur.

1. *Pervenerunt ad Charan.* Non est illa civitas, cuius fit mentio Gen. Cap. 12. quæ erat in Mesopotamia. Sed erat quædam Urbs Assyriæ ultra Tygrim; in medio itinere: seu in itinere interjecto, nam a Ninive aberat tantum itinere 4. dierum: in Græco legitur prope Niniven. In Hebræo non Charan, Χαράν Acram nominatur.

9. *Tunc præcucurrit canis.* Videntur nonnullis hæc minutiora, quam, ut in Divinas literas referri debeant. Verum audiatur Ven. Beda: non est contemnenda figura canis hujus, quia viator, &

comes Angeli est; doctores enim exprimit Ecclesiæ, qui confligendo cum hæreticis lupos a Pastoris Summi fugant ovili.

14. *Et sustinuit quasi dimidiæ horam.* Donec fel senilim acri monia sua albuginem, & membranam, oculis Patris obductam, eroderet, quam postea Tobias detrivit, & abjecit. Patet igitur, hanc cœcitatatis per fel curationem fuisse naturalem. Moraliter fel poenitentiam designat: Mordet, & urit, : sed sustine vel media horula; videbis. Quid? DEUM, teipsum, præterita, præsentia, futura, sed oculo longe alio, quam soles. Vivum pie-

pietatis filialis exemplum in Tobia juniore nobis proponitur, quam DEUS, & natura cumpromis commendat; unde post præcepta primæ tabulæ, quibus pietas in DEUM continetur, primum præceptum secundæ tabulæ est: *Honora Patrem tuum, & Matrem tuam &c.* quo docemur pietatem

in Parentes. Prima naturæ lex omnibus insita jubet, DEUM colere tanquam Patrem omnipotentem totius universi; altera reverenti Parentes tanquam in titulo, & jure Paternitatis, DEO proximos, & viva Divinæ Paternitatis simulacra.

## C A P U T XII.

**T**Obias multa, & magna beneficia a Raphaële Patri enumerat. Quare uterque offert ei dimidium bonorum allatorum. Mox Raphaël se non hominem, sed Angelum esse manifestat, ac datis cœlestis vitæ documentis evanescit, & in cœlum reddit.

7. *Sacramentum Regis abscondere bonum est.* Græce μηδεπον, id est arcanum sive secretum Regis celare bonum est, ab hoc enim pendet felix rei executio juxta illud Gellii. Taciturnitas consiliorum thesaurus. E contrario DEI opera revelare honorificum. Ut ea audientes, DEI clementiam, bonitatem reverentur, & adorent.

8. *Bona est oratio cum jejunio, & eleemosyna.* Non quod sine his mala sit, sed his comitibus melior, & efficacior.

13. *Quia acceptus eras DEO, necessari fuit, ut tentatio probaret te.* Hæc immutabilis ratio est, qua DEUS in electis suis operatur, eos probando per tentationes. *Quem enim diligit Dominus castigat, flagellat autem omnem filium, quem recipit Hebr.* 12. Idem confirmat Actor. 14. *Per multas tribulationes (non dicit,*

expedit, aut decet, sed ) oportet nos intrare in regnum DEI.

15. *Ego sum Raphaël Angelus unus e septem, qui astamus ante Dominum.* Hebraice: ego sum e Principibus unus, qui ministrant ante solium gloriae. Græce additur: qui offerunt preces Sanctorum, & ambulant ante Majestatem Sancti. Videntur ergo hi septem Spiritus (quorum etiam Joannes in Apocalypsi meminuit) ut functionem externam, sic & internam præcellentiam obtinere.

Si quæras quæ nomina horum septem angelorum?

8. *Tria solum nomina constare ex Canonicis Scripturis, nimirum: Michaël, h. e. quis ut DEUS? Gabriel, fortitudo DEI. Raphaël, medicina DEI. Quartum nomen Uriel h. e. lumen DEI habetur in 4. L. Esdræ, qui tamen non est Canonicus, unde neque in S. Ecclesiæ*

Ly-

Lytaniis memoratur, in piis autem libellis, & imaginibus æri incisis tam *Urislis*, quam aliorum trium Angelorum nomina reperias: *Schealtiel*, petitio DEI, *Zehudiel* laus, seu confessio DEI, & *Barachiel*, benedictio DEI.

19. *Videtur vobiscum manducare &c.* Angeli in assumptis corporibus nec comedunt proprie, neque bibunt, licet cibum dentibus molant, & per guttur trajiciant, quem postea in vaporem quen-

dam resolvunt; nam manducare proprie est actio animalis. *Cibo invisibili -- utor, DEI visio, & fructus cibus Angelorum est, quo perpetuo beantur.*

20. *Narrate omnia. Græce, & Hebraice: scribite in libro hæc omnia, quæ facta sunt.* Unde in procemio dictum est, Tobiam hunc librum conscripsisse: cum præsertim tam in Græco, quam Hebraico in prima persona loquatur.

## C A P U T    X I I I .

**T**Obias senior *DEUM laudat, eique gratias agit. Vaticinatur de excidio Jerosolymæ, & ejus instaurazione.*

7. *In gemitum peccatricem.* Inteligit populum Israëliticum propter peccata in captivitatem abductum, & variis malis afflictum. Græcus vero textus spectare videtur Assyrios utpote idololatras.

11. *Jerusalem civitas DEI; castigavit te Dominus.* Græce flagellabit te super opera filiorum tuorum: sed more propheticō præteritum pro futuro ponitur. Tobias ab hoc versu usque ad finem capituli. & Cap. seq. v. 7. 8. & 9. prophetat de excidio Jerusalem faciendo per Nabuchodonosor, & de ejus, tempisque restauratione post 70. ca-

ptivitatis annos facienda per Cyrum: sed ita, ut more Prophetarum a Jerusalem Urbe Judææ a surgat allegoricæ ad Ecclesiam Christianam in Jerusalem, a Christo erigendam, & ab ea anagogice avolat ad Ecclesiam triumphantem in cœlis, cuius Jerusalem erat figura, & typus.

19. *Luce splendida (Evangelii, & prædicationis Christi) Fulgebis, & omnes fines terræ adorabunt te.* Prædictit conversionem omnium gentium ad Christum, quæ Ecclesiam tanquam sponsam Christi humillime veneratæ sunt.

## CAPUT XIV.

**A**TAS & mors utriusque Tobiæ. Prædictur eversio Nini-  
ve. Gentilium ad Ecclesiam vocatio. Filiis, ac nepotibus  
prælara traduntur monita.

1. Consummati sunt sermones To-  
biae. In Græco est, & cessavit con-  
fites Tobias. id est cessavit a laude  
DEI & vaticinio. annis quadraginta  
duobus. Erat autem sexagena-  
rius cum illuminatus est, & ad  
secundum supra centesimum an-  
num pervenit.

6. Non enim excidit verbum Do-  
mini. In Græco additur: per Jo-  
nam prædictum. Nam Ninivitis  
pœnitentiam agentibus DEUS  
rum pepercit, ultione in aliud  
tempus dilata. Relapsis vero ite-

rum in pristina scelera per Nahum  
prædictum, & de novo minatus est  
iisdem excidium, quod & secu-  
tum est per Nabuchodonosorem  
Seniorem.

7. Fratres nostri, qui dispersi sunt,  
& domus DEI, qua incensa est. Pro-  
phetice utitur præteritis pro fu-  
turi. In Græco est: dispergentur.  
Loquitur de tribu Benjamin, &  
Juda, quibus tamen multi ex o-  
mnibus tribubus permixti erant.

8. Relinquent gentes idola sua. Hac  
dicuntur de vocatione Gentium  
ad Ecclesiam Christi.

## LIBER JUDITH.

**H**IC liber incomparabilis Heroïnæ historiam complexus, licet in  
Canone Hebræorum non extet, Concilium tamen Nicænum I.  
teste S. Hieron. in prologo, Cathaginense III. Florentinum  
item & Tridentinum inter Canonicos adscripserunt. Chaldaico idio-  
mate primum conscriptum (lingua nempe regionis, in qua historia  
contigit). S. Hieronymus in latinum vertit, magis sensum, quam  
verba fecutus, ut ipse affirmit; postea in Hebraicam quoque, &  
alias linguas fuit transpositus. Ex communiori, & probabiliori In-  
terpretum sententia historia ante captivitatem Babylonicam tempo-  
re Manassis Regis Juda contigit. Proximus Scriptor, & auctor libri  
habetur Summus Judæorum Sacerdos Joacim, vel Eliacim, quæ pro  
eodem accipiuntur. Argumentum est insignis Judithæ victoria de  
potentissimo Assyriorum tyranno: Finis allegorice intentus, trium-  
phus DEI paræ de capite serpentis infernalæ; Tropologice, victoriz-

ani

animæ Christianæ contra carnem, & dæmonem. Prima libri pars describit Judæorum periculum a Capite 1. usque ad 8. Altera eorum per Judith liberationem a capite 8. usque ad 15. v. 9. Tertia demum ea, quæ subsecuta sunt, persequitur.

## C A P U T I.

**A**RPHAXAD Rex Medorum ædificat Ecbatana; vincitur a Nabuchodonosore Rege Ninives, qui vittoria elatus gentes reliquas ad deditio[n]em sollicitat.

1. Arphaxad itaque Rex Medorum. Serarius, & alii Arbacem intelligunt, qui occiso Sardanapalo se Regem Mediæ fecit. Alii cum Bellarmino centent, Arphaxad esse Dioclem, sive Deiocem, qui tempore Manassis Regis Juda Medis imperavit, cui successit Phraortes.

Ipse ædificavit civitatem potentissimam, quam appellavit Ecbatanis. Usurpatum subinde nomen Ecbatanis, vel Ecbatana quasi indeclinabile. Hanc urbem jam ante fuisse constat. Unde Græca habent: *edificavit in Ecbatanis muros circum circa ex lapidibus sceltis.*

5. Anno duodecimo regni sui suscepit bellum adversus Medum: sed quinto demum anno post, nempe 17. regni sui in campo Erioch Regis Eliecorum collatis cum Arphaxado signis, illum superavit, & captivum jaculis confodi jussit; Ecbatana vastavit, & omnes illius turres, portas, palatia solo æquavit.

6. In campo Ragau, vicino civitati Medorum, quam Rhagam, & Rhagas profani Scriptores appellant. Hujus mentio fit Tob. 1. v. 16. *Jadason.* Græcus Hydaspem vocat, qui Indiae fluvius est.

12. *Juravit, - - quod defendet se.* id est ulcisceretur.

## C A P U T II.

**C**Oncilio bellico adstipulante ambitioni Nabuchodonosoris, Hollernes cum validissimis copiis mittitur versus occidentem, ubi varias gentes vi, & armis subjicit imperio Regis sui.

12. *Venit ad magnos montes Ange,* qui sunt a Sinistro Cilicia superioris, ut additur in Græco. Verosimile est, designari hic Taurum, & Antitaurum, quia & magni montes

sunt, & his adjacet Cilicia, totque admittunt nomina, quot gentes illas vel incolunt, vel accolunt, vel describunt.

13. *Effregit (expugnavit) autem civi-*

civitatem opinatissimam (famosissimam, opibusque ac robore hominatissimam) Melothi. Quod Hebraice idem est, ac plenitudo, scilicet opum, & hominum.

15, Usque ad fines Japhet. Significatur Joppe ait Serarius, quæ hodie vocatur Japha, & turris Zapha.

## CAPUT III.

**R**Eges Syriae, & Mesopotaniæ ex metu se dedunt Holoferni, qui tamen ferociter eorum urbes, lucos, & DEOS destruit, ut solus Nabuchodonosor quasi DEUS coleretur.

1. Syria nempe prese accepta, cuius caput Damascus. Nam Syria latissime sumpta complectitur non solum Damascenum, sed & Palæstinam, Judæam, Cœlen, Babyloniam, totamque Mesopotamiam, Assyriam, Antiochiam &c. ut docet Plinius.

7. Tunc descendit (Holofernes) de montibus Syriae, puta Casio, Libano, & Anti-Libano, inter quos sita est Damascus, cuius campos fertiles tempore Mæsis occupavit Holofernes.

10. Excipientes cum cum coronis & lampadibus. Corona enim insigne Regis est, cui olim lampades accessæ, sive ignes præferebantur.

12. Et lucos excidit. Utique cum aris, & fanis Deorum, quæ lucis fere cingebantur ad majorem loco venerationem conciliandam, & ad fordes illorum Sacrorum saltem ex parte tegendas.

14. Venit - - in terram Gabaa, id est montosam, & asperam: Ita enim Gabaa etiam alibi sumitur.

## CAPUT IV.

**F**illi Israël territi montes occupant. Eliachim Civitates obit, & ad defensionem hortatur.

3. In omnem Samariam. Urgebat enim magnitudo belli instantis, ut socias vires jungerent Samariani Judæis, licet alioqui illis infensi, ut commune malum a servicibus suis averterent.

5. Sacerdos etiam Eliachim Græce Joachim, idem enim hæc duo no-

mina significant, scilicet DEI sator, qui scilicet stare fecit acies Judæorum contra Holofernem. DEUS enim tam dicitur **¶¶ El**, quam **¶ ia**, scriptæ ad universos. Regnabat hoc tempore Manasses ex captivitate reversus, ejus tamen in hoc libro mentio non est, fortassis, quia

quia ipse defendendam suscep-  
rat Jerusalem , reliquum vero re-  
gnum Summo Sacerdoti Joachim  
reliquerat propugnandum.

9. *Altare operuerunt cilicio. Quem-  
admodum ad gratias DEO agen-*

*'das festa, & lata organa, Sacrifi-  
cia, & palma &c. Sic ad miseri-  
cordiam rebus adversis conciliان-  
dam, tristia, & mœsta recte adhi-  
bentur.*

## C A P U T V.

**A**chior Ammonitarum Dux rogatus ab Holoferne de Judæis,  
enarrat palam stupenda DEI opera circa hunc populum, mo-  
netque, ne temere contra eum pugnet.

3. *Dicite mihi, quis sit populus iste?*  
Istæ Holofernisi interrogations non sunt omnino ignorantis (quomo-  
do enim Assyriorum Dux tan-  
tus ignorat, quæ paucis ante an-  
nis ex gente Judæa retulissent  
seu trophæa, seu clades potentissimi  
Reges Assyriorum Theglut-  
Phalar, Salmanasar, & Sennacherib) sed tunc militares inter-  
rogations superbissimi Ducis in-  
dignantis, & hostes vilipenden-  
tis.

6. *Populus iste ex progenie Chal-  
daeorum est. Quia DEUS Abraham,  
Hebræorum Patrem, eduxit de Ur  
Urbe Chaldaeorum Gen. 11.*

9. *Descenderunt in Ægyptum, il-  
licque per 400. annos sic multiplicati  
sunt. Hos 400. annos numera ab  
egressu Abraham ex Chalda, &  
Naran: Nam alioqui Hebræi in  
Ægypto morabantur duntaxat  
215. annis,*

22. *Nam ante hos annos, cum recessis-  
sent a via (Religione, & lege)  
quam dederat illis DEUS, &c. capti-  
vi abducli sunt. A Nabuchodonosor  
in Babyloniam, quæ celeber-  
rima, universalis & propria fuit  
Judæorum captivitas, e qua sub Cy-  
ro redierunt; talis vero non fuit  
illa, quæ contigit sub Manasse;  
nam illa non fuit universalis. Alia  
vero captivitas 10. tribuum sub  
Ezechia facta a Salmanasar, pa-  
riter non fuit universalis, quia non  
fuit omnium, puta 12. tribuum,  
sed 10. duntaxat. Rursum illa  
fuit perpetua, quia nunquam ex  
ea redierunt Israëlitæ.*

25. *Non poterimus resistere eis.  
Hæc verba bilem moverunt  
Holoferni, ut Achior morti de-  
stinaret, eo, quod nullum DE-  
UM agnosceret, nisi Nabuchodonosor.*

## C A P U T VI.

**H**Olofernes Achior ligatum mittit in Bethuliam, ut ea capta simul intereat; benigne eum excipiunt, & solantur Judæi.

10. Porro filii Israël descendentes de Bethulia venerunt ad eum. Admodum discrepant Auctorum sententiæ, in tribu Zabulon, an in Simeon sita sit Bethulia. Sentio cum Cornelio a Lapide, Tirino &c. esse civitatem Galilææ in tribu Zabulon sitam in monte, tribus Levcis distantem a Dothaim, ubi Joseph a fratribus captus, & tunica polymita spoliatus est. Addit Brocardus, & Adrichom: etiamnum hodie ibidem vestigia castorum Holofernisi cerni. Bethulia Hebr. idem est, quod Virginitas DEI; ipsa enim quasi Virgo intacta ab excidio Holofernisi per castam Judith servata est. Porro Bethulia ita propria fuit tribui Zabulon, ut, hac inter decem tribus in Assyriam abducta, tribus Judæam, uti & alias multas Israëlis civitates sibi vindicaverit. Tota enim Chananæa a DEO data erat posteris Jacob, quorum parte abducta, cæteri superstites, puta Ju-

dæi, quasi fratres in decem tribuum, quasi fratum suorum hereditatem jure propinquitatis, & naturæ successerunt.

11. Erant illic Principes Ozias filius Micha de tribu Simeon, & Charmi, qui & Gotboniel. Licet enim Bethulia esset in tribu Zabulon, tamen ex alia tribu, puta Simeon, habuit Ducem, ut toti Israëli praefuere Judices ex variis tribubus oriundi. Hinc & Ozias hic Cap. 8. non Princeps Bethuliæ, sed Judæ vocatur; & Cap. 13. Princeps populi Israël.

15. Praesumentes de Te, qui spem suam locant in Te.

19. Tunc Ozias suscepit eum in dominum suam, non quidem ut vincitum, aut custodia septum: sed tamen aliquantum observatum, & semper in plurim oculis detentum; quia transfugarum suspecta est fides, ut Assyrii a Juditha damno suo experti sunt.

## C A P U T VII.

**B**Ethuliæ obsidio. Præciduntur aquæ-ductus, & obfessi sti labores dantes ditionem urgent. Ozias post quinque dies se urbem dediturum promittit, nisi DEUS opem miserit.

2. Equites viginti duo millia. Ac- decem millia ad illa duodecim cesserunt ergo ex Assyria de novo millia, quæ Holofernes Cap. 2. secuni

secum ex Assyria eduxerat. Submittebat enim Nabuchodonosor statis temporibus novas legiones; quia & ipse parabat subsequi cum flore totius imperii, ut habet Græcus Cap. 2.

3. *Belma.* In Græcis Romanis Bibliis est *Belthem*. In Complutensibus *Belmam*. A Brocardo autem in libro de terra Sancta dicitur *Abelina*, a Bethulia millari distans: a Dothaim vero nonnisi dimidio. Ibidem etiam in vicino est urbs *Chelmon*, quæ in Græco vocatur *Cyamon*. His in locis dicit Græ-

cus, *Affyrios castra metatos fuisse: Latinus, se ad pugnam accinxisse;* utrumque factum.

6. *Quod fons, qui influebat, aqueductum -- dirigeret.* Id est per canalem recta destinabat aquam in urbem Bethuliam. Hoc canali inciso per Holofernem non supererat obessis aqua. Mystice tunc incidit diabolus aquæ ductum, cum facit interrumpere studia literarum. Secundo, cum nos ab oratione avertit; per orationem enim quasi canalem omnis DEI gratia ad nos profluit, qua succisa facile a diabolo superamur.

## C A P U T    V I I I .

**R**ecensetur Judithæ prosapia, solitudo, cilicium, jejunia, castitas. Ipsa Principes timidos increpat, ac Patrum exemplo in spem opis diuinæ erigit.

1. *Fili Simeon filii Ruben.* Putant hic nonnulli, Juditham ortum ducere ex tribu Ruben. Verum illam prognatam esse ex tribu Simeon patet ex Cap. 9. ubi ipsa ait: *DEUS Patris mei Simeon!* Quare Græca Biblia pro filii Ruben, habent filii Israël, seu Jacob. Et ita legendum censem S. Fulgent. Bellarm. &c. Quia tamen codices Romæ correcti, & alii constanter habent filii Ruben, dicendum est hunc Ruben non esse Patriarcham, & primogenitum Jacob, sed esse virum illustrem ex tribu Simeon, ad quem proinde genus Judithæ hic perducit, in eoque terminat,

non progrediendo ad ejus Patres, & avos, & ad Simeon Patriarcham. Manifestum id etiam ex eo est, quod Ruben nullum habuerit filium nomine Simeon ut patet Genes. 46. & 1. Paralip. 5. v. 3.

6. *Jejunabat omnibus diebus vita sua præter Sabbathum.* Jejunabant autem Judæi a mane ad vesperum, nec ante conspectum Hesperi, aut stellarum cibum sumebant; ut etiam hodiecum Turcæ. Fuit hoc jejunium rigidum Judithæ peculiare præsidium servandæ castitatis in statu viduitatis suæ, juxta illud: *Subtrahē ligna foco, si vis extinguerre flammam.*

8. *Et erat haec in omnibus famosissima, fama Sanctitatis, & probitatis celebratissima. Quoniam timebat Dominum valde. Timor hic non erat servilis, sed filialis, quo Judith DEUM quasi Dominum, imo quasi Patrem suum summe colebat, & reverebatur.*

11. *Qui tentatis Dominum. Non videtur peccatum, nec tentatio DEI, tempus deditio[n]is statuere, nisi intra illud feratur auxilium. Fortasse absurdum non est dicere, Juditham ita pie fensisse, & Scripturam id recitare duntaxat, sicut D. Augustinus docet de cœco nato affirmante, DEUM peccatores non audire. Vel certe dici potest,*

hic nomine tentationis intelligi provocationem iræ divinæ ex defectu confidentiæ.

25. *Ab exterminatore Numer. 21. Psal. 105. Exterminator est Angelus, qui per serpentes immisso[rum] Hebræos perdidit.*

26. *Non ulciscamur nos, quasi de DEO auxilium nobis non ferente vindictam sumentes, prodendo Religionem, & ad Ejus templi eversionem hostibus iter pandendo.*

32. *Exeam, pro exibo, cum Abramæ, ancilla mea. Ex Græco autem patet, hic v. g. ancillam fuisse non vulgarem, sed quæ omnibus illius facultatibus, & toti familiariter præposita erat.*

## C A P U T   I X.

**J**udith cilicio & cinere se se affligens precatur DEUM pro nomine robore, quo prosternat Holofernem, & ab ipsius tyrannde Patriam servet.

2. *Qui dedisti illi gladium in defensionem. In ultionem violatæ sororis a filiis Sichem. Duo sunt in hoc facinore: Zelus, seu justa indignatio, & crudelis ulciscendi modus, qui merito punitus fuit a Jacob. Prius laudat Judith, non posterius.*

4. *Et illa post illa (alia post alia) cogitasti, quoad executionem, scilicet in tempore: cum æternæ sint DEI cogitationes, & ideæ rerum agendarum.*

9. *Conti sunt hastæ oblongæ, venabula, &c.*

11. *Cornu altaris, designat gloriam &c, majestatem altaris.*

13. *Labiis charitatis mœ. Labia charitatis vocantur, ex quibus verborum Xagis quædam, seu jucunda orationis gratia existit, verba dulcia, & amorem spirantia. Quibus Judith solum intendit pellicere Holofernem ad amorem honestum, quo v. g. poterat Holofernes eam prosequi ut futuram con-*

jugem. Et licet probabilibus conjecturis præsciret, illum non ad castum, sed turpem amorem pelleatum iri; quia tamen id non ex natura facti Judithæ, sed virtus ipsius Holofernis futurum erat, haberetque illa justissimas cau-

sas faciendi, quod faciebat, puta ad liberandam patriam suam, & fugandos hostes; idque postulavit a DEO spiritu propheticō, quo idipsum, quod futurum erat, acceperat a DEO, cuius providentia se committebat.

## C A P U T X.

**J**udith eleganter ornata Bethulia excedit, ab exploratoribus comprehensa ad Holofernem ducitur, qui mox ejus forma capitur.

3. Myro optimo, unguento pretioso odorato, μυρον Græcis dicto.

Et imposuit mitram super caput suum. Mitra est fascia byssina gemmis, & bracteolis aureis tremulis collucens.

Dextrariola, armillas. Lilia, Græce φέλλια, manuum, aut colli ornamenta specie, & forma liliarum contexta.

5. Asperoram vini, saccus utricularis, & coriaceus est, inter vasa vinaria recentetur. Polenta, hordei torrefacti farina. Palathas, massas caricarum, aridas scilicet ficas in massam compressas. Cur vero proprios cibos secum detulerit, ipsa explicat. Cap. 12. quia nempe putabat, per legem divinam sibi non licere vesci de cibis gentilium, qui esculenta, & poculenta saepe Diis suis afferabant, & variis precationibus contaminabant; unde omnes religiosiores Judæi ab iis prorsus abhorreabant.

10. Transvit per portas. Vitæ, & pudoris periculum prudenter adiit Judith, divina revelatione, aut saltem inspiratione confirmata.

12. Fugi a facie eorum, quoniam futurum agnovi, quod dentur vobis in deprædationem. Lyranus, Abulensis, S. Thomas, & alii graves Autatores putant, Judith in decursu hujus historiæ saepe mentitam esse, sed officiose, & in bonum patriæ, quod multi veterum teste S. August. etiam post Christum natum, secuti Platonem, putant sine peccato licuisse. Quos tamen merito refutat idem August. Libro, quem de mendacio conscripsit, ubi negat, mentitam fuisse Judith; quin ipsa Cap. 13: diserte affirmat, quod sine pollutione peccati custodita fuerit, DEUS enim in hoc toto opere eam dirigebat. Certum etiam est ipsam jus habuisse, ut non ita simpliciter, & aperte cum Assyriis ageret, sed veritatem ipsos prudenter celaret. Primo igitur loco

loco dicit se fugisse ab Hebreis, idem est, ac celeriter ab eis abscessisse, vel fugientis instar ad Assyrios transivisse. Secundo addit: futurum agnovi, quod dentur vobis in de predationem, scilicet via ordinaria, & naturali, & nisi præter communem rerum ordinem DEUS ipse suc-

currat, & malum præpediat. Tertio vadam, ut indicem secreta illorum, nempe de extrema siti, & fame Bethuliorum, & aliis, quæ Cap. seq. exponit Holoferni.

20. Adoravit eum. Corporis profunda inclinatione civilem reverentiam illi ut Principi exhibuit.

## C A P U T XI.

**J**udith rogata ab Holoferne causam ad ventus sui exponit: promittit certam victoriam, laudatur non modo a pulchritudine, sed & a sapientia: maxima præmia ei promittuntur.

4. Perfectam rem faciet Dominus tecum. Scilicet perfectam dabit DEUS victoriam, non tibi, ut tu putas o! Holofernes, sed mihi, & Judæis de te. Est stratagema bellicum, quo Judith Holofernem verborum ambiguitate ludit, & in laqueum necis inducit.

5. Vivit Nabuchodonosor Rex &c. Jurandi formula: tam vere, quam vivit Nabuchodonosor Rex. Nec Judith jurans per Holofernem, aut Nabuchodonosor magis peccat, quam Josephi jurans per salutem Pharaonis Gen. 32. non enim tanquam per DEOS alienos jurarunt, sed per eos in quibus aliquid Divinum resplendebat, videlicet auctoritas, & potestas. Nec falso jurat Judith, cum constet, quamplurimos homines, & bestias Nabuchodonosori opera Holofernisi servivisse. Virtus ejus, potentia ejus. Ad correctionem animarum errantium, cum Tyranni puniendis criminibus a DEO destinentur.

6. Tu solus bonus, & potens es. Nihil absurdum dicit, non enim derant adulatores, qui ita loquerentur. Quoniam αγαθος a Græcis pro forti passim usurpatur, ita ut solus bonus idem sit, quod fortissimus.

8. Et mandaverit per Prophetas suos. Misit enim DEUS Eliam, Eliseum, Isaiam, Osee, Jeremiam, cæterosque Prophetas, qui Israëlis idola, & scelera castigarent, eisque excidium per Assyrios, Chaldaeos, aliosque hostes comminarentur.

11. Bibant sanguinem eorum. Hoc (uti etiam quod sequenti versiculo habetur) per ampliationem explicandum est, ut scilicet fieri possit, & credibile sit, Judæos ad talia siti, & fame compellente adducendos fuisse; non autem quod re ipsa jam eiusmodi deliberationem suscepissent. Jumentorum sanguinem absumere vehementer prohibebantur Hebrei Levit. 17.10.

**12.** *Et sancta Domini. Primitias frugum, & decimas intelligit, quarum rerum tantam esse dicit sanctitatem, ut eas Laici ne manibus quidem conrectare possent, minus edendo absumere in loco profano.*

**13.** *Misit me Dominus nuntiare. Ita me gerere, ac si nuntiatura venisset.*

**15.** *Ego adducam te per medium Jerusalem. Triumphantem putavit Holofernes, sed triumphatum, ac jugulatum intelligebat Judith. Quod factum, cum caput tyranni secum in triumphali curru per urbem Jerosolymitanam circumduxit.*

*Et habebis omnem populum Israel sicut oves, quibus non est pastor. Cum nempe occiso Holoferne Judæi nullo seryato ordine Assyrios huc illuc fugientes, & palantes persequentur, & castra eorum diripient.*

*Et non latrabit vel unus canis contra te. Puta jam mortuum, cum desines omnibus esse molestus. Sic enim partim ironice, partim amphibologice, partim prophetice exposita veritati per omnia consentiunt. Quanquam & in proprio verborum sensu hæc omnia potuerint a Judith dici subandita conditione, nisi DEUS modo extraordinario opem tulerit.*

**C A P U T XII.**

**H**olofernes sinit Judith per quadriduum vacare sibi, orationi, ac jejunio, noctu egredi quoties vellet; tandem quarto vespero cum ea convivatur, & amore inflammatus vino se inebriat.

**2.** *Ne veniat super me offendio. Græce scandalum. Id est, ne dum vescar cibis, lege mea vetitis, offendiculum, seu peccatum committam.*

**7.** *Baptizabat se in fonte, qui erat in valle Bethulia, cuius aquæ dulces, seu canalem Holofernes incederat. In hoc fonte manus, & pedes ritu Judaico abluebat, si forte ex consortio gentilium immunditiam legalem contraxisset.*

**10.** *Fecit cœnam servis suis. Nemine ex Ducibus, aut Proceribus invitato, ut habeat textus Græcus,*

quo liberius posset Bacho, & Veneri vacare.

*Et dixit ad Vagao. Græce est Βαρύως, quo nomine apud Persas designabatur is Evnuchus, qui præ cæteris in aula dominabatur.*

**13.** *Quæ ego sum, ut contradicam Domino meo. Duplex est verborum sensus, unus simplex, quo tantum ad cœnam, & jucundam familiaritatem invitabatur, alter tectus, & insidiosus, quo ad peccatum vocabatur Judith. In priori sensu, & magis obvio verba Evnuchi accepit Judith: vel potius Domini sui*

sui nomine DEUM ipsum intellegit, cui uni placere vult.

18. *Magnificata est anima mea.*  
Quod homo impius mulieris manu sit interficiendus.

20. *Bibitque vinum multum nimis.*  
DEI providentia id factum, ut

sopitus vino Juditham non tangere, sed illa sobria, & casta manens eum perimeret. Vide hic, quam gaudiis vicina sint tristia, quamque potationes, & crapulæ in mortem desinant, & extrema gaudii luctus occupet.

## CAPUT XIII.

**J**udith præmissa oratione obtruncat Holofernem, caput Bethuliam defert. Quare Ozias Princeps cæterique omnes DEUM laudant. Achior viso-capite obstupest.

5. *Orans cum lacrymis.* Rem enim inauditam, & vires fæminæ, amosque superantem aggrediebatur. Quare a DEO audaciam, & robur lacrymans poscebat.

8. *Et pugionem ejus.* Græce: acinacem ejus, hoc est gladium Persicum, & recurvum, quales nunc sunt Turcarum.

10. *Et percussit bis in cervicem ejus.* tota fortitudine, ut addit Græcus, & absedit caput ejus, & abscissum involvit particonopæ, a columnis detractæ; Et corpus truncum, seu cadaver evolvit, id est e lecto deject in terram. Volebat, ut ingressuris mane in cubiculum statim in oculos incurreret cadaver, neque celari posset cædes Ducis, sed innotesceret e vestigio totis castris, quæ volebat hac via turbari, & dissipari. Tropologicæ tuus Holofernes est gula, luxuria, avaritia, ira, acedia; hanc generose supera, & macta, & tuum Holofernem

mactasti. Allegorice Holofernes est diabolus, cuius caput vera Judith B. Virgo contrivit juxta oraculum a DEO editum Genel. 3.

15. *Quoniam sperabant (id est timabant) eam non esse venturam, sed captivam ab Assyriis detineri.*

20. *Quoniam custodivit me Angelus ejus.* Et quoad corpus, & quoad animam; quicunque is demum fuit, seu custos mihi proprius; seu publicus Synagogæ Judaicæ Præfes Michaël (uti nunc Præfes idem est Ecclesiæ Christianæ, S. Hieron. Theodore. & Auctor oper. imperfect.) seu quicunque alius e Principibus aulæ cœlestis.

25. *Pro quibus non pepercisti anima tua.* Hebraismus est: eo, quod non pepercisti vitæ tuae.

29. *Aestuavit anima.* Græce: defecit, deliquium animi passus est Achior, utvidit funestum caput Holofernisi,

CA-

## C A P U T X I V .

**J**udith jubet caput Holofernisi e muris suspendi : Achior ad Ju-  
daismum convertitur : irruunt Hebrei in Assyrios ; isti cæde  
Holofernisi vehementer consternantur.

2. *Non ut descendatis* : Nolite ple-  
na acie configere, utpote pauci  
contra innumeros ; sed simulate vos  
velle configere, ut scilicet Assy-  
rii configant ad Holofernem, ut  
aciem instruat, ac videntes eum  
cæsum consternentur, & fugiant.

6. Tunc Achior videns virtutem,  
quam fecit DEUS Israël ; Prodigio-  
sam victoriam ; relicto gentilitatis ri-  
tu, credidit DEO, & circumcidit (non  
sua, sed aliena eujusdam Levitæ  
manu) carnem preputii sui, factus  
proselytus, & Judæus. Licet enim  
DEUS Devter. 23. vetuisse Am-  
monitas, & Moabitas admitti in  
cœtum Israël ; tamen in hac lege  
permisit dispensari ob insignia

alicujus in Israëlem merita, qua-  
lia fuerunt Achior, qui coram Ho-  
loferne DEI erga Israëlem provi-  
dentiam, & protectionem publice  
erat professus, & dignis laudibus  
celebrarat.

10. *Cubiculum virtutis Assyriorum*,  
*Virtutis*, id est potentiae, & Ma-  
jestatis Assyriorum. Ita vocant  
Holofernem Duxem suum, & Prin-  
cipem ; ut nos Reges, aut Princi-  
pes Majestatem, Celsitudinem,  
Excellentiam appellamus.

12. *Egressimures de cavernis*. Hoc  
sarcasmo Judæos perstringunt,  
quasi inermes, & imbelles, sed  
mures hos mox experti sunt eva-  
lisse Leones.

## C A P U T X V .

**A**Ssyrii relictis castris fugiunt ; sed ab Hebreis undique inse-  
quentibus miserrime cœduntur. Judith a Pontifice, & po-  
pulo laudatur, & quæ Holofernisi propria erant, ipsi traduntur.

4. *Debilitabant pro mactabant*,  
aut vulnerabant omnes.

7. *Omnistati pro onerati*. Maria-  
na legendum putat : honestati. Græ-  
ca habent : ditati sunt valde.

8. *Attulerunt secum* ; nam qui in  
Bethulia remanserunt, omnia spo-  
lia colligere non potuerant ; vix

enim triginta dierum spatio col-  
lecta sunt. Multa namque Assyrii  
ex urbibus, imo Provinciis opu-  
lentis, per quas transiverant, secum  
adixerant.

9. *Joachim*, qui Cap. 4. v. 11.  
Eliachim, Summus Pontifex cum  
universis Presbyteris ( hæc vox in  
P vete-

veteri Testamento semper Seniores, nunquam Sacerdotes designat) venit, ut videret Judith, eique de victoria gratularetur. Græcus dicit: *cum Jerosolymitano Scnatu.*

10. Tu gloria Jerusalem. Divinum enim cultum, qui Jerosolymis exercetur, & ab Assyriis periclitabatur, conservasti.

## C A P U T   X V I .

**C**anticum gratiarum actionis a Judith compositum. Mors illius. Festivitas quotannis celebranda in perenne victoriae illius monumentum instituta.

2. Incipite Domino Psallere, & cantare.

4. Cœlesti suum præsidium, Angelorum militiam.

7. Dominus autem nocuit eum. Græcismus est, pro percussit eum.

8. Non filii Titan percusserunt eum. Vox fabulosa a Græco, & Latino interprete tanquam magis nota adhibetur, gigantes, seu homines vasti corporis, & magnarum viuum significat.

14. Filii puellarum compunxerunt eos. Pueri, & teneri adolescentes, qui matres habent juvenculas, cultris, & gladiolis suis compunxerunt, & occiderunt eos.

18. Montes - movebuntur - - Et petra sicut cera liquefcent. Metaphorice significantur superbi, praefrati, & duri homines, qui unum opibus suis DEO jubente exterminabuntur.

21. Ignem, & vermes. Vel per ignem, & vermes metaphorice significantur vulnera, & morbi, qui homines velut adurunt, & inflammat. Vel certe intelligitur ignis inferni, & vermis ille im-

mortalis, quo damnati cruciantur.

22. Mox ut purificati sunt ab immunditia ex cæde assyriorum, & contactu cadaverum contracta. Nam ut insinuatur Numer 31. v. 24. lavanda erant & corpora, & vestimenta.

23. Anathema oblivionis. In nullo exemplari Græco reperitur hæc vox. Unde suspicatur Tirinus, possum fuisse: *oblationis*, quod deinde in *oblivionis* est commutatum. Aut, ut divinitus acceptæ victoriae memoriam ab omni oblivione vindicaret.

24. Secundum faciem Sanctorum. Vel spirituali, modestaque latititia, ut Sanctos decet; vel ante ipsum templum, ubi Sacrificia offerabantur DEO.

27. Diebus festis procedens. Scilicet Hierosolymani; quemadmodum Anna Mater Samuelis 1. Reg. 1. & B. Virgo Lucæ 2.

28. Mansit (Græce consenuit) autem in domo viri sui annos centum quinque. Id est usque ad annum ætatis suæ 105. Simili phrasi Hebrei dicuntur habitasse in Aegypto

pto annis 430. id est usque ad annum 430. ab egressu Abraham ex Chaldæa: Nam alioqui Hebræi in Ægypto tantum habitaverunt 215. annis Exod. 12. v. 40.

30. Dies autem victoriae. Judith

in Calendario Hebr. assignatur 25. mensis noni, qui Caslœ dicitur, ut refert Cornel. a Lap. que die pariter recolitur memoria ignis de cœlo dati, & encœniorum Mabchæi teste Saliano &c.

## LIBER ESTHER.

**A**rgumentum Libri hujus est humiliatio superborum, scilicet Vasthi, & Aman, ac exaltatio humilium Estheris, & Mardo- chæi, denique liberatio Judæorum. *Allegorice* Assverus designat Christum, Esther B. Virginem, & Ecclesiam, Mardochæus animam fidelem, & piam; Aman, & Vasthi dæmonem, mundum, & carnem repræsentant. Hunc Librum esse Canonicum, consentiunt Hebræi cum Græcis, & Latinis. Extat enim Hebraice in Canone Hebræorum usque ad Capitis decimi versum 4. Sed & reliqua hujus libri prorsus canonica esse docet S. Hieron. Athanas. Origen. Augustin. Concilium Laodicenum, Cathaginense III. & Tridentinum: citanturque passim ut canonica a SS. PP. quos citat Bellarminus. Primum scriptus fuit Hebraice, unde S. Hieron. transtulit in idioma Latinum, septuag. in Græcum. Porro S. Hieron. ea, quæ non reperit in Hebræo, separavit a ceteris, & ad calcem Libri collocavit, quæ antea suis locis in vulgata Latina ordine temporis, & historiæ erant inserta. Eadem eodem ordine extant Græce apud septuag. ex quibus ea in Latinum transtulit S. Hieron. sed in finem Libri, ut dictum est, rejecit. Auctor Libri est Mardochæus, ut colligitur ex cap. 9. v. 20. & 12. v. 4. Videtur tamen ipsa Esther quoque nonnulla inseruisse: cum id in textu Græco ibidem diserte affirmetur.

### CAPUT I.

**A**ssverus ad potentie suæ ostentationem solemne, & semestre instituit convivium, ad illud vocat Vasthi Reginam: sed renuentem venire repudiat.

1. In diebus Assveri. In tanta sententiarum diversitate, censeo cum Cornel. a Lap., Tirino &c. & ex

Hæreticis: Carion: Luca Ofiandro, suisse Darium filium Hystraspis. Subactio enim Indorum ab Herodoto

doto soli Dario Hystaspis tribuitur. Et quod Cap. ult. Libri hujus Assverus hic agnoscat beneficio DEI Israël traditum sibi, suisque Majoribus, & conservatum imperium, optime convenit cum voto, quod fecit DEO cœli Darius Hystaspis, ut obtineret regnum 3. Esdræ 4. & adamussim quadrat cum edicto ejusdem Darii de instaurando templo Jerosolymitano 1. Esdræ 6. Nec quemquam movere debet, quod hic vocetur Assverus: nam hoc nomen commune erat omnium Regum Medorum, sicut Artaxerxes omnium Regum Persarum. Utriusque vero Regni, & multorum aliorum Rex erat Darius Hystaspis, unde & Artaxerxes vocatur hic Cap. ult.

2. Susan regni ejus exordium fuit. Quia in ea Persidis Metropoli anno ab electione sui tertio solennissime coronari voluit. Ponunt quidem profani Auctores Persici imperii Metropolim Babylonem; at iidem referunt, Reges Persarum hyemem exegisse Babylone, quæ Regio calidissima est; ver Susis, æstatem Ecbatanis, & ideo nec hyemem sentiebant, nec æstatem, sed perpetuo vere gaudebant.

6. Et pendebant ex omni parte tentoria ætri coloris, & carbasini, & hyacinthini. Per tentoria intellige aulæ, & tapetes ad palos, & arbores in horto suspensos tum ad ornatum, tum ad defendendos

convivas a Solis æstu, aut pluviis. Coloris ærei id est candidi, ut habet Hebr. Carbasini Hebr. כַּרְבָּשִׁים carpas, quam vocem colorem viridem plerique significare volunt. hyacinthini, alii habent rubri. Le-  
Ætuli, non ad dormiendum, sed ad discumbendum in convivio præparati.

8. Nec erat, qui cogeret ad bibendum. Lege Persarum cogebantur Convivæ ad bibendum, qua lege solutos voluit Rex hujus convivii hospites. Ex qua modestia Gentilium S. Ambr. invehitur in hel luones, & remiges calicum, qui immoderate alienam sanitatem bibendo propriam lœdunt, & perdunt.

9. Vashî Regina. Quæ fuerit incertum. Suspiciatur Serarius, Sororem fuisse ipsius Assveri Regis: Persarum enim lege sorores, & filias licebat ducere. Alii putant, fuisse filiam Cyri, quam duxerit Assverus ad firmandum sibi regnum Persarum.

12. Quæ renuit. Videtur ergo peccasse superbia, inobedientia, & mariti contemptu, quem si demas, honeste ipsa, & pudice temulenti mariti in honestam, & impudicam coram Principibus sui ostentationem detrectavit; præsertim ut ait Joseph. i i. Lib. cap. 6. quia voluit Persarum legem custodire, qua ab alienis uxores videri prohibebantur.

17. Egreditur sermo Reginæ. Vul- quoque uxores maritis suis inobe-  
gabitur factum Reginæ, & aliæ dientes se exhibebunt.

## CAPUT II.

**I**Nter Virgines Assvero quæstas Esther præ cæteris placet, & coronatur. Duo Eunuchi conspirant, sed proditionem detegit Mardochæus.

1. Recordatus est Vashî, exclusæ nuper uxoris tam speciosæ; forte jam facti pœnitiebat.

2. Quærantur Regi pueræ. Quæratur nova uxor, ut ea inducta prioris desiderium aboleatur.

3. De Stirpe Jemini, de tribu Benjamin; Jemini enim fuit vir nobilis in hac tribu.

6. Qui translatus fuerat de Jerusalem &c. Relativum qui Cajetan: Scaliger, & alii referunt ad Cis, quasi hic cum Jechonia translatus sit, non vero Mardochæus; sic enim, inquiunt, ipse vixisset ducentos annos, quod eo tempore erat insolitum. Verum qui referre Mardochæum, non Cis liquet: tum quia hoc sermonis nexus, & plana constructio, quæ tota est de Mardochæo, exigit: tum quia Mardochæum cum Jechonia translatum esse diserte dicitur Cap. 11.

4. Ex quo patet ipsum in sua persona, non in Patre, vel avo (ut aliqui putant) fuisse translatum. Colligo ex his præsentem historiam non contigisse sub Artaxerxe Longimano, ut multi volunt; multo minus sub Artaxerxe Mnemone; quia tam diu vivere

non potuit Mardochæus: nam Esther, quæ erat Mardochæi neptis ex fratre, v. 8. vocatur pueræ, seu juvencula. Erat enim sine dubio ob formæ præstantiam in ætate florenti; quare Mardochæus Patruus non potuit tum esse centum annorum. Contigit igitur historia hæc sub Dario Hystaspis, isque fuit Assverus maritus Esther.

7. Nutritius filia fratris sui, in Græco est: Filia Patrui sui (Edissa) Hebr. & Chald. Hadasse, id est myrtæ, ob eximiam pulchritudinem, modestiam, & verecundiam. Postquam vero adscita fuit in thorum Regium, vocata est Esther, quod Persica lingua idem sonat, quod Græcum ειςη̄ astrum.

9. Et præcepit Eunucbo sibi subditu, ut acceleraret præ cæteris puerilis mundum muliebrem v. g. torques, armillas, inaures, unguenta, specula, & quidquid ad cultum corporis pertinebat: Et traderet ei partes suas, id est dimensum ciborum, & epulas, quæ de mensa Regia singulis præbebantur.

14. Mensis duodecimus. Integro anno singulæ Virgines ornabantur, & excolebantur antequam

**A**sverum adirent: Ungebantur nimirum oleo myrrhino, variis pigmentis, & aromatibus delicatis; idque ideo, quod foeminae Iudaeæ, & Persicæ ob Regionis calorem graviter olerent, quem tectum odorem sensim suavissimis unguentis abstergere necesse fuit.

16. *Ducta est itaque ad cubiculum Regis mense decimo Tebeth*, qui respondet nostro partim Decembri, partim Januario. Græcus dicit ductam mense duodecimo Adar, sed exponendus est de solenni deductione ad nuptias regales. Quadrinium expectavit Esther ob multitudinem Virginum, quæ adducebantur, antequam ipsa duceretur ad Assverum. Hoc ipso autem, quod ad eum adducerentur, siebant ejus concubinæ, seu uxores secundariæ; e quibus deinde unam primariam, seu Reginam elegit, ut hic Esther. *Allegorice* Esther Regina, est B. V. Maria, ait S. Bonaventura, quæ ducta est in cubiculum Regis in assumptione, in cubiculum quietis æternæ, gratiam veri Regis habens super omnes mulieres, id est super omnes intelligentias angelicas, & animas beatas, ut sit in Maria gratia super gratiam

omnium beatorum: Nam revera in capite ejus Rex Regum diadema posuit inestimabilis pretii.

18. *Et dedit requiem in universis Provinciis*. A vectigalibus, aliisque oneribus, tributa relaxavit, quæ prius populo imposuerat.

19. *Cumque secundo quererentur Virgines*. Non post nuptias Esther iterum qualitatæ sunt, prima enim inquisitio fuit ante Vashti connubium. Repetere autem hic videtur ad subtexendam historiam duorum Evnuchorum, quæ contigit dum secundo quererentur, inter quas fuit Esther.

21. *Iratæ sunt in Regem duo Evnuchi*, prælides custodum Palatii Regii. Irarum causam dicit Græcus, quod Mardochæus in officiis Palatinis iis prælatus esset a Rege. Hi duo Evnuchi erant intimi Amani, imo consiliarii inquit Joseph. Gorion, & qui rebus illius per omnia studerent; forsan & occiso Assvero sceptrum ad Amanem transferre cogitarent. Unde supplicium de illis sumptum præcipua dicitur Cap. 12. v. 6. causa fuisse tantarum irarum Amanis in Mardochæum, qui illos prodiisset.

C A P U T   III.

**A**man de stirpe Agag secundus a Rege, Mardochæo infensus, quod eum adorare nolle. De uniuersa Judeorum gente delenda editum ferale a Rege extorquet, ut certa die omnes occidentur.

1. Exaltavit Aman, quem alii Persam, alii Amalecitanum, alii Macedonem faciunt. Admodum probabile est, eum Patrem, & gente suis Macedonem, Matrem Persam, & antiqua origine Amalecitanum; atque ita in singulis opinonibus aliquid erit probabile, nec ulla alteri contraria.

De stirpe Agag, Amalecitarum Regis a Saule capti, a Samuele confossi 1. Reg. 15.

2. Solus Mardochæus non flectebat genu, neque adorabat Aman. Timebam enim (inquit ipse Mardochæus infra Cap. 13.) ne si superbissimum Aman adorarem, honorem DEI mei transferrem ad hominem. Alioqui si sola adoratione civili adorari voluissem, libenter pro salute Israël etiam vestigia pedum deosculari paratus essem. Verum cum publice constaret, eum divinos honores sibi depositare, non potui, non volui salva conscientia signum aliquod talis honoris ei exhibere, ne cum scandalo plurimorum quenquam adorarem excepto DEO meo. Et vero Persarum Reges sibi tanquam Diis divinos honores vendicasse, & aliis quoque, quos eximie honoratos vellent, exhiberi

jussisse, tot testimoniiis adstruunt Auctores etiam Ethnici, nullus ut dubitationi locus esse possit.

7. Quæ Hebraice dicitur Phur. Hanc vocem פְּרֻרָה multi censem Persicam; sed Fursterus apud Tigrin. Hebraicam esse ostendit. Unde dies Hebræorum festus, phurim, id est sortium, nempe is, quo a funestis Amanis sortibus opera Estheris, & Mardochæi liberati sunt Judæi.

9. Decem millia talentorum (argentum, ut habet Hebr. Chald. & Septuag.) appendam arcariis Gaza riae, id est quinque milliones aureorum, si Attica, ut videtur, intelligentur hic talenta; si Hebreæ, duplo major erit summa. Amani vero difficile non erat tantum colligere ex Judæorum bonis, jam prædictæ, & direptioni ab eo destinatis. Obtulit hoc Aman Assvero, quia sciebat illum esse auri cupidum, quare ne causaretur ex Judæorum cæde tributa a Judæis pendi solita, se perditum, Aman spondet hoc damnum per tot milliones se compensaturum.

10. Tulit ergo Rex annulum de manu sua, & dedit cum Aman ad omnia

omnia ob-signanda, quæcunque Erat is annulus symbolum datæ scripta, quæcunque facta vellet. potestatis a Rege proximæ.

## CAPUT IV.

**J**udeorum, & Mardochæi ludus. Esther per nuntium jubetur a Mardochæo, ut Regem adiret, etiam non vocata. Illa triduanas pro se poscit preces, & jejunia.

1. *Voce magna clamabat Mardochæus, populum innocentem, qui nihil improbi commiserit, tollide medio. Erat hic mos clamandi in magnis malis apud Persas usitatisssimus, ut hoc alios ad commiserationem moverent.*

II. *Interius atrium Regis. In quo Rex in aureo throno considebat, auro, gemmisque collucente vellut DEUS quidam terrestris. Porro lex erat, ut, si quis hoc atrium non vocatus ingredieretur, abs-*

*que ulla cunctatione statim interficiatur Legis causa erat, ut persona Regis sub specie Majestatis occuleretur, putareturque aliquid habere plus homine, ne vilior fieret ex usu publico visionis. Hinc Regi adstabant Lictores cum securibus, & hastis, ut si quis non vocatus ingredieretur, eum occiderent. Putatur Aman suos extitisse, non ut hæc lex ferretur, sed lata severissime servaretur, ne qua via pateret ulli ad Regem pro Judæis rogaturo.*

## CAPUT V.

**E**ster non vocata ingreditur ad Assverum, exponens se vitæ periculo, sed ab eo comiter excepta, eundem cum Amane semel, & iterum in-vitat ad convivium: Interim Aman Mardochæo (verius sibi) parat crucem.

1. *Contra basilicam. Ita vocatur aula Regia, puta intimum Regis cubiculum, aliter etiam dictum Consistorium palatii. Huc Esther non ingressa est, sed atrium illi vicinum, ut a Rege, qui sedebat contra ostium, videri posset.*

6. *Etiam si dimidiā partem Regni mei petieris. Reges, ut magni-*

*fici, & liberales viderentur, ita loqui solebant. Liberalior in Mariam fuit DEUS, qui ei totum Regni sui cœlestis imperium contulit.*

8. *Veniat Rex, & Aman ad convivium. Magna prudentia Estheris fuit, non statim sua vota pandere. Imo, quia consultum non erat*

erat in circumfusa Satellitum, & aulicorum turba genus suum, & gentem evulgare. 2do. Aberat Aman, & forsan accepto nuntio elabi potuisset. 3to. Propensum in se Regis animum nova subin-

de morula, magis, magisque stabilire, quin & augere studebat. 4to. Esther cum Rege solum Amam invitabat, ut apud reliquos Optimates majorem ei invidiam conflaret.

## C A P U T VI.

**A**ssverus, renovata detectæ conjurationis contra se per Mardochæum memoria, jubet eum regiis honoribus affici, idque per ipsum Amam, juratum ejus hostem.

1. Noctem illam duxit Rex insomnem. Si non totam, saltem postremam illius partem, DEO per angelum id procurante, & dirigen- te, ut Assverus legeret suos annales, indeque recordaretur beneficij sibi a Mardochæo præstiti, eumque honoraret.

3. Nihil omnino mercedis accepit. Cap. 12. v. 5. dicitur: Præcepit Mardochæo Rex, ut in aula palatii moraretur; datis ei pro donatione muneribus. B. Munera quædam leviora donata fuere Mardochæo; sed quæ non responderent meritis ipsius, unde nec merces vocari poterant tanti meriti, minus præmium, vel honos, de quibus quæ. rebat Rex.

4. Interius atrium. Heb. & Chald. vocatur exterius, quale etiam erat cum atrio Regis comparatum; interius vero habita ratione ad alia atria magis remota a regio.

8. Qui de sella Regis est. In quo Rex sedere, & equitare solet. Et accipere regium diadema super caput suum. Diadema (dicit Curtius) fuit insigne purpureum fascia bys- fina, & pretiolis lapidibus distin- ctum, mitra capitis intextum.

9. Primus de tyrannis. Satrapis, seu Regiis Principibus.

12. Operio capite. Solent nimi- rum tristes, & irati pallium capiti obvolvere, quasi non ferentes intuentium se conspectum.

13. Si de semine Judæorum est - non poteris ei resistere. Sapientes hæc consilia dederunt secundum cognitionem, quam habebant, DEUM Judæis tam variis, multisque modis fuisse opitulatum; non enim ignorabant quid Sena- cherib, quid Holoferni evenisset. Poterant etiam aliis viis Judæo- rum historiam novisse.

## CAPUT VII.

**E**sther postulat sibi & Iudeis vitam, & Amanem accusat, quem Rex illico in patibulo, quod Mardochæo paraverat, suspendi jubet.

7. Cujus crudelitas redundat in Regem. Per universalem enim Iudeorum cædem, qui ingentibus tributis æxarium tuum locupletant, quique plurimas operas tibi præstant, his aliisque plurimis emolummentis te private intendit, me insuper charissimam tibi conjugem, non tantum a complexu tuo avellere, sed, cum Iudæa sim, etiam crudeli ferro subiicere. Non poterat prudentissima Esther telo magis acuto ferire cor Regis, Reginae suæ, & opum amantissimi.

8. Reperit Aman super lectulum (non nocturnum ad somnum; sed convivale, in quo mensæ accumbebant) corruisse, in quo jacebat Esther. Cujus genua comprehen-debat Aman, & supplex siebat Reginæ, inquit S. Athanas.

Statim operuerunt faciem ejus. Nam moris erat, ut cui Rex irascere-tur, ejus statim vultum ministri obnuberen, quasi indignus foret, qui Regem aspiceret. Gretserus

vult, Amani tanquam jam crucifi-gendo caput de more obnubi, & faciem velari iussam.

10. Suspensus est itaque Aman. Non in domo sua, sed ante por-tam urbis, ut dicitur Cap. 16. eo enim patibulum ex domo Ama-nis translatum fuit, ad majorem ejus ignominiam.

Vide hic primum, quantæ effica-ciæ fuerint jejunia & preces Esthe-ris, Mardochæi, & Iudeorum. 2do. quam verum sit illud in Can-tico B. V. depositus potentes de sede, & exaltavit humiles. 3to. quam mundana omnia sint instabilia, & vana: repente enim Aman sum-mus sit imus, & Mardochæus imus sit summus: nimis impi & superbi tolluntur in altum,

ut lapsu graviore ruant.

4to. & proprie, quam malum, quod quis alteri inique struit, in stru-entem revolvatur, ac justo DEI judicio in ejus caput recidat.

## CAPUT VIII.

**M**ardochæus succedit in dignitatem Amanis, Esther a Rege im-petrat, ut literæ de occidendis ubique Iudeis revocentur, & novæ in Iudeorum fa-vorem scribantur. Unde exultant Iudei.

1. Mardochæus ingressus est ante faciem Regis. Admissus in intimam ejus familiaritatem.

2. Tulitque Rex annulum, & tra-didit Mardochæo. Quod signum erat concessæ potestatis, & dignitatis,

5. Obscero, ut novis epistolis veteres Aman literæ &c. corrigantur. Hic erat nodus difficilis; nam Aman scripserat, & signaverat literas de occidendis Judæis nomine Regis; Persarum Regum literæ autem, & decreta erant irrevocabilia, ut patet in Daniele damnato ad lacum Leonum Daniel. 6. Quocirca Esther genuflexione, lacrymis, omnique arte connixa est, ut Regem flecteret ad irritandas has literas. Ac prudenter hac ratione, & methodo usa rem confecit, quod diceret, has non esse Regis, sed Amanis literas, inscio Rege subdole scriptas, & annulo Regio obsignatas. Ita enim Rex noxiam omnem, & infamiam prioris editi a se abstersit, & in Amanem transtulit, cum contrarium editum edidit.

6. Qui appellatur Siban, & Maje nostro responderet. Poterant citius

mitti literæ, sed opus non fuit; quia adhuc aliqui menses supererant usque ad diem cædi destinatum.

Judæis, prout legere poterant. Edita ea lingua scribebantur, qua utebatur populus, ad quem mittebantur.

11. Convenienter Judeos per singulas civitates. Nec nisi cum illorum scitu, & placito literas traderent Magistratibus, ut sic nullus ignorantia locus esse posset, cum possentibus postea Judæis opem militarem ad obruendos, delendos que hostes suos, ipsis forte dissimularent, sibi tale quidpiam a Rege præscriptum esse.

17. Eorum Religioni jungerentur. Cognita ex Hebræis Moäicæ legis sanctitate, & ex gestis circa Esther, Mardochæum, & Amanem divina erga suos providentia.

## C A P U T   I X.

**J**udæi hostes suos eodem die, quem illi cædi ipsorum destinarant, occidunt, & decem Amanis filios suspendunt: in hujus beneficii memoriam perenne festum 14. & 15. mensis duodecimi Adar a Mardochæo instituitur.

10. Prædas de substantiis eorum tangere noluerunt. Ne dici posset, propter fortunas aliquem innocentem jugulatum fuisse, prudenter ab omnium fortunis sibi temperatunt.

13. Et decem filii Aman in patibulis suspendantur. Ab his tanquam

primitiis cædes hostium copta est. Sed Dices: C. 16. v. 18. Rex ferens hoc dictum ait: Amanem, & omnem cognitionem ejus ante portas Susan pendere in patibulis; ergo filii Aman cum eo occisi sunt mense tertio, non duodecimo. Resp. per cognitionem ibi non intelligi filios

lios (alioqui enim eos explicite nominasset) sed cognatos, & affines Aman: hi enim ut ejus factores cum eo suspensi sunt; filii vero ad communem omnium cædem, & ad diei 13. Adar publicum spectaculum justæ vindictæ reservati fuere.

26. Atque ex illa tempore dies isti appellantur sūnt Phurim, id est sortium. Non a libertate, quam eo die consecuti sunt Judæi: sed a sortibus, quas consuluit Aman, & quæ in eundem 13. diem mensis Adar Judæorum cædem destinabant, ut dum dies ille recurreret, periculi, de quo erepti sunt, memoria renovaretur.

*Allegorice* dies passionis Christi fuere dies Phurim, quibus Judæi miserunt sortes de occidendo Christi-

sto pro Barabba: & milites dividenda Christi tunica inconsueta. Tropologicæ festum Phurim agunt justi, cum sortes adversæ in prosperas commutantur, ut in B. Job. Anagogice dies sortium erit in die judicii, quo impii ab electis separabuntur. Aut festum sortium significat gaudium beatorum in Cœlo de triumphato dæmonie, mundo, tyrannis, qui sortes misserant de eorum perditione, sed per unum virum, & unam mulierem, Christum, & Mariam omnibus hostibus superiores evaserunt.

27. Suscepérunt super se &c. Se, & filios suos obstrinxerunt ad hoc festum quot annis celebrandum.

31. Et clamores, preces ad DEUM.

## CAPUT X.

**A**Mplitudo imperii Assueri. *Gloria Mardochæi, & somnium illius explicatum.*

6. *Parvus fons Esther est, cuius aquis ingens ab Amane excitatum incendium restinguendum, cuius lacrymis numen propitiandum, cuius opera, & studio tot Adversarii quasi amne, & torrente mergendi essent. Et hic fons, qui ante erat in tenebris, id est in maximis ærumnis, mox in lucem, solemque conversus est, in maximam lætitiam, & felicitatem.*

7. *Duo dracones ego sum, & Aman. Ambo enim potentes, ambo vigilis, alter ad servandam, alter ad perdendam gentem Hebræorum.*

11. *Venitque utraque fors. Incidit utraque in eandem diem 13. & 14. Adar, seu Februarii: sed hic dies fuit Judæis latus, & felix, gentibus vero exitialis.*

CA.

## C A P U T   XI.

**S**Opprium Mardochæi; quod secundum ordinem temporis primo loco hujus libri Esther deberet poni, ut ponit editio ῥωμ. LXX. Romana.

1. Regnantibus Ptolemæo, & Cleopatra. Reges omnes ( teste Tirino in Chronico Sacro Cap. 39.) Ægypti a primo Ptolemæo, Lagi filio, communis nomine vocabantur Ptolemæi, ut antea Pharaones: & Reginae omnes Cleopatras. Unde ex his nominibus aliud colligi non potest, quam post tempora Alexandri Magni hanc epistolam Jerosolymis in Ægyptum delatam

fuisse. Verisimilior tamen est sententia, id accidisse tempore Ptolemai Philometoris, qui impense Judæis favit, imo totum Regnum suum iis gubernandum commisit.

2. Anno secundo regnante Artaxerxe Maximo. Assverus alio nomine Arraxerxes, vel Darius Hystaspis, filius appellatur. Nomen Regis Magni, vel Maximi plerumque Regibus Persarum tribuebatur.

## C A P U T   XII.

**M**Ardochæus per Estherem Assvero revelat coniurationem Eunuchorum contra eum, de qua Cap. 2. 12. quare ordine historico eo loci hoc caput inferendum est: que enim ibi strictim dicta sunt, hic fusius enarrantur.

6. Aman vero filius Amandathi Bugeus erat glorioſissimus. In Bibliis Regiis habetur Ugaeus. Idem vero videtur esse quod Agagens. Nam ut supra Cap. 3. dicitur, fuit de stirpe Agag.

Et diripuerunt &c. S. Hieron. monet, post ea verba, scilicet: *Si bona eorum diriperent, quæ sunt*

in Cap. 3. v. 13. collocatam fuisse in vulgata Græcorum, seu 70. Interpretum editione epistolam Regis, qua Judæi una omnes die jugulari jubebantur; quæ epistola hic Cap. seq. recitat, & de facto eam ibi positam videbis in Græcis codicibus, qui nunc existant.

## C A P U T   X I I I .

**E**xemplar epistolæ Regiæ, quam misit Aman ad Principes, & Præsides omnium Provinciarum super cæde & excidio Judæorum. Inseri deberet Capiti 3. post vers. 13. Oratio vero Mardochæi pro Judæorum liberatione, ponenda est post Cap. 4.

6. Deleantur quarta decima die duodecimo mense Adar. Ita habent etiam 70. & Josephus. Capite 3. vero vers. 13. præscribitur huic cædi Judæorum dies 13. illius mensis, & ita habent ibidem etiam Hebreus, & Græcus textus. R. jubebatur inchoari cædes die 13. sed consummari die 14.

Orationem Mardochæi dicit S. Hieron. non haberi in Hebraico, scilicet, quo ipse utebatur, exemplari; & apud nullum prorsus interpretum reperiri, puta Symmachum, Aquilam, Theodotionem, & simi-

les. Nam apud 70. Interpretates repertam fuisse, ipse hic affirmat, cum ait, se eam in vulgata editione scriptam reperiisse, ubi legitur post finem Cap. 14. Atquei 70. Interpretum versio est ex Hebreo, ut omnibus notissimum est. Porro hanc orationem Mardochæi jam ab antiquo legit Ecclesia in Sacro Missæ Officio feria 4. Dominicæ 2. Quadrag. & in Missa contra Paganos, & alibi. Unde certum est, eam ex decreto Concil. Trident. pro sacra, & Canonica habendam esse.

## C A P U T   X I V .

**P**landus Esther, & ejusdem Oratio ad DEUM. Subjungitur in Græco Orationi Mardochæi post Cap. 4.

3. Adjuva solitariam. Tum quia in Aula Regis Gentilis sola sum Judæa, tum quia omni humano auxilio sum destituta, tum quia nullius hominis, sed solius DEI alloquitum, & consolationem peto.

7. Colimus enim DEOS eorum. Non loquitur de se, vel de populo, qui jam in Perside, vel Chaldaea erat; sed scelera parentum, & majorum suorum confitetur,

qui sua idolatria causam dederunt captivitati Babylonica.

9. Robur manuum suarum idolorum potentiae deputantes. Ecce ipsi hostes nostri Aman, & complices non dicunt te o DEUS! nos in suas manus tradidisse: sed idolis suis id acceptum serunt.

13. In conspectu Leonis. Sic vocat Assverum ob ejus animositatem, & feritatem.

15. Cubile incircumcisorum. Nam in Assveri matrimonium tantum consensi, ut tuo parerem imperio, alioqui libentius pauperi cuidam gentis meæ nuptura.

16. Tu scis necessitatem meam, qua pemppe cogor me regio more ornare, quod nolle: quod abominer signum superbiae, & gloria meæ. Regiam ciclaram, seu coronam, quam celsam, & auro, gemmisque distinctam in capite quasi turrem gestabat.

In diebus ostentationis meæ. Cum publice mihi prodeundum, vel coram Rege comparendum est. In diebus silentii mei. Cum domi quiesco, a publico sejuncta.

17. Non comedи in mensa Aman Cibos lege vetitos; nec deliciis Regiarum epularum delectata sum.

Vinum libaminum. Idolis oblatum, & prælibatum, cuius pars aliqua in eorum honorem effundebatur.

## C A P U T X V .

**M**andante Mardochæo Esther cum vita suæ periculo ingreditur ad Regem, ut dictum Cap. 5. vers. 1. & 2. Sed hic fuisse enarratur.

4. Deposit vestimenta ornatus sui modesti, & moesti, quo ad luctum, & penitentiam induita, & ornata erat; unde Græce vocantur vestimenta luctus.

10. Cumque elevasset faciem, & ardentibus oculis furorem pectoris indicasset, quem conceperat ex eo, quod Esther non vocata contra legem ad se ingressa esset, putans se ab ea contemptum. Reges enim Persarum Divinam Majestatem præferebant, & ut Dii a suis adorari volebant. Accessit, quod Assverus esset natura cholericus, & ferox.

11. Convertebatque DEUS spiritum Regis in mansuetudinem. Ex misera-

bili aspectu collabentis Reginæ, præsertim cum videret eam non ex contemptu accessisse, ut putabat, sed cum timore, & summa reverentia, quod Regibus gratum est.

12. Ego sum frater tuus. Vox blandientis est, & intimæ familiaritatis, & amicitiae signum; ita etiam Sponsus Cant. 4. Sponsam sororem appellat. Repræsentabat hoc loco Esther B. V. Mariam, quæ DEUM toti humatio generi iratum conciliavit.

13. Non enim pro Te, quæ Regnum totum tecum commune habes, sed solum pro omnibus subditis hæc lex constituta est.

CA-

## CAPUT XVI.

**E**pistola Assveri, qua revocat prius decretum de Judæis cædendis, ac contrarium edit, quo jubentur Judei hostes suos interficere, & bujus diei memoriam quotannis festo recurrente celebrare.

9. Nec putare debetis, si diversa jubeamus (revocando Amanis decretum de Judæis occidendis) ex animi nostri venire levitate. Ut Legem Persarum, quæ Regum decreta jubet esse irrevocabilia, leviter violemus, & abrogemus. Nam decretum prius non fuit Regis, sed Amanis, qui illud a Rege per fraudem, & mendacium extorsit, ideoque subreptitum, injustum, & impium, ac proinde cognita jam veritate, a Rege hoc novo edito revocandum, & corrigendum.

10. Aman gente Macedo, alienus a Persarum sanguine. Nam licet forsitan in Perside natus esset, tamen Parentes constabat esse alienigenas, & ex Macedonia advenisse.

14. Ut illis intersectis (Mardochæo, Esthere, & omnibus Judæis) insidiaretur nostræ solitudini. Id est: mihi tam caris, & fidis præsidariis orbato commodius indicias strueret, & throno Regio, ac vita exturbaret.

*Ei regnum Persarum transferret in Macedonas. Quæres, an Assverus hoc loco non plus æquo indulget suspicionibus, & verosimilia potius, quam vera, & testata scri-*

bat? R. Certa, & testata fuisse, nemo negare poterit, qui, quæ supra de Evnuchorum Amanis perfamiliarium insidiis, Cap. 2. in fine dicta sunt, quæque suspenso Amene ex chartis domi ejus reperitis, secretisque ejusdem consiliis per complices detectis Regi innotuerunt, animo expenderit: simulque cogitarit, harum literarum auctorem non esse solum Regem, sed ipsam quoque Estherem, & Mardochæum, mendacii hostes, & veritatis amantes. Sunt tamen permulti, qui, Assvero a Macedonibus nihil timendum fuisse, certo existimant. Verum egregie eos falli, qui ita sentiunt, affirmat Tirinus: nam Græcos, quorum pars non minima erant Macedones, jam tum a tempore Darrii Hystaspis metuendos fuisse Persis, deque iisdem valde male meritos, testis est Herodotus, L. 7. & Justinus L. 2. ait: Darium hunc bellum cum Atheniensibus gestisse, in quo jam tum emicuit industria, & gloria Themistoclis adolescentis. Et quis nescit Darium Hystaspis quarto ante mortem anno pugnam illam apud Marathonem pugnasse Græcis, Romanisque historiis

storiis celeberrimam. Erat igitur, cur a Macedonibus metueret Af-sverus. Jam vero si metuit sceptrum transferendum ad Gracos, idque opera Amanis, animo & gen-

te Macedonis, qui imperium sibi ipsi vindicare studebat, nonne potuit juste affirmare, mentem Amanis fuisse, transferre sceptrum Persicum ad Macedonas.

## LIBER JOB.

**V**eram hanc esse historiam, non autem parabolam, ut quidam Judæi voluere, patet ex Tobia, Ezechiele, & Jacobo Apostolo, qui eam ut historiam citant. De Authore Libri quæstio est ad modum impedita. Censeo cum Bellarmino, aliisque accurationibus Scriptoribus, librum, quem nunc habemus, a Moyse fuisse compositum, quod probat Hebraicum idioma; Si enim a Jobo, Arabico potius, aut Idumæo idiomate exaratus fuisset; deinde, quia nisi a Moyse, aut aliquo Propheta, seu saltem ex Hebraico genere nato compositus esset, nunquam ab Hebræis in Canonem fuisset admissus. At Jobus Idumæus fuit, vel Arabs, non Hebræus. Nec obstat, S. Hieronymi in libro hoc invenisse Arabismos; Nam licet eos Moyses sumere potuerit ex commentariis, aut singulorum dierum observationibus, quas notavit aut Jobus ipse, aut aliquis ex Arabi genere, tamen, cum & ipse non minus 40. annis inter Arabes conversatus fuerit, nihil mirum, si Hebraicus sermo, quem Hebræus ab Hebræis didicerat, aliquid redoleret Arabicum. Describitur hoc libro duellum pœnarum, & tolerantiarum: naturæ, & gratiarum, dæmonis, & viri justi. Quæstio præcipua toto libro agitatur, an soli peccatores a DEO adversis in hac vita affligantur: an vero etiam pii, & justi, qui nil tale meruerunt. Priorem partem, & falsam tuentur amici Jobi: posteriorem, & veram ipse S. Job. Unde verba tum DEI, tum Jobi, quæ DEUS cap. ult. probat, infallibilem habent veritatem Canonicae Scripturæ: non item verba amicorum Jobi, ut passim patebit. S. August. & Chrysost. dicunt, tres hos amicos gessisse typum hæreticorum Ecclesiam, & pios impugnantium. Allegorice, & anagogice Christi, & cuiuslibet patientis victoria, ac triumphus in resurrectione adumbratur.

## CAPUT I.

**J**ob Sanctus, & Dives pro filiis convivia vicissim celebrantibus Domino sacrificat. Satan DEO permittente ejus bona diripit, filios interficit. Job autem DEUM benedicit.

1. *Vir erat in terra Hus.* Placet eorum sententia, qui existimant, Jobum ex stirpe Elsau ortum fuisse, quintum ab Abram, & terram Hus sitam in Idumaea. simplex Hebr. **¶** ibam, quæ vox perfectum, integrum, immaculatum significat.

5. *Sanctificabat eos.* Id est: jubebat sanctificari seu mundari, & preparari ad fructus Sacrificii, percipiendos. Nam etiam ante Legem Scripturam quædam semper erant in usu purificationum genera; at quænam fuerint, non satis constat.

Ne forte peccaverint filii mei, & benedixerint DEO in cordibus suis. Benedicere hoc loco, uti & 3. Reg. 21. sumitur pro maledicere: quæ est antiphralis; crimen enim blasphemæ tam enorme est, & execrabilis, ut illud voce propria designare non auderent. Chaldæus habet: ne forte peccaverint filii mei, & non oraverint in nomine Domini in cordibus suis. Unde Vavasor: inquit: Solicitus erat, & angebatur metu Pater, ne quid omisissent, quam ne quid commisissent.

6. *Cumque venissent filii DEI* (Angeli) *ut assisterent coram Domino.* Puntant nonnulli parabolice hoc di-

ctum; sed reapse ita contigisse tendendum est. Fuit enim hoc quasi judicium, ut ait Chaldæus, aut Concilium magnum, in quo sancti Angeli referebant DEO sua ministeria, inter quos affuit & Satan, quasi lictor, & Satelles DEI, vi- fuis a DEO & Angelis, non tamen vicissim videns ipse DEUM, sed solos Angelos, & quasi cœcus respectu DEI, sola locutione mentali cum DEO, & Angelis colloquens, hominesque accusans, & ad poenam depositens. Neque necesse fuit, ut Diabolus cum Angelis simul assisteret in Cœlo, cum DEUS ubique præsens sit. Ita sonant simpliciter verba Scripturarum, & explicant Athanas. Lactant. Augustinus.

10. *Nonne Tu vellisti cum, ac domum ejus?* Tua protectione circumdans, & opes augens. Vult dicere: quasi Job DEUM coleret propter bona temporalia, qui cultus, & amor est mercenarius.

11. *Nisi in faciem benedixerit tibi.* Quasi dicat: male mihi sit, nisi maledixerit tibi.

12. *In manu tua sunt.* Dæmon homini nocere non potest, neque etiam in rebus externis, nisi de facultate DEI; arctis adeo finibus

## Libri Job

potestas ejus coercetur. Dominus hoc illi non imperat, sed permittit dumtaxat, ut tentet Job.

15. *Sabæi*, Qui in Arabia habitabant, & excurrere in vicinas regiones, ac latrocinia exercere solebant.

16. *Ignis DEI* cecidit de Cælo. Ignis grandis, vel ictus fulminis.

17. *Chaldae* fecerunt tres turmas. Terra Hus a chaldaea erat remo-

## Caput II.

131

tior; Unde Chaldae videntur venisse equites, ut indicant 70. qui pro Chaldae habent equites.

21. *Nudus egressus sum de utero matris meæ, nudus revertar illuc. Revertar in uterum alterius Matris, communis scilicet omnium parentis, in sinum terræ, seu sepulchrum.*

22. *Non peccavit Job labiis suis. Omne enim hoc malum religiosis, & DEUM timentibus oculis est intuitus.*

## C A P U T II.

**S**Atan percutit Jobum ulcere pessimo; uxor rideat, & objurgat. Tres amici ad eum veniunt, & septem diebus taciti in terra sedent.

3. *Ut affligerem cum frustra. Nihil mali commeritum, & quin diabolus consecutus sit, ut DEO malediceret Job, quod speravit.*

4. *Pellem propelle. Omnes opes, que inde vocantur suppellerex, quod sub pellibus adservarentur. Chaldaeus hic vertit membrum pro membro. Sed aptius pellem, nempe alienam, boum, Camelorum, mancipiorum, & etiam filiorum libenter dabit quis pro pelle propria: ut idem sit, quod mox sequitur: Cuncta qua habet homo, dabit pro anima sua, seu pro vita, & valetudine salva.*

7. *Percussu Job ulcere pessimo. Fœdissimo, simul & acutissimis doloribus referto. Chaldaeus vertit scabiem, lepræ, & elephantiasi coniunctam inquit Chrysost. & alii*

in catena. *Arthritide & podagra laborasse, consequenter etiam chiragra colligitur ex Cap. 16. v. 8. phthirias, seu pediculari morbo ex Cap. 30. v. 17. dysenteria ex Cap. 16. v. 14. Denique ex aliis locis conjectat Pineda, Jobum laborasse etiam lue venerea, angina, fame canina, igne sacro &c.* Neque dubium est, cum DEUS in hoc duello Jobum in potestate dæmonis posuerit, hunc ex innato odio, & superbia omnes, quas vivens ferre potuit, in eum plagas immisisse. Addit S. Chrysost. cum Athanas. lethales fuisse hos morbos, & mortem illatos, si DEUS eos ad cor, aut aliam principem partem serpere permisisset. Atque ideo Jobum Martyrem vocat,

R 2

8. Te-

8. Testa saniem radebat sedens in sterquilinio. 70. addunt extra civitatem. Alii in medio cineris, seu vilissimi loci, in quem cineres, sumus, sordes e domibus ejiciebantur. Testa radebat saniem, praepaupertate deficientibus linteis, aut quod digiti quoque ulceribus pleni usus essent destituti. Advertit S. Aug. serm. 222. de tempore: Ex omnibus bonis Job uxorem solam a dæmone relictam, non ut consolaretur, sed ut eum seduceret. Melior, ait, Job plenus vulneribus in stercore, quam Adamus integer in paradiſo.

9. Benedic DEO & morere. Sarcastimus uxoris est, quasi diceret: i nunc, servi DEO, benedic, & lauda DEUM tam tibi amicum, ut te jamjam morte perditurus sit.

13. Sederunt cum eo in terra 7. diebus & 7. noctibus. At cibi sumendi causa, & somni subinde discedebant redituri: & non loquebantur ei verbum. Forte in primo eorum adventu: aut certe nemo ex iis longam cum eo disputationem habuit, nisi post 7. dies explatos.

### C A P U T III.

**J**ob maledicit diei nativitatis suæ: & mala sua gemitibus prosequitur, atque miseras describit, ex quibus per mortem eripimur. Nota: a vers. 2. hujus capituli, usque ad vers. 7. ultimi Cap. omnia carmine conscripta sunt; teste S. Hieron. Isidoro, & aliis.

1. Maledixit diei suo. Maledixit eidem etiam Habacuc, & Jeremiah. Id est, optarunt eum nunquam fuisse in rerum natura, seu nunquam se natos fuisse. Vovere vero, aut optare creaturis irrationalibus malum, cum subest iusta causa, non est illicitum; erga has enim nulla datur charitas. Quin & maledicere ex zelo justo creaturis rationalibus, non ut tales sunt, sed ut impiæ sunt, peccatum non est. Unde Christus non soli sicui infrugiferæ maledixit Matth. 11. sed & reprobis ho-

minibus Matth. 25. discedite a me maledicti. Unde non est, cur ad verba indeliberata configiamus, quasi hæc Jobonimius doloris sensus expresterit. Neque ex impatientia animi ita locutus est; alias victoriam de eo retulisset Satan; cum tamen contrarium testetur sacer textus. Sed ratio, & pars animi superior laxat consulte habenas parti, seu appetitui inferiori, ut dolor internus in verba, & querelas erumpat, quibus tam amicis præsentibus, quam posteris omnibus testata fiat dolorum, & æru.

ærumnarum suarum acerbitas. Porro licere inefficaci, & conditionata voluntate desiderare, se natum non esse, dummodo absoluta, & efficaci voluntate resignatus sis in voluntatem DEI (ut erat Job) patet etiam ipsius Christi exemplo, etsi in alienigenere, Matth. 26. transfeat a me calix iste.

3. *Pereat dies Utinam periisset!* nunquam fuisset! Est enallage temporum Hebræis familiaris.

5. *Obscurent cum tenebrae, & umbra mortis.* Id est densissimæ tenebrae; adeoque ipsa nocte, & morte obscuriores.

8. *Maledicant ei, qui maledicunt dici.* Scilicet sibi infausto, & infesto. Ut solent Æthyopes, qui juxta Atlantem Æthyopiæ montem habitant: hi enim teste Herodoto, Plinio &c. Solem, & dum oritur, & dum occidit, execrantur; eo, quod nimio suo calore ipsos, ipsorumque terras perdat.

*Qui parati sunt suscitare Leviathan.* Locus hic diu, multumque tortus, & distractus interpres, quorum opiniones referre longum esset. Sunt, qui putent, Leviathan esse piscem prægrandem, ut balenam, quam dum pescatores captant, aut quia effugit retia, aut quia adven-

tante die non sperant se prædæ futuros compotes, se ipsos maledictis onerant. Alii existimant neque de pescatione, neque de pisce hic esse sermonem; sed tantum in execrationibus solitum admisceri nomen Leviathan. Tum enim illa communiter adhibentur, quæ horribilia sunt; In aquatilibus autem nihil novimus horribilium, quam Leviathan, seu Balenam; cuius ea est vis, ut oneratam navim una cum vectoribus demergat. Quocirca alicui precari occursum Leviathan, est mortem precari.

Alii haud minus probabiliter Leviathan exponunt lamentationem, & luctum, additque Maria na, proverbio Hebræis vulgari prohiberi mulieri in die festo Levitanus suscitare, quæ mulieres ad plangendum conductæ & lacrymas, & ferales voces venales.

14. *Qui edificant sibi solitudines.* Magnifica sepulchra, in quibus soli conduntur.

26. *Nonne dissimulavi &c.* Patienter ferendo omnia priora mala, quæ seu ab hominibus, seu a DEO mihi illata fuere. Quæ ergo causa me tam graviter affligendi.

## C A P U T IV.

Dicitur *I*ssertio inter Jobum, & Eliphaz, qui contendit, Jobum justè puniri, cum DeUS innoxios non puniat.

1. *Respondens autem Eliphaz The manites.* Theman Urbs est Idu-

mæ. Tam hic, quam alii amici Jobi apte quidem discurrunt de

genere bonorum, & malorum,  
sed acerbius, quam par esset, in  
Jobum invehuntur; quod falso si-  
bi persuasissent, eum malis premi  
ob peccata ante commissa; pro-  
positiones veras protulerunt, sed  
assumptiones erant falsæ.

3. *Manus lassas roboraſti.* Eos, qui  
nimio labore, dolore, morbo, vel  
adversa fortuna fracti, opportunis  
monitis, aliisque mediis excitasti.

6. *Ubi eſt timor tuus?* Filialis ille,  
quo DEUM præ rerum omnium  
jaſtura conſtanter timere, ejusque  
placitis acquiescere solebas.

9. *Flante DEO.* Solet ira DEI  
comparari spiritui, seu vento, tum  
ob facilitatem, tum ob vehemen-  
tiam, & celeritatem.

10. *Rugitus Leonis &c.* Per Leo-  
nem, loxnam & tygridem, potentes,  
& tyrannos designat, qui cives, &  
subditos suos deprædantur: sed  
tandem DEO puniente etiam ipſi  
ab aliis spoliantur, & non raro cum  
filiis fame quoque consumuntur.

12. *Dic̄um eſt verbum abscondi-  
zum.* Revelatio divinitus facta,  
quasi furtive clam, confusa rei ima-  
gine, & ſono significatum eſt.

15. *Cum Spiritus me præſente tran-  
ſiret.* Angelus a DEO missus adſtit-  
rit coram me, & aspectus illius  
mihi terrorem incuſit. De An-  
gelo immediate poſtea loquitur  
textus: *ſtetit quidam, cuius non agno-  
ſebam vultum, Græci, & alii com-*

plures interpretes spiritus nomi-  
ne hoc loco intelligunt ventum,  
auram mitem, atque lenem, de  
qua sermo eſt v. 16. *vocem quaſi  
lenis auræ audivi.* Utrumque ſen-  
ſum ſequi licet.

17. *Nunquid homo &c.* Hæc ſunt  
verba, quæ Eliphaz audivit ex  
Angelo.

18. *Non ſunt ſtabiles in bono, ju-  
ſtitia, & virtute:* tum quia non  
ſunt uti DEUS natura ſua immu-  
tabiles: tum quia defacto plurimi  
cum Lucifero deflexerunt a bono  
ad pravitatem.

19. *Qui habitant domos luceas.*  
Puta corpus e luto, & limo for-  
matum. *Conſumentur velut a tinea.*  
Vita enim humana paulatim per-  
rit, & ſenſim ſine ſenſu temporis  
tacita arroſione conſumitur.

20. *De mane uſque ad uesperam.*  
id eſt quotidie, & continuo ab  
ipſo primo vitæ exordio, donec  
perveniant ad uesperam, ſeu ter-  
minum vitæ; naſcentes enim mo-  
rimur; & vita hæc potius mors  
longa eſt, quam vita.

*Et quia nullus intelligit Impiorum,*  
nec providet relipſendo per poe-  
nitentiam, in aeternum damnati  
peribunt.

21. *Qui autem reliqui fuerint ex  
eis.* Filii, & nepotes, auſtentur  
morte, non in ſapientia, in insipien-  
tia ſua ſimiliter peribunt.

C A P U T V.

**E**liphas rursum Jobum redarguit, eo quod nemo sine culpa puniatur. Monet, nt ad DEUM se convertat, ita cuncta fore illi prospera.

1. *Ad aliquem Sanctorum convertere.* Si mihi ex DEI revelatione docenti neminem innocentem plebei a DEO ne cum credis, ipse met DEUM, vel Angelum, vel Sanctum aliquem invoca, ut contrarium, si verius sit, tibi revelet.

2. *Vere stultum interficit iracundia, & parvulum occidit invidia.* Stultus, & parvulus hoc loco non secus, ac alibi passim in proverbii Salomonis peccatorem significat, & vitrum, qui prava vivendi ratione a recto virtutis tramite deflectit. Videtur Eliphaz arguere, quod Job se ira, & invidia, vel potius furore abripi passus fuerit. Eum stultitiae insimulat, quasi lumine, & recte vivendi ratione deficeret.

3. *Ego vidi stultum firma radice.* Impium videlicet cum ampla familia, & divitiis. *Et maledixi pulchritudini ejus statim.* Id est, male ominatus sum, & mala vertice ejus iamjam impendentia ut prævidi, ita & prædixi.

4. *Filii conterentur in porta.* A Judicibus, & Magistratibus publica sententia (quæ in portis urbium ferri solebat) damnabuntur, & suppicio afficiuntur.

6. *De humo non nascitur dolor.* Calamitates non temere nobis ob-

veniunt ut in agro herbæ, sed a DEO peccata nostra vindicante. Unde S. Gregor. *nequaquam pene de ea nascuntur creatura, qua percutie, sed de ea, qua peccando vim percussione extorquet.*

7. *Homo nascitur ad laborem.* Non igitur nimium dolere, aut querulari debes o Job! propter ærumnas, & dolores tuos; nam ut avium proprium est volare, ita hominum adversis conflictari.

15. *A gladio oris.* Ab eorum lingua, quæ tanquam gladius acuta est, & ferit.

19. *In sex tribulationibus &c.* Hebraismus Poëticus: etsi septies, id est pluries in omne genus mala incidas, semper liberabit te. Septenarius enim in Scripturis plenitudinem, & universitatem significat teste Aug.

23. *Cum lapidibus regionum paclum tuum.* Non lèdent te lapides, seu quos nudis (ut olim solebant) pedibus calcas: seu qui superne decidui periculum tibi creare possent.

24. *Visitans speciem tuam.* Id est, speciosam, pulchram, florentem familiam tuam, non peccabis superbiendo ex ea, vel vane confiendo in ea.

26. In abundan<sup>tia</sup> dierum, & an-  
norum, id est in plena senectute  
morieris. Accervus tritici more ma-

turæ segetis, suo tempore demel-  
sæ, & in horreum illatæ,

## C A P U T VI.

**J**ob respondet Elipazio, ac dolorum suorum magnitudinem de-  
plorat. Conqueritur se ab amicis deseriti.

2. Utinam appenderentur peccata  
mea. In Hebreo nulla sit mentio  
peccatorum: Utinam appenderetur  
ira mea, seu gemitus mei: Nam  
calamitas mea quasi arena maris  
gravior appareret querelis meis, &  
gemitibus. Utinam appenderentur  
peccata mea, hoc tantum contendit,  
DEUM in peccata infirmitatis,  
quibus obnoxium se fatetur, non  
tam severe animadvertere, adeo,  
ut mala ista ob peccata a se com-  
missa, non obvenerint.

4. Sagitta Domini: nempe plagæ  
ulcera, & vulnera, quarum indi-  
gnatio, id est vehementia, & acer-  
bitas eibit spiritum meum. Exhau-  
sit omnem animi, & corporis mei  
vigorem.

5. Nunquid rugiet Onager? Non  
temere conqueror; nemo queri-  
tur, cum habet, quod vult.

6. Aut poterit comedi insulsum?  
multo minus, quod est amarissi-  
mum, & lethiferum.

9 Solvat manum suam, quæ qua-  
si ligata, solum lente me vulne-  
rat; dissoluta, & libera percutiat  
me totis viribus, citoque interi-  
mat. Brevem enim mortem lon-  
gæ morti præopto.

10. Nec contradicam sermonibus  
sancti. Nec DEI voluntati repu-  
gnem, sed libens me ejus iussis  
subjiciam.

11. Ut sustineam. Ut sustinere  
possim diu, vires non adsunt.

13. Necessarii mei. Amici, pro-  
ximi, & intimi, quorum, quia  
ope carere ægre possumus, neces-  
sarii merito vocantur. Notat tres  
amicos suos, quod acerbiores in  
se experiretur.

16. Qui timent pruinam &c. Qui  
me vitant, incommodum aliquod  
sibi a me metuentes, in longe  
graviora mala incident.

17. Solventur de loco suo. Excide-  
nt pristina gloria, & felicitate.

18. Involuta sunt semita gressuum  
corum. Id est opera, & negotia il-  
lorum implicantur multis pecca-  
tis, laboribus, molestiis, dolori-  
bus: ac tandem æterna damnatio-  
ne involvuntur.

19. Considerate semitas Theman,  
itinera Saba. Videte, quam pauci  
amicorum meorum in Theman, &  
Saba habitantium ad me invisen-  
dum, & solandum accurrant,  
nempe omnes pene vieti pudore,  
& contemptu deterriti fugiunt me  
&

& aversantur. Confusi sunt, quia speravi. Puduit eos infelicitas, & abjecta fortis meæ, necessitudinisque, qua mihi adstringebantur, & opem ferre cogebantur, quam jure merito, sed frustra, speravi.

25. Quare detraxisis sermonibus veritatis? Audaciam Jobo, & robur præbet conscientia, atque ideo libere his etiam, qui male de ipso sentiunt, & loquuntur, corrigendum se, & formandum permittit. Imo & ipsos arguit adversarios, quasi nihil invenire queant a viro bono, & officioso alienum, & audient præterea sermonibus ejus detrahere, quasi falsi essent, aut fucati, cum tamen nulla menda cii labes iis aspersa sit.

27. Super pupillum irruitis. Perinde acsi pupillus esse in natura de-

bilis, & ab omni auxilio nudus, quique referire neque audeam, neque possim, sic in me omnes irruitis, ut amicum vestrum, quem levare potius deberetis, opprimatis.

28. Verum tamen, quod capitis, explete. Non recusat Job censorium illorum examen, neque timet linguis quantumvis acutas, & liberas, atque ideo jubet, ut quod instituerunt, persequantur; sibi tamen, ut prius respondere liceat, petit, deinde videant, an in verbis suis mendax quidpiam deprehendant, quod ne ab iniquis quidem judicibus metuit. Reliqua ad finem capitii tam aperte prosequitur, ut nostra explicatione non egeant.

## C A P U T VII.

**H**Umana vitæ, suæque imprimis, calamitates depingit: petitque a DEO tantis malis cito exsolvi.

1. Militia est vita hominis. Septuag. πειρατήριον, id est locus tentationis, vel si mavis, exercitium piraticæ, aut locus piratis infestus. q. d. mille periculis, mille conflictibus, & morbis quotidianè expositi sumus, sicut qui militæ dant operam, terra vel mari innumeris undique hostibus cincti.

Et sicut mercenarii dies ejus. Sic enim paterno Adami, & hereditario jure omnes adstringimus labori, & dolori.

3. Habui menses vacuos Omni quiete, & solatio; id est tempora molestissima.

8. Oculi tui in me. Quærent me oculi tui, sed non invenient, morte scilicet sublatum. Loquitur humano more, quasi dicat: cum benefacere mihi volueris, tempus non erit amplius; quia e vivis sublatus ero.

12. Nunquid mare ego sum, aut cetus? non mare, cui ripæ objiciantur, aut claustra, ne se extra S defi-

definitos terminos effundat: neque bellua immanis, aut ferox, quæ ne aliis aut inhalet pestilentem spiritum, aut dentibus, unguibusque conficiat, ferreis arcetur vinculis. Ac si diceret (quod alii videntur objecisse) se non fuisse tyrannum, neque aliorum sanguinem exsuxisse, vel opes exhaustisse.

15. *Elegit suspendium anima mea.* Suspendium aut crucem vita potiorem duco. Optarem potius mortem violentam mihi contingere.

16. *Desperavi, non de beatitudine æterna (de qua nullus hic sermo) sed de vita, & salute corporis, seu sanitate naturaliter recuperabili.*

*Parce mibi, nibil enim sunt dies mei.* Orat Job, ut pauxillum quod superest vitæ, peragi finat clementius, parcus feriat, & temperet stimulus, quos antea exacerbaverat.

17. *Quid est homo, quia magnificas eum?* Cur eum tanti facis, ut cum eo quasi pari duello congregariis tela plagarum tuarum in pectus ejus torquendo? Ecce ait Seneca, par DEO dignum, vir fortis cum male fortuna compositus.

18. *Visitas eum diluculo.* Initio

demulces variis consolationibus, & deliciis; Et subito probas illum. Mox iis suberactis tentare incipis mille afflictionibus.

19. *Ut glutiam salivam meam.* Ut paululum respirem.

20. *Peccavi.* Fateor peccatum meum coram te, quid faciam tibi? quomodo tibi satisfaciam juste, ac plene pro admissis peccatis? O custos hominum! Hominum Conservator, & Custos DEUS, omnium actionum nostrarum scrutator.

*Posuisti me contrarium tibi.* Præ tot aliis peccatoribus me unum elegisti, in quem ceu adversarium tuum omnia tela iræ tuæ destinato vibrares.

21. *Cur non tollis peccatum meum?* Hoc loco peccatum pro peccati supplicio, & poena sumitur, quod in Scriptura Sacra frequentius est, quam ut a me probari debeat.

*Ecce nunc in pulvere dormiam.* In terram revertar, & resolvar. Et si mane me quæsieris, non subsistam. Ni si quamprimum auxilium tuleris, deficitam, & cum quæsieris me, non ero. Nemo unus non videt omnes has locutiones penitus esse humanas, velut amici ad amicum, ut opem acceleret; Ad DEUM enim, qui novit, & facit omnia, dirigi nequaquam possunt.

C A P U T VIII.

**B**aldad probare conatur, calamitatem Jobi esse pœnam peccatorum. Illius virtutem hypocrisim appellat, eumque hortatur, ut ad DEUM confugiat.

2. *Spiritus multiplex.* Hebr. *validus*, Græce, *multiloquus*: Quo tanto verborum apparatu jactas innocentiam tuam, & quali accusas clementiam, & justitiam Divinam.

3. *Nunquid DEUS supplantar judicium?* Ita argumentatur Baldad: DEUS non supplantat, neque subvertit judicium, quod justum est, atque ideo innocentem non castigat, alioquin judicium supplantaret, sed te nunc gravi supplicio cruciat; ergo innocens non es. Sed in hoc ipso Baldad supplantavit veritatem, & verum argumentum cum hoc penitus fallaci confudit; DEUM scil. nunquam justis mala immittere; Nulla liquidem illis immittit mala ut peccatorum pœnam; sed eos probat, illorumque merita auget malis temporalibus, quæ Divina potius beneficia censenda sunt, quam supplicia.

4. *Etiam si filii tui peccaverunt.* Licet in flagitiis suis obierint, & hac illis evenerint in pœnam peccatorum; tibi tamen non oberit, si humili prece ad DEUM confugeris.

6. *Pacatum reddet habitaculum tuum.* Omni prosperitate beabit:

Hebræis enim *pax* omnem felicitatem designat.

9. *Hæsterni sumus.* tanquam nuper nati multa ignoramus, & in experti sumus.

11. *Nunquid virere potest scirpus?* seu juncus; 70. *papyrus*: quæ planta est frequens in Ægypto: sensus est: quemadmodum herbae, quæ in locis uliginosis proveniant, aqua destituta arescunt; ita hypocrita a DEO bonorum omnium fonte recedentes.

*Carectum locus*, in quo multi carices; est autem *carex* junci genus. 70. pro *carectum* habent *pratum*.

15. *Innitetur super domum suam* &c. in temporalibus bonis spes suas fundabit, sed bono fine frustrabitur, nihil enim firmum est, aut fixum, quod DEI præsidio destitutum.

16. *Humectus*, *scirpus*, seu juncus, redit enim ad priorem allegoriam, videtur in ortu suo: Hebr. Chaldaice, & Græce in horto suo bene virens, & germinans: sed super *accervum petrarum* radicatus, quia *radices* profundius jacere non potest, ideoque eas in superficie petræ condensat; hinc solis ardore statim exarescit, absor-

pto omni, quo ante fovebatur, humore: adeo, ut loco suo prorsus excidat, possitque locus ei dicere: non novi te: quia scil. nullum tui superest vestigium. Sic impius hypocrita initio videtur florens, & felix: & mox marcescit,

& justo DEI judicio alii de terra germinantur, & in locum ejus succedunt.

20. Donec impleatur risu os tuum. Bonis adeo te ditabit, ut voluptate, & latitia maxima perfundaris.

## C A P U T IX.

**J**ob solvit, quæ fibi sunt objecta. Confitetur DEI justitiam, potentiam, & sapientiam. Sed ostendit DEUM citra ullam in-justitiam innocentem probare, & exercere pœnis temporalibus.

2. Vere scio quod ita sit, DEUM scilicet esse justissimum. Et quod non iustificetur homo compositus, seu comparatus cum DEO. Si enim justitia hominis cum justitia DEI conferatur, nulla est, propter multa occulta, & aliena peccata. Hic locus nihil savet Novatoribus contendentibus, non inesse homini internam justitiam: nam sicut v. g. candela, aut aliis ignis accessus a sole, nihil esse dicitur comparatus ad solem, et si lucem aliquam habeat, ita & Job admittit in justo justitiam internam, et si non sufficiat ad hominem præservandum ab omni afflictione, qua DEUS ut supremus Dominus etiam innocentem probare potest, vel levia quedam errata plectere.

5. Qui transtulit montes, Chald. Reges, & nescierunt, nec cogitaverunt, nec id prospexerunt.

6. Qui commovet terram - - & columnæ ejus concutiuntur. Columnas tribuit terra, velut ædificio,

ad vulgi captum sermonem accommodans.

7. Præcipit Soli, & non oritur. Allegorice Dydimus, & Athanas. hæc intelligunt de obscurato Sole in passione Christi. Et stellas claudit, ne luceant, quasi sub signaculo. Cœlum inscriptura, ut Isaïæ 4. Apoc. 6. comparari solet cum libro, cuius characteres sunt sydera, & signaculum, quo clauditur, tenebræ ipsæ, extenditur, cum stellis ornatum micat, aut serenum est.

9. Qui facit arcturum, stella est sic dicta ab ursæ cauda, prope quam est, & Oriona, stella est prope taurum, & Hyades, stellæ sunt in capitæ tauri. Et interiora Austræ, stellas meridiei prope polum antarcticum nobis semper occultas.

13. Sub quo curvantur, qui portant orbem. Sub cuius immensa cœlitudine humiliiter se inclinant tum Angeli, tum Principes seu boni, seu mali; Nam hi sua sapientia,

potentia, & imperio, quasi manibus, & humeris orbem sustinent.

17. *Turbine conteret me, etiam sine causa mihi cognita.*

20. *Si justificare me voluero, ostium condemnabit me.* Hac ipsa de causa, quod me justum reor, & innocentem jacto, noxius sum, hoc enim officit reverentia, summa Majestati debita.

22. *Unum est, quod locutus sum.* Hæc est summa a me dictorum, & sententia meæ, cuius ne nunc quidem me pudet, aut pœnitit. *Innocentem, & impium ipse consumit.* Quod quis cum multis malis a DEO immisis conficitur, signum non est, improbum eum esse, & propter scelera, ut vos dicitis, a DEO puniri.

23. *Si flagellat, occidat semel, & non de pœnis innocentum rideat.* Ictus manus DEI adeo terribiles sunt, & periculum in obmurmurationem, aut impatientiam incidenti tantum est, ut nullus sit justus, qui non mortem optare potius debet, quam tentationi objici, quæ proprias vires excedat. Unde orare jubemur: *ne nos inducas in temptationem.* Cum vero Job precatur DEUM, ne de pœnis innocentum rideat, non ideo dixeris DEUM ob mala nostra lætari, hæc enim blasphemia esset, ac impia cogitatio: verum ait præstare homini mortem obire, quam temptationi succumbere, & hoc pacto DEI iram, & contemptum mereri. Si tamen DEUS gaudeat in

calamitatibus nostris, agit ut Pater, qui filii lacrymis non moverunt, cum novit id non sine lucro ejus, & emolumento accidere.

24. *Terra data est in manus (potestatem) impii, vultum judicū ejus operit.* Impius Judices excœcat, & & quasi velo eos induit donis suis. Probat Job non semper pœnas a DEO propter delicta decerni, quia & ipse permittendo, vultum Judicis operit, ne videat, sed donis corruptatur; seu sinit justo, sed occulto judicio orbem terrarum ab impiis, & ignaris iudicibus regi.

26. *Pertransierunt velut naves portantes.* Tales enim naves concitatissimæ sunt, tum quod poma levia sunt, tum ne putrescant, aut ab aliis mercatoribus vehentes præveniantur. Addunt 70. *qua nullum sui vestigium relinquent.* Tales enim sunt anni nostri.

29. *Si autem & sic impius sum &c.* Quod si mihi adhuc tanquam impio timendum est, cur vitam longiorem optem, tot anxietatibus plenam?

33. *Ponere manum suam in ambobus.* Id est, instar Judicis utrumque, nempe DEUM & me reprehendere, & dijudicare. Altior, & potentior est DEUS, quam ut vel a me, vel ab alio quopiam possit in jus vocari, sed omnes supremo ejus tribunalij subjacent, ipsumque ut Dominum merito timent, & pavent,

## C A P U T X.

**J**ob securus de sua innocentia, certus de Di vina justitia conjicit se in sinum ejus misericordiae: sed propter vehementiam dolorum, mallet se nunquam natum fuisse. Vivum est exemplum luctae carnis, & spiritus.

1. *Dimittam adversum me eloquium meum. Loquar libere, & conquerar de mea miseria. Spero id mihi fore aliquanto levamini.*

2. *Cur me ita judices? metonymice, pro punias.*

3. *Nunquid bonum tibi videtur, si calumnieris me, & opprimas? sensus est: minime hoc tibi placet, alienum est a tua bonitate, & clementia. Et consilium impiorum adjuves? Num interest gloria tuae eorum favere sententiaz, qui, exteriorem solum speciem intuentes, me velut scelestum objurgant, & calumniantur.*

4. *Nunquid oculi carni tibi sunt? ut specie externa decipi possis instar hominum in judicio?*

5. *Num sicut dies hominis &c. Qui successive, & per partes, ac post longa demum tempora veritatem cognoscunt, & de statu causæ certiores fiunt?*

7. *Cum sit nemo, qui de manu tua possit crucire. Nequicquam tibi æquitatem causæ meæ exponerem, neque enim illam ignoras. Frustra a te ad alium judicem provocabo, nemo enim alias eripiet me.*

8. *Manus tua fecerunt me, & plasmaverunt me totum in circuitu.*

Veluti figulus, qui currente rotavas fingit, eique, quam mayulis, figuram tribuit.

10. *Nonne sicut lac mulsiisti me, & sicut caseum me coaguliisti. Innuere vult modum, quo gignuntur homines; supponit pueri corpus in utero matris effingi, sicut caseum, qui coagulatur; quæ satis vulgata fuit veterum opinio. Verum recentiores Philosophi alia ratione generationem explicant, atque proprius rei veritatem attingunt. Job non alio modo debebat loqui, ut ab aliis intelligeretur.*

12. *Visitatio tua custodivit spiritum meum. Tua suavis providentia conservavit vitam meam.*

15. *Si impius fuero, ut mihi est: Justus sim, vel injustus, neque de te conqueri, neque te injustitiaz ausim insimulare. Sed silens consiliorum tuorum altitudinem veneror.*

16. *Propter superbiam quasi Leænam capies me. Videris me sicut Leænam insectari, & ut superbum, ac rapacem exagitare. Reversusque. Id est, iterum atque iterum mirabiliter me crucias, plagam plagiæ superinducendo. Simili Hebraismo verbum pro adverbio po-*

nitur Psal. 84. v. 7. *Conversus, id est iterum, vivificabis me.*

17. *Instauras testes tuos: Nempe flagella tua, & plagas: nam h̄x testes videntur divinæ iræ.*

20. *Dimitte me. Aliquid indulge quietis, ut nonnihil respirem. ut plangam paululum dolorem meum. Causam doloris, seu peccatum mihi adhuc occultum.*

21. *Ad terram tenebrosam. Secundum corpus in sepulchrum, secundum animam in limbum. Poëtice describit regionem mortis, quæ vulgi opinione tenebris, & horrore scatet, ubi nullus ordo, non temporum vices, non diei, noctisque interpolata spatia, confusa omnia, ac perturbata.*

## C A P U T XI.

**S**ophar tertius amicus Jobum arguit ut loquacem nimis, & cūriosum, qui sublimia loqui, aut scire amat; resipiscēti felicia quæque promittit.

2. *Aus verbosus justificabitur? Credis aures nostras prolixis sermonibus tuis obtundere, ac inanibus verbis te innocentem probare.*

6. *Quod multiplex esset Lex ejus. Multa exigens, & præscribens; ac proinde multis quoque modis in eam peccatur. Et multo minora exigaris, id est: multo minora patiaris ab eo.*

12. *Tanquam pullum onagri. Ut sylvestris alini pullus stolidus ferox est, & nulli se legi subjectum putat, ita tu Job, qui divinæ putnitionis jugum fers impatienser.*

13. *Tu autem firmasti cor tuum. Obduratus manes in tua superbia. Ex expandis manus ad DEUM. Quid mirum si ab eo non exaudiaris?*

17. *Quasi meridianus fulgor consurget tibi ad vesperam. Cum in tenebris esse credideris, sol tibi quasi meridianus astulgebit; atque in-*

ter saevissimas calamitates repente prosperitatis tibi lux oborietur. Nox scripturarum stylo saepe pro adversis rebus usurpatur, pro secundis vero dies.

18. *Desossus securus dormies. Neque mors ipsa tibi metum incutiet, post vitæ hujus curriculum meliorem conditionem speranti. Hebr. effodies, & securus dormies. Effodies tibi sepulchrum, & dormies. Chaldaeus ait: cum fiducia constanti morieris.*

19. *Deprecabuntur faciem tuam. Eris potens, & multi auxilio tuo indigebunt.*

20. *Effugium peribit &c. effugere non poterunt mala spes illorum abominatio anime. Spes illorum resident in rem maxime abominabilem, scilicet in æternum supplicium.*

## CAPUT XII.

**J**ob acriter amicos suos objurgat, atque ostendit illis, se nihil eorum ignorare, quæ ipsum docere cupiebant. Probat vero DEI providentiam, & summam potestatem.

5. Lampus contempta apud cogitationes divitum. Justus est velut lampas effulgens, & lucem undique emittens. Parata ad tempus statutum, ut statuto tempore judicii honoretur, & exaltetur.

6. Abundant tabernacula prædonum. Domus potentum, qui in alios violenti sunt, & injusti.

7. Interoga jumenta, & docebunt te. Per Prosopopiam personam intelligentia participem jumentis tribuit, quasi diceret: quæ ab amicis commemorata, sunt ejusmodi, ut jumenta, si loqui possent, non minora dicerent, & auctorem DEUM prædicarent. Neque cognitionem DEI tantum docent bruta, sed & morales virtutes permultas, ut fidelitatem, temperantiam, gratitudinem; quin terra ipsa inanimis creditam sibi sementem longe uberiore copia solet refundere.

11. Auris verba dijudicat. Ut sensu percipiuntur sensibilia, sic mente opera DEI, & DEUS ipse agnoscitur.

17. Adducit consiliarios in stultum finem, & judices in stuporem. Facit stupidos, & fatuos. Sic v. 20.

Commutans labium veracium, & v. 24. Qui immutat cor principum & decipit eos ut frustra incedant per invium. His & similibus perperam abutitur Beza cum aliis Calvinistis, ut probet DEUM esse auctorem peccati. At vero hoc loco agit Job de potentia DEI, qui bona homini malo objicit, & homo suo vitio his abutitur ad malum: DEUS vero liberam hominis voluntatem permittit ab incommutabili bono deficere, licet impedire posset.

18. Baltheum Regum dissolvit &c. Regia dignitate, & illius insignibus privat, atque ad paupertatem, & mendicitatem redigit.

19. Dicit Sacerdoles inglorios. Chaldeus optimates: nam vox כהן Cohen Sacerdotes, & aliquando Principes significat; hos DEUS spoliat, deprimit, aut extollit juxta Divinum suum beneplacitum.

22. Producit in lucem umbram mortis. Densissimas tenebras commutat in lucem splendidissimam.

24. Ut frustra incedant per invium. Frustra res novas moliantur, ut: cum Religionem mutare student aut jura, receptasque consuetudines convellere nituntur.

CA-

## C A P U T   X I I I .

**P**ergit Job se ab amicorum suorum probris tueri, perfectam se in DEO testatur habere fiduciam, atque ad DEUM ipsum suos questus dirigit.

3. *Et disputare cum DEO cupio.* Nam a vobis doceri nihil possum, sed opto cum DEO disceptare, qui est vera sapientia.

8. *Nunquid faciem ejus accipitis?* & pro DEO agere vultis, ut solent homines, qui personas potentum respiciunt? vultis DEO gratificari me opprimendo.

10. *Ipse vos arguit.* Vestram agentem rationem condemnabit. *Quoniam in abscondito faciem ejus accipitis.* Fraudulenter, ut favere DEO videamini.

12. *Memoria vestra comparabitur cineri.* Quidquid in vobis memorabile est, ut cinis a modico vento dispergeretur.

14. *Quare lacero carnes meas:* Videor vobis instar furibundi dentibus meis meipsum dilacerare. *Et animam meam porto in manibus meis,* quasi illius prodigus. Hebraismus est, ut animam in manibus portare idem sit, quod vitam esse expositam periculo; quod enim in manibus portatur, facile excidit, aut eripitur.

15. *Etiam si occiderit me,* in ipso sperabo. In Hebreo est: *לֹא אִירְאֶל jichel.* Quod aliqui cum Lutherio perperam vertunt: non sperabo. Nam *לו* non semper negationem,

sed aliquando idem ac *Ei*, qui est dativus pronominis, significat. Vertendum itaque est *Ei*, vel in ipsum sperabo. Et fatentur Masorethæ Tiberienses, se in diversis antiquis codicibus invenisse *לו* cum *cholem, ei, vel in ipsum* sperabo. Nisque dici potest verbum *לֹא jichel* non regere dativum, proinde *לו* sperabo non esse in dativo, sed idem sonare, ac non sperabo. Nam contrarium patet ex Psal. 103. v. 5. Psal. 119. v. 43. & Mich. 5. v. 7. ubi idem verbum cum dandi casu conjunctum est. Illustre hoc loco Job præbet documentum in rebus arctis omnem fiduciam in DEO esse collocandam. *Vias meas in conspectu tuo arguam.* Corrigam, DEO, qui falli non potest, probabo innocentiam meam.

17. *Anigmata percipite.* Hebr. elocutiones, propositiones meas, quæ vobis videntur obscuræ, quasi anigmata.

19. *Quis es,* qui judicetur mecum, qui sententiani æqui judicis mecum subeat. Hebr. qui litiget mecum coram judge. *Quare tacens consumor?* Cur instar rei, & probati nocentis sileam, & sic moriar? & non potius innocentiam meam quibus potero viis aperiam, & defendam?

23. *Quantas babeo iniquitates &c.*  
Hic incipit Job pro seipso causam dicere, quasi responsum a DEO tulisset, ut, quæ vellet, pro innocentia sua proferret.

24. *Cur faciem tuam abscondis?*  
me non ut prius tuo favore prosequeris? Arbitraris me inimicum tuum. Sic tractas, & exagitas me, ac si essem juratus tibi hostis. Sed pugnas

25. *Contrafolium.* Indignum hoc est tua Majestate, & potentia, ut manus conferas cum tam imbelli adversario, stipulae, & folio comparando.

26. *Scribis enim more forensi, instar judicis contra me amaritudines, amaras poenas, & multetas. & consumere (perdere) me vis peccatis adolescentia mea.* Ob peccata jam pridem commissa, sed longa penitentia, multisque bonis operibus plene, ut putabam, deleta.

27. *Posuisti in nervo pedem meum.* Nervus est lignum magnum, quo pedes vincitorum stringuntur. Sic metaphorice vocat Job suas afflictiones, & dolores, quibus secundum animum, & corpus stringebatur. Et observasti omnes semitas meas, actiones meas.

## C A P U T X I V .

**J**ob humanæ vitæ brevitatem, & miseriā exponit; DEI prudētiam admirans vaticinatur de altera vita, & corporum resurrectione.

3. *Adducere eum tecum in iudicium.* Miror, quod etiam de rebus minutissimis, atque levissimis rationem reddere velis, tuque illum judicare.

4. *Quis potest facere mundum de immundo.* 70. habent: *Quis enim mundus erit a sordi? sanc nemo, etiam si unius diei sit vita ejus super terram.* Quæ interpretatio satis ostendit sermonem esse de peccato originali; ut passim fere omnes explicant. *Nonne tu qui solus es?* Vel intelligi potest de æterna Verbi generazione, in qua omnia mundissima juxta illud Psal. 109. In splendoribus Sanctorum ante Luciferum genui es. Vel

de temporali nativitate, de qua Lucæ 1. 35. quod nasceretur ex te sanctum, vocabitur filius DEI. Sensus etiam esse potest, ut Job tribuat illam munditiam non tam DEO, aut filio DEI, quam ejus in homines inducendi potentiam commemoret. Quam præter ordinariam legem in conceptione Immaculatae Virginis exercuit; quasi dicat, quis dabit, vel facere poterit mundum de immundo semine? nonne tu?

5. *Constituisti terminos ejus.* Tamdiu vivit homo, quamdiu vult DEUS necessitate consequentia; atque apud ipsum est certissima præ-

præscientia dierum, quibus homo victurus est, non inevitabilis causarum connexio, seu fatum hanc necessitatem inducit.

6. Recede paululum. Intermitte nonnihil cruciare, & torquere miserum. Donec optata veniat sicut mercenarii dies ejus. Quietem a laboribus, & ærumnis intelligit, quam comparat cum mercede mercenariorum diebus festivis, quos avide expectant, ut quiescant, & hilarius vivant.

7. Lignum habet spem. Alia est hominis, alia arboris conditio: hæc excisa, non evulsa, iterum germinat; non item homo.

9. Ad odorem &c. ad levem contractum aquæ rursum virescat.

12. Non resurget, donec ateratur Cælum. Sensus esse videtur, prius atteretur, comminuetur, & deficiet Cælum, quam reviviscat homo: ut sit dicendi modus similis illi Matth. 24. 35. Cælum, & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt. Vel ut alii volunt, sermo est de cœli immutatione infinite mundi.

15. Ut in inferno protegas me, & abscondas me. Plerique per infernum intelligunt sepulchrum, aut limbum, in quo mallet recondi Job, quam talia subire, qualia nunc a multiplici carnificina, & morbo patiebatur, a populari convitio, & ab amicorum, atque domesticorum injuriis. Ita videtur sentire August. Et constitutas mibi tempus. Nempe diem resurrectionis,

nisi, in quo recorderis mei, meque relinscites ad vitam meliorem. Ita Gregor. Chrysost. &c.

14. Putasne mortuus homo rursum vivat? Supra naturam hoc est, & videtur incredibile. Tamen fide certa id credo: unde expecto donec veniat immutatio mea per gloriam animæ, & corporis.

15. Vocabis me. In sono tubæ, voce Angeli, divino tuo imperio; & ego respondebo tibi non tam voce, quam re ipsa tibi parendo, & ad nutum tuum statim resurgendo: non meis viribus, aut meritis, sed tua potenti dextera, quam operimatum tuarum porriges, Creaturæ tuæ, illam ex mortuis erigendo, & excitando.

17. Signasti quasi in sacculo delicia mea, obsignata, & recondita habes in memoria tua; sed curasti iniuriam meam, remittendo, & ignoscendo, propter pœnitentiam, quam egi.

18. Mons cadens distuit. Si montes, & lapides tam duri, tam solidi, tamen naturæ mutabilitate paulatim pereunt; quid mirum si fragilis homo cedat?

20. Immutabis faciem ejus. Canities inducta, senio, & rugis.

21. Sive nobiles fuerint filii ejus, sive ignobiles. Id naturaliter nesciunt: sed ut viventes multa per fidem norunt de statu futuri sæculi, ita qui in Christo mortui sunt, ea norunt, quæ ad suam felicitatem spectant. Ex Gregor. in hunc loc. & August. L. de cura pro mort.

## CAPUT XV.

**E**liphaz pergit arguere, quod Job illa patiatur mala ob graviora peccata, eumque acerbius impietatis accusat. Describit impiorum, & hypocritarum nequitiam, & pœnam.

2. *Nunquid Sapiens, qualis esse, & videri vis, respondebit quasi inventum loquens. Pro seruis vana, & impertinentia reddet, ut tu agis?*

4. *Evacuasti timorem. Scil. DEI: Religionem verbis tuis, quantum in te fuit, evertisti. Tulisti preces. Sustulisti, quia non vis DEO supplex fieri, sed audacter cum eo disceptas.*

5. *Blasphemantium. Proprie verutorum, malignorum, & callidorum, a radice Ὑγκαραμ, quod est vafre, & maligne agere.*

10. *Et senes, & antiqui sunt in nobis. In civitate nostra sunt vires & senectute, & rerum experientia spectabiles, & qui non te solum, verum & Patre tuo natu majores sunt.*

15. *Inter Sanctos ejus. Id est Angelos, nemo est immutabilis per se, & ex natura sua. Et cœli non sunt mundi. Cum Chaldeo Cœli pro Angelis cœli incolis non sunt mundi comparatione Divinæ munditie. Et hoc sensu dicebat Christus: nemo bonus, nisi solus DEUS. Marci 10.*

18. *Non abscondunt Patres suos. Citant auctores suæ assertionis, & mez, majores suos; nempe quod*

soli impii, & tyranni affligantur a DEO.

19. *Quibus solis data est terra. Hoc refertur ad sapientes, & eorum Patres, de quibus versiculo præcedente sermo fuit; qui tam sapienter, & fortiter omnia administrarunt, ut nemo eis nocere potuerit; unde illorum dictis, & instructionibus merito credere debemus.*

21. *Sonitus terroris. Strepitus vel levissimus folii vento concussi terret miserum, undique insidias suspicatur.*

22. *Non credit, quod reverti possit de tenebris ad lucem. Non credit se emersurum e calamitatibus.*

24. *Sicut Regem, qui præparatur ad prælium. Versantur enim in magnis angustiis, & solicitudine Reges, cum exercitus jamjam configere debent, ex quo summa rerum pendet.*

26. *Pingui cervice. Id est arrogantia, & obstinatione in malo.*

30. *Non recedet de tenebris. Non evadet miseras. Quin & ramos, proles ejus arefaciet flamma, & absumet igne tribulationis. Aufereatur ipse impius spiritu oris sui, quia ex ore proprio judicabitur. Complut*

plut: oris ejus. Chald. oris DEI, qui spiritum tyranni diffabat.

35. Concepit dolorem: machina-  
tus est dolorem alteri inferre, &  
peperit iniquitatem cum videlicet in-

justitia in externum opus erum-  
pit.

Uterus ejus. Mens seu animus par-  
turiens semper noxias inventio-  
nes.

## C A P U T XVI.

Job acerbos consolatores, ut par est, excipit. Tum DEUM  
compellat & testem, & vindicem.

3. Aut aliquid tibi molestum est, si  
loquaris? Mihi graves estis & mo-  
lesti, at vos, cum ita loquimini  
inconsiderate, nullum laborem  
subitis.

4. Utinam esset anima vestra pro  
anima mea. Si vos meo essetis loco,  
non quod optem: sed si ita con-  
tingeret.

5. Moverem caput meum super vos,  
qui habitus est dolentis, & com-  
miserantis.

6. Quasi parcens vobis. Quasi ve-  
strum dolorem minuens blanda  
oratione, non exasperante, ut vos  
facitis.

8. In nibilum redacti sunt. Hy-  
perbole, pro viribus destituti sunt,  
ulceribus, & vulneribus exesi.

9. Et suscitatur falsilogius. Et cum  
his omnibus etiam amici falso  
me accusant. Allegorice quadrant  
hæc omnia in Christum patien-  
tem, cuius figura erat Job.

11. Percusserunt maxillam meam.  
Convicti sunt in facie, & co-  
ram.

12. Conclusit, velut in carcerem,  
& angustias tradidit me.

13. Contritus sum. Redactus ad  
paupertatem, & miseriam. Tenuis  
cervicem meam, ut Antagonistæ fa-  
ciunt, cum eos, quibuscum pu-  
gnant, dejicere volunt. Posuit me  
in signum seu scopum, in quem  
omnia tela conjiciat.

14. Effudit viscera mea. Hyper-  
bolice designat dysenteriam.

19. Terra ne operias sanguinem  
meum. Nullibi legitimus Job san-  
guinem suum effudisse: at filii  
ipsius violenta morte oppressi:  
ipse quoque doloribus obrutus cum  
sanie, quæ toto corpore fluebat,  
sanguinem fudisse dici potest. Vo-  
luit Job Cœlo, & toti mundo no-  
tam esse calamitatem suam: S. Gre-  
gor. allegorice refert ad sanguinem  
Christi melius clamantem, quam  
Abel, nempe misericordiam, non  
vindictam.

21. Ad DEUM stillat oculus meus.  
Cum lacrymis clamo,

## CAPUT XVII.

**J**ob doloribus obrutus a DEO petit, ut ipsi in morte requiem tot malorum concedat. Queritur de amicorum suorum probris, & injusitia.

1. *Spiritus meus attenuabitur.* Jam laborat attenuatus spiritus, vires imminutæ sunt, & a morte proxime distare sentio.

2. *Non peccavi tantum, ut ea merear flagella, & in amaritudinibus moratur oculus meus.* Qocunque vertam oculos, omnia amaritudine plena video.

3. *Pone me juxta te.* Hebr. pone fideijussionem meam tecum. Fide-jube, seu promitte, quod apud te, & non apud homines causa mea ageatur, tum neminem timebo.

4. *Cor eorum longe fecisti a disciplina.* Impios relinquis in sua cœcitate, quia putant neminem a te affligi, nisi qui graviter te offendit.

5. *Prædam pollicetur sociis, & oculi filiorum ejus deficient.* Loquitur semper de falsis amicis. Tanquam ob certam victoriam lætantur, dividunt jam inter se hostium spolia, multa alia decernunt, & interim filii ipsorum omnibus indigent.

6. *Exemplum sum.* In exemplum hypocrysis a DEO punitæ præponor.

8. *Stupebunti justi.* Mirabuntur pii posteri, erigentur, ut simili modo se se impiis opponant.

10. *Convertimini &c.* Videtur Job provocare amicos ad instaurandam disputationem, quasi illis jam obmutescientibus insultet.

11. *Dies mei transferunt.* Redit ad querelas suas, quod miseri, & ægrotantes faciunt. Cogitationes meæ dissipatae sunt, variis motibus agitatæ, doloris, timoris, spei &c.

12. *Noctem verterunt in diem.* Angustiæ, & dolores mei noctes mihi insomnes reddunt. Post tenebras spero lucem. Cum noctu nihil levaminis percipiam, iterum lucem reddi, & diem oriri desidero.

13. *Si sustinuero, infernus domus mea est.* Si patienter expectavero, tamen mihi moriendum est. Nam *infernus* in scriptura locum hominis mortui significat, vel secundum corpus, tumque est sepulchrum, vel secundum animam, quicunque sit locus ille, in quo nondum beatus est.

14. *Putredini dixi &c.* Pro Parentibus, & cognatis, qui me deferrunt, alii me propinqui excipient, putredo, & vermes.

15. *Ubi est ergo nunc præstolatio mea?* seu pristina felicitas, quam jubetis me præstolari? & patientiam meam

*meam quis confiderat? ut ejus merito  
me reducat ad pristinam fortu-  
nam.*

16. *In profundissimum infernum  
&c. Sepulchro condar, ibi quie-  
tem spero.*

## CAPUT XVIII.

**B**aldad Jobum impatientis animi, imo & impietatis accusat. Ex impiorum pœnis vult & Jobum ob sua scelera puniri.

3. *Quare reputati sumus ut jumen-  
ta? Nos ut plane rudes habuisti:  
cum dixisti, cor eorum longe fe-  
cisti a disciplina. Sordidus. Vi-  
les habiti sumus.*

4. *Nunquid propter te derelinque-  
tur terra? Putasne DEUM lux pro-  
videntia ordinem mutaturum, qua-  
non punit, nisi scelestos? Id enim  
persuasum habebant Amici Job,  
hominem justum tot malis affici  
non posse.*

5. *Nonne lux impii extinguetur?  
Eius gloria, & felicitas auferetur?*

7. *Arctabuntur gressus virtutis, seu  
potentiaz impii, id est, ita angu-  
stiabitur, ut exequi non possit, quæ  
vellet.*

8. *Immisit in rete pedes suos, &  
in maculis ejus ambulat: Oculi retis,  
seu cancelli, maculae vocantur.*

9. *Exardestet contra eum sitis. He-  
br. sitiundi, vel sitientes, prædones,  
vel concupiscentiaz flamma, quæ  
hoc magis augetur, quo ei indul-  
getur magis.*

12. *Attenuetur fame robur ejus, id  
est proles, & inedia invadat costas  
illius Hebr. excidium paratum sit*

costæ ejus, id est mulieri: Hæc,  
& quæ sequuntur per tempus fu-  
turus sunt exponenda.

13. *Devoret -- primogenita mors.  
Lethalis morbus, vel mors terri-  
bilis, violenta, aut immatura. He-  
br. primogenitus mortis. Crudelis  
hostis, qui mortem, & terrorem  
quocunque infert.*

14. *Avellatur de tabernaculo ejus  
fiducia ejus, divitiae, & liberi. Quasi  
Rex, adeo violente, ut ei resisti  
non possit.*

15. *Habitent in tabernaculo illius  
socii ejus, qui non est, nempe dia-  
boli, qui DEO periit. Socii ejus  
sunt mali angelii, mors, vastitas,  
egestas, & Sodales improbi, qui  
omnia bona defuncti, quando im-  
pius mala morte defunctus est,  
rapiunt. Hebr. habitet in taber-  
naculo ejus, qui nihil ad eum per-  
tinet, id est extraneus. Apergatur  
in tabernaculo ejus sulphur: confa-  
grabit igne, & sulphure domus  
impii.*

21. *Hæc sunt ergo tabernacula ini-  
qui. Hic exitus manet impium, &  
domum ejus.*

## C A P U T X I X .

**J**OB de amicorum suorum sœvitia queritur. Pœnarum suarum magnitudinem narrat, ac certæ resurrectionis spe se solatur.

3. En decies confunditis me. Szpius me confundere conamini.

4. Nempe eis ignoravi &c. Si quid erravi disputando, non vos læsi, meo periculo, & damno erravi.

6. Quod DEUS non aequo iudicio affixerit me. Non accusat procul dubio Job DEUM injustitiae; verum assert supremum hunc Judicem nequaquam communes justitiae suæ Leges fuisse secutum, ipsum puniendo. Vulgo propter peccata immittit adversa; at hic percutit innocentiam probaturus, atque amici sui virtutem producturus in lucem. Hic autem fuit error amicorum Job; quia viarum Domini, atque altissimorum illius consiliorum angustam nimis ideam conceperant. Non enim credebant DEUM unquam in suos animadvertere, nisi contra eosdem ad iracundiam concitatus fuisset. Job vero exemplo suo illos contrarium edocet.

7. Ecce clamabo &c. erumpit in querelas, inchoatum sermonem abrumpens, ut ii subinde faciunt, qui magno aliquo dolore cruciantur. Nemo audit, id est liberat.

9. Spoliavit me gloria mea, Dignitate, bonis, valetudine, filiis &c.

12. Latrones ejus. Id est, milites, qui olim latrones, quasi latrones vocabantur. Metaphorice sermo est de agmine tribulationum, & dolorum.

17. Filios uteri mei. 70. habent filios concubinarum mearum, In quorum sententiam fere omnes Interpretes abeunt, id de filiis uxorum secundi ordinis intelligentes.

20. Pelli meæ consumpiis carnibus adbasit os meum. Adeo parum carnis superest, ut ossa carnem ipsam perfodian.

22. Sicut DEUS. UnideO id convenit, innoxium affligere, ut eum probet, & purget, vos instar DEI idem faciendum suscipitis.

Et carnis meis saturamini. Hyperbolica locutio. Septuag. vos non saturamini carne mea? Mala mea non sufficiunt, ut vestram expleant crudelitatem?

24. Stylo ferre, & plumbi lamina &c. Veteres solebant ut ceratis, ita & plumbeis tabulis inscribere, & ita libros componere; quales in antiquis sepulchris juxta Neapolim repertos testatur Georg. Fabricius. Vel cete. Critici complures, & Interpretes mordicus asserunt, legendum esse certe, quæ vox in pluribus tum culis, tum scriptis Bibliis Latinis invenitur,

Quia

Quia tamen non pauciora exemplaria cum manuscripta, cum impressa habent certe, atque ita *Le<sup>c</sup>tio* hodie communis in vulgata habet, nulla necessitas nos cogit, ut ab hac recedamus. Est autem certe instrumentum sculptorum, aliter *c<sup>a</sup>lum a c<sup>a</sup>rlando*. Hoc versu Job præparat animos ad ea, quæ dicturus est.

25. *Scio, quod Redemptor meus vivit.* Filius DEI vivit ab omni æternitate, nempe vita divinitatis. Hæc sunt, quæ scribi volebat in marmore, aut silice, scilicet a DEO immortali, & vita Auctore suscitandum se esse ad meliorem vitam, & perpetue duraturam. Non igitur audiendus est Mercerus Rabbinizans, qui hunc locum non de resurrectione,

sed de Jobi in pristinum statum restituzione vult intelligi, quod modo enim exponentur versus sequentes: *rursum circumdabor pelle mea &c.*

26. *In carne mea videbo DEUM meum.* Christum oculis corporeis, oculis mentis vero divitatem.

27. *Et non aliud.* Hebr. *Ego ipse videbo illum pro me, pro mea utilitate.* Privilegium hoc mihi reservatum est, non erit cum impiis, aut hypocritis commune.

28. *Radicem verbi inveniamus.* Occasionem, & fundamentum calumniandi.

29. *Fugite ergo a facie gladii.* Cesate mihi insultare, si non amo re DEI, aut mei, saltē terrors judicij, & ultiōnis Divinæ.

## C A P U T   X X .

**S**Op̄har Jobo irascitur, contenditque eum suis sceleribus pœnas, quas patitur, accersivisse.

10. *Manus impii reddent ei dolorem suum.* Punietur impius ob mala opera sua, & vim aliis illatam.

10. *Ossa ejus implebuntur virtutis adolescentia.* Virtutis, quibus puer assuevit, vacabit per totam vitam usque ad senium, usque ad mortem.

12. *Cum dulce fuerit in ore ejus malum &c.* Sicut, qui dulciaria gustant, illa avide, diuque lingua versant, & fauibus retinent, ut diuturnior sit oblectatio.

14. *Panis ejus vertetur in selos*

*pidum.* Deliciæ peccati, quibus ut melleo, & sapido pane fruebatur, vertentur in fel, seu venenum, puta, in tormentum conscientiæ, in exitium corporis, & animæ.

16. *Caput aspidum suget.* Pessimum, & exitiale venenum, quale habet aspis in capite, vipera in lingua, sibi suget peccator ex peccato. Ita S. Gregor.

17. *Non videat, non videbit, rivos fluminis rerum omnium abundantiam.*

19. Non adificavit eam. Diminutio est, apud Hebraeos usitatisima, pro destruxit, everit.

21. Non remansit de cibo ejus &c. Nudus morietur, & pauper, velut omnium egenorum miserrimus.

23. Utinam implestur venter ejus. Mors eum inter commestationem invaderet, quemadmodum occubuit Balthassar Rex Babylonis.

24. Fugiet arma ferrea. Minus malum fugient peccatores, scilicet manus hominum, & incurvant in majus, videlicet manus DEI.

25. Venient super eum horribiles. Gigantes terribiles undique contra illum insurgent. Ad literam **דָּבָרִים** *Emin venient super eum.* Nemus ignorat *Emim* in lignes fuisse gigantes, qui olim regionem illam possidebant, ubi dein Moa-

bitæ incoluerunt. Videturque nomen eorum abiisse in adagium ad significandos hostes potentes, & truculentos.

26. Omnes tenebra abscondita sunt in occultis ejus. Hebraismus: pro, omnes tenebrae illum abscondere non poterunt.

*Devorabit eum ignis, qui non succeditur alimento terreno, vel flabbello, ut noster ignis: sed semel ab origine mundi a DEO succensus æternum ardebit. Affligetur reliktus. Uxor, filii, familia reliqua pari poena involventur.*

28. Apertum erit germen illius. Posteritas impii, & opes expositae erunt malis.

29. Hereditas verborum ejus. Factorum malorum, vel etiam blasphemiarum ejus merces.

## C A P U T   X X I .

*Job docet impios non semper affigli in hac vita.*

4. Nunquid contra hominum disputatio mea est? Suppone: nequaquam, sed contra DEUM. q. d. Non est mihi questio de offensione, vel inimicitia hominum, quam parvus penderem: sed de offensa DEI, quam si incurrissem, merito contristarer, & angerer.

7. Quare ergo impii vivunt? Si verum est, hujus vitæ ærumnas in scelerum pœnam, & ultionem tantum a DEO infligi?

13. In punto ad inferna descen-

dunt. 70. in requie. Cito & sine dolore; prius vitam absolvunt, quam se in morbum, aut vitæ delictum incidisse cognoscant. Infernus hoc loco ad literam sepulchrum significat.

16. Non sunt in manu bona sua. Non sunt in impiorum potestate, ut illis frui possint. Unde S. Gregor. moraliter: Boni sua bona habent in manu, & possident tanquam Domini; sed impii, & avari a bonis suis

suis tenentur, & possidentur tanquam  
mancipia.

17. *Quoties lucerna impii extingue-  
tur?* Quam brevis est eorum felici-  
tas! & superveniet eis inundatio iræ  
divinæ, quæ instar torrentis est.  
Et dolores dividet furoris sui, pro me-  
ritis cuique infliger poenas. Erunt  
sicut paleæ &c. ut res vilissimæ ab-  
sidentur.

19. *DEUS servabit filius illius do-  
lorem Patris.* Ut quemadmodum  
scelerum Patris, sic & poenarum  
participes, & hæredes fiant. Et  
cum reddiderit, ac defacto inflixerit  
poenas filiis, tunc sciet, & agnosceret  
justam vindicis DEI manum. Mu-  
lto enim magis moventur Patres  
afflictionibus filiorum, quam pro-  
priis.

20. *Videbunt intersectionem, id est  
interitum, & excidium familiæ.*

21. *Quid enim ad eum pertinet  
&c.* Parum curaret impius post  
mortem suam, quid obveniat fa-  
milie sua in terris, sive prospe-  
rum, sive adversum: parum item  
curaret, quod vita sua, seu suo-  
rum dimidietur, id est abbrevietur;  
si nullæ alia post hanc vitam ipi  
superessent in inferno subeundæ  
poenæ. Et hoc est primum argu-  
mentum, quo probat Job poenas  
posthumas inferni. Secundum est:

22. *Nunguid DEUM docbit quis-  
piam?* Justissimum Judicem, qui  
sic voluit, & statuit. Tertium est:  
quia

23. *Iste moritur robustus. Con-  
veniens, imo necessarium est, ut*

impiis in hoc mundo divitibus, &  
honoratis: piis econtra pauperi-  
bus, afflictis, & despectis, & aqua  
& promerita sors, & præmia con-  
digna aliquando reddantur, saltem  
post mortem. Hoc enim exigit  
justitia, & providentia divina.

28. *Dicitis: ubi est domus Princi-  
pis?* Supple: impii Jobi, qui fuit  
Princeps magnus inter omnes  
orientales.

29. *Interrogate quemlibet de via-  
toribus.* Omnibus, etiam vulgo no-  
tum est, nempe quod sequitur:

30. *Quia in diem perditionis ser-  
vatur malus.* Quem manet æternum  
supplicium. Multi impii subdu-  
cuntur communis exitio. Non ergo  
judicium omne hic peragitur.

32. *Ad sepulchra ducetur, secun-  
dum corpus, magna clientum, &  
amicorum turba comitatus: secun-  
dum animam vero: in congerie mor-  
tuorum vigilabit.* Inter mortuos vi-  
vet in inferno: secundum famam  
quoque in mundo vivet, proba-  
tus vulgo, & gloriósus.

33. *Dulcis fuit glareis Coeyti, &  
post se omnem hominem trahet, & an-  
te se innumerabiles.* Hic locus diffi-  
cillimus est, & in varias senten-  
tias trahitur ab interpretibus.  
*Glarea,* est arena minutis lapillis  
permixta, qualis in fluminum ri-  
pis reperiri solet. *Coeytus infero-  
rum* fluvius est (ut fabulantur Poë-  
tæ) qui nomen habet a fletu: quod  
circa ipsum damnati impii perpe-  
tuo lugeant. Deinde antiquis mos-  
erat, & valde honestum credeba-  
tur

tur pro sepultura littoralem locum deligere; quia in jugi aut vidente aqua aliquid sacrum inesse putabant, aut sepulchrum magis mundum futurum sperabant. Hebraicus textus habet: *Dulces illi fuerunt glareæ torrentis.* Ex quibus cum nostro Sanctio ita textum expono: Optabat impius glaream torrentis, ubi quietum habeat, æternumque sepulchrum. Neque successus votis illius deerit: sepe-

litterur enim in glareis torrentis, non tamen illius, quem ipse amabat, sed *Cocytii*, (S. Hieron. hoc nomen tenipore Jobi ignotum, sua versioni inseruit, ut descensum impiorum ad inferos designaret) ubi neque dolor, neque geometus unquam aberit. Quem *Cocytus* excipiet libenter, utpote pridem sibi debitum. Tribuitur hoc loco rei inanimatae ut *Cocytus* sensus quidam, & affectio.

## C A P U T   X X I I .

**E**LIPHAZ ut Jobum convincat impietatis, enumerat sigillatim patrata ab ipso scelera: pœnitenti tamen prospera rursum omnia promittit.

4. *Nunquid timeni DEUS, nec scilicet illi noceas, aut illum erroris, vel injustitiae convincas?*

6. *Et nudos spoliasti vestibus: ne gentibus quidem pepercisti.*

9. *Viduas dimisisti vacuas, Omnipotens destitutas, & lacertos pupillorum communiuisti, facultates omnes.*

11. *Et putabas te tenebras non visurum, Omnia tibi prospere evenitura, nec timebas vindicem DEI manum.*

12. *An non cogitas? Gregor. absque negatione legit: quod DEUS excelsior cælo sit.*

13. *Et dicas, audes dicere: Quid enim novit DEUS? Hæc est Eliphaz argumentatio, aut Jobum juste, & pro meritis affligi, aut nullam esse providentiam, sed DEUM cæli cardines perambulantem ter-*

rena non curare: quæ est fallax, & captiosa argumentatio. Potest tamen hic locus cum negatione legi, & intelligi: *An non cogitas, non attendis DEUM cælo longe sublimiorem esse, ac multum te fallii, si existimas, quæ hic aguntur, DEUM fugere.*

15. *Num semitam sæculorum custodire cupis? An insistere vis opinioni impiorum Atheorum, qui superioribus Sæculis ita impie senserunt de DEO?*

16. *Quos fluvius subvertit. Aquæ diluvii, ut Hebræi: vel metaphysice, impetus iræ, & vindictæ diuinæ.*

20. *Nonne succisa est erectio? Superbia eorum. Et reliquias eorum devoravit ignis? filios, & divitias eorum absumpsi ignis divinæ ultiōnis.*

23. *Ædificaberis, rursus instaurabitur pristina felicitas.*

24. *Dabit pro terra silicem Metaphor. pro infirmitate robur. Et pro sūc torrentes auricos Hebr. Ophir.*

Ea copia, qua silices inveniuntur in torrentibus, dabit tibi aurum Ophir, seu præstantissimum.

29. *Qui inclinaverit oculos, qui se humiliaverit, ipse salvabitur.*

## C A P U T   XXIII.

**J**ob ad DEUM conversus ejus opem implorat, & dicit, se sententiam ejus ex bona conscientia secure expectare.

2. *Manus plagiæ meæ. Manus DEI, qua plagam hanc mihi inflxit, aggravata est super gemitum meum, gravior est, quam gemitus meus prodat.*

4. *Ponam coram eo iudicium. Causam meam ejus iudicio committam, & os meum implebo increpatiñbus Hebr. Repleverunt os meum argumentis, quibus innocentiam meam defendam.*

9. *Ad sinistram &c. Septentrio-nem, per dexteram meridiem in-telligit: Orantes enim ad Ori-en-*

tem convertebantur, & cum illis septentrio ad sinistram, & meridies ad dextram erat.

16. *Mollivit cor meum, antea fir-mum, nunc tribulationibus emol-livit, & timoribus.*

17. *Non enim perii propter immi-nentes tenebras, non desperavi, nec faciem meam operuit caligo, nec dum tot tribulationes me excœcarunt; vel potius, nunquam cessi calu-mniis eorum, qui me injuste ac-cusarunt; sed ope, & gratia DEI erectus maneo fide, spe, & cha-ritate constanti in DEUM.*

## C A P U T   XXIV.

**J**ob tuetur Diuinam providentiam, etiamsi permittat impios in quadam felicitate vi-vere.

1. *Ab omnipotente non sunt abscon-dita tempora. DEUS omnia perspecta habet: sed homines, etiam qui noverunt eum, id est, etiam fi-deles, & pii, ignorant dies illius. nempe æternitatem; aut melius ignorant consilia, & opera DEI, quæ per singulos dies exequitur,*

aut permittit, sicut & rationes eorum.

2. *Terminos transiulerunt agro-rum suorum cum vicinorum in-juria. S. Greg. de SS. PP. dogma-tibus id mystice ostendit, quæ mu-tari, & perverti non debent, ut fieri solet ab hæreticis.*

4. Subverserunt pauperum viam.  
Infesti fuerunt pauperibus, eos  
turbantes, vexantes, & impedien-  
tes, quo minus quiete sua agerent  
negotia.

5. Quasi onagri. Asyni sylvestres,  
qui liberi in deserto vagantur,  
excutiunt jugum non modo Prin-  
cipium, sed & rectæ rationis, &  
DEI. Egrediuntur ad opus suum,  
ad aliena rapienda, quasi id mu-  
nus illorum sit. Preparant panem  
liberis, cum aliorum injuria, &  
damno.

8. Imbres montium. 70. habent:  
de silicidiis montium madescunt, qui-  
bus scil. stillant cavernæ monta-  
næ, in quibus degunt. Amplexan-  
tur lapides, Cum nihil habeant,  
quo se protegere possint, in an-  
tra, & cavernas se recipiunt.

10. Tulerunt, pro abstulerunt,  
spicas, quæ solz famelicis super-  
erant hinc inde in agris collectæ.

11. Inter acervos eorum, Oliva-  
rum, vel uivarum, & fructuum,  
meridiati sunt, invadunt eos ut ra-  
ptores de meridie & palam.

13. Rebellest lumini Divino, &  
rectæ rationis.

16. Ignoraverunt lucem, quia quæ-  
siverunt tenebras.

17. Arbitrantur, auroram, um-  
bram mortis, ipsum diluculum, &  
lucem ut mortem oderunt.

18. Levis est super faciem aquæ.  
Magis scil. inconstans, & mobilis  
in Consiliis suis, quam superfici-  
es aquæ, minimo auræ flatu agi-  
tatae. Juxta illud Isaïæ Cap. 57.  
Impii quasi mare servens, quod quies-  
cere non potest. Maledicta sit pars ejus,  
terra, quæ illi in partem possesio-  
nis obvenit, nihil utilitatis illi ad-  
ferat. Nec ambulet per viam vinearum,  
id est cultam, fertilem, &  
lætam, non ditetur, sed spoliatur  
omnibus bonis corporis, & ani-  
mæ. Moraliter via vinearum desi-  
gnat viam ad cœlum; ita S. Gre-  
gor.

19. Ad nimium calorem &c. ex-  
tremis malis inter se contrariis, &  
pugnantibus conflictetur.

*Et usque ad inferos peccatum illius.  
Pœna peccatorum illius continua-  
tur tota vita.*

21. Pavit enim, id est depastus  
est, spoliavit sterilem, quæ cogi-  
tur in cœlibatu desolata vitam age-  
re. Alii per sterilem intelligunt  
meretrices, quæ communiter non  
conciipiunt, quibus impii ad vo-  
luptatem abutuntur.

25. Quod si non est ita, Hebrais  
mus pro: id non ita est, vel non ita  
se habere, quis arguet & ponet ante  
DEUM? accusabit coram judicio  
Divino.

## C A P U T   XXV.

**B**aldad probat, hominem coram D E O nunquam posse justificari.

2. Qui facit concordiam in sublimibus suis. Qui & angelicos spiritus, & corpora cœlestia, ac meteora ita sapienter ordinat, ut omnia ad Divinorum consiliorum suorum effectus mira consensione concurrent.

3. Et super quem non surget lumen illius? Quis non illuminatur eximie a D E O, & singularibus beneficiis non afficitur?

5. Ecce Luna etiam non splendet. Comparata cum Divino lumine,

## C A P U T   XXVI.

**J**ob infirmitatem suam, & hominis impotentiam testatur, atque D E I magnitudinem commendat.

3. Cui dedisti Consilium? Ironia est: q. d. D E U M vis instruere, quomodo ipse pro se contra me causam agat.

4. Qui fecit spiramentum. Animam, vel vium spirandi.

5. Ecce gigantes gemunt sub aquis Diluvii. Allegorice, demones in tartara deturbati, in centro terræ gemunt sub aquis abyssi.

6. Nudus est infernus coram eo. Videt, quæ gerantur in inferno, licet sit in intimis terræ visceribus.

7. Qui extendit aquilonem, ventum maxime procellosum, aut aquilonarem; cœli partem per Syneccochen pro toto cœlo, super vacuum: super nullis columnis, aut fulcris.

8. Qui ligat aquas in nubibus. Poëtica locutio: qui illas in nebu-

lis, & nubibus sustinet pendulas, ut non simul, & cum damno erumpant, sed placide stillent.

9. Tenet vultum solii sui, Vultus solii est visibilis iste cœli conspectus; Cœlum vero dicitur solium D E I, cum ibi maxime majestatem suam manifestet. Expandit, expandit aliquando nubes, quæ cœli conspectum eripiunt.

10. Usque dum finiantur lux, & tenebra, seu vicissitudo diei, & noctis, id est, usque ad finem mundi.

11. Columnæ cœli contremiscunt. Angeli ob D E I reverentiam. Alii per columnas cœli præcelsos montes Poëtice describi putant.

12. Percussit D E U S superbum Elementum, nempe mare, quod litotoribus quasi frænis coegeret.

13. Et obfetricante ( creante )  
manu ejus, eductus est coluber tortuosus. Vel Lucifer, vel fulmen tortuoso jactu cadens: Chald. Leviathan,  
seu Balæna, aut draco significatur.

14. Ecce hac ex parte dicta sunt.  
quæ diximus, pars sunt minima eorum, quæ DEUS potentia sua operatur.

## CAPUT XXVII.

**P**Ergit Job tueri innocentiam suam. Ostendit impios ex brevi  
hujus vitæ felicitate per mortem ad supplicia rapi.

1. Assumens parabolam suam. Suum Sermonem figuratum, & sententias graves in persona Christi, quam præsentabat.

2. Vivit DEUS. Per viventem DEUM juro. Abstulit judicium meum, qui non concessit, ut ante tribunal illius sisteret, & de innocentia mea judicaretur.

5. Absit vos judicem esse justos, qui sentitis, & pronunciatis, mala sceleratis tantum evenire in hac vita.

7. Sit ut impius inimicus meus. Habebitur ut inimicus meus, qui me falso accusat, quod ob improbitatem miser sit.

9. Nunquid audier DEUS clamorem &c. Accidet impiis, quod Antiocho, de quo 2. Machab. 9. Orabat seclusus Dominum, a quo non esset misericordiam consecuturus. Nam impii timore tantum supplicii morventur, non odio peccati, quod amant.

11. Docebo vos per manum DEI. DEO juvante. Quæ omnipotens habeat. Quæ sint occultæ viæ, & conglia DEI, cur innocentes aliquando affligat.

15. Qui reliqui fuerint, qui gladium evaserint: sepelientur in inferno. 70. habent: morte morientur. Acerba morte extinti sepelientur. Chald. pro interitu, verit peste. Peste absimpti. Viduae illius non plorabunt. 70. Viduis eorum nemo miserebitur, quasi dicat: non plorabuntur.

18. Edificavit sicut tinea domum suam, & sicut custos fecit umbraculum. Impius sibi ædes, & commodum alienis sumptibus habitaculum extruxit ad instar tineæ, quæ vestem corrodit; consedit velut custos, qui agrorum fructus custodit in suo umbraculo; ut tinea de veste excutierit, & custodis umbra culum collectis fructibus revertetur; ita quoque domus impii inferit.

21. Tolleret cum ventur urens. Morbus, & mors, quæ instar venti urentis, & vehementissimi turbibinis impium prostrernet.

22. Fugiens fugiet, celerrime fugiet, vita, & omnibus opibus suis valere jussis.

23. Stringet super cum manus suas.  
Ma-

Manum complectione irridebit *Psal. 2. v. 4. Qui habitat in Cœlis impium DEUS.* Nam ut est in *irridebit eos, & Dominus subannabit eos.*

**C A P U T   XXVIII.**

**J**OB secundam causam recenset, cur decreverit innocentiae in hærente: quia per illam obtinetur sapientia, quæ auro præstantior est, & de cœlo venit.

2. *Lapis solitus calore in æs vertitur.* Hebr. *æs effundit*, ut ad ocum patet in fornacibus seu æris, seu ferri, in quibus lapides metallici vi ignis liquati, effundunt æs, vel ferrum, quod in ipsis laturat. q. d. auri, argenti, ferri, æris, & omnium sequentium mirabilium locus, origo, & materia inventu sunt facilia: sed non ita sapientia, de qua v. 12. & seqq.

3. *Tempus posuit tenebris.* Statuit quanto tempore metallorum, & alias res preciosas tenebris obrutas esse patetur.

*Lapidem caliginis.* Lapidem pretiosum, aut metallicum, qui latet tenebris, & caligine abstrusus, quem eundem etiam umbram mortis appellat; sunt enim profundissima, & obscurissima cavernæ argenti, auri, & metallorum.

4. *Dividit torrens quæ sita metallorum, a populo peregrinante, id est a fossoribus, qui plerumque peregrini sunt.* Hic ergo torrens facit, ut per egenis hominis fossioni incumbentis; obliviscatur eos, id est, non sequatur votum, aut desiderium illorum, id est non possit ulterius fodiendo transire.

5. *Terra, de qua oriebatur panis,* ante frumenti ferax, igne subversa est, fornacibus ad fusionem metallorum extructis.

6. *Locus Sapphiri lapides ejus.* Nam Sapphiri in terra aurifera inventiuntur.

9. *Ad silicem extendit manum suam,* qui venas metalli querit. Notatur hoc loco mortalium avaritia, qua etiam per rupes viam ferro pandunt, montes exscindunt, aurum, & gemmas pene ex inferno eruunt.

12. *Sapientia vero ubi invenitur?* Quæ hæc tenus sunt enumerata, videbantur hominibus inaccessa, & tamen illa detexit industria. Sed homo non querit sapientiam, cuius pretium ignorat.

15. *Non dabatur pro ea aurum obryzum, seu præstantissimum.*

17. *Non adæquabatur ei aurum vel vitrum.* Hebr. *Crystallus.* Pagnin. vertit adamantes.

22. *Perditio & mors dixerunt &c.* mortui aliquid duntaxat de ea audiunt.

25. *Qui fecit ventis pondus.* Res omnes in certa proportione, & ratione constituit.

27. Tunc vidit illam, & enarravit. Visibilem fecit ab initio mundi per effectus.

28. Ecce timor Domini ipsa est sapientia: Quod alibi timor Domi-

ni initium sapientiae dicatur ut Psal. 110. vox illa initium, aut principium, non originem, sed præcipuum sapientiae partem significat.

## C A P U T   X X I X .

**J**ob pristinam felicitatem describit, sese purgat eo, quod Eliphaz Cap. 22. illi objecerat, ipsum iustitiam deseruisse, atque oppresisse innocentes.

2. *Quis mihi tribuat, ut sim juxta menses pristinos.* Optat sibi restitui pristinam felicitatem ad usum legitimum pro se & sua familia.

4. *Quando secreto DEUS erat in tabernaculo meo.* Quasi amicus, & consiliarius, res omnes domesticas dirigens, & protegens.

6. *Quandi lavabam pedes meos btyro.* Figurato sermone rerum omnium abundantiam exprimit. Divitiae antiquorum in pecorum, & armentorum multitudine sitæ erant. Et Petra mihi fundebat rivos olei. Non tantum ager fecundus & cultus, sed loca etiam petrosa copiam olei ferebant, DEO singulariter benedicente.

7. *Ad portam civitatis.* Ubi forsum erat, & prætorium ex more antiquo. Parabant Cathedram mihi. tanguam viro honorato, & Principi.

8. *Juvenes abscondebant præ reverentia.*

11. *Testimonium reddebat mihi prudentiae, æquitatis, & integratatis.*

13. *Benedictio perituri &c.* Qui vel infortunio suo, vel aliena malitia perire debuisset, a me liberatus, benedicebat me.

17. *Conterebam molas iniqui:* Potentiam & avaritiam impii, quibus quasi molaribus seu dentibus, seu lapidibus subditos conterere solent.

18. *Dicebam, in nidulo meo moriar.* Suaviter, & quiete in patria, in palatio meo, fortunis, & liberis meis pro voto fruens, in bona senectute latus expirabo.

*Et sicut palma multiplicabo dies.* Palma enim maxime longæva est, & perenni fronde viret.

19. *Radix mea aperta est securas aquas.* Nam subducta terra, aquam arbores liberius per radices exsugunt.

24. *Si quando ridebam ad eos, non credebant.* Non audebant familiarius agere mecum; sed nihilominus reverebantur meam auctoritatem. *Et lux vultus mei non cedebat in terram.* Splendor, & auctoritas

ritas

ritas mea non contemnebatur propter risum.

25. Eram tamen mærentium con-

solator. Majestas vicissim de humilitate, & comitate nihil detrahebat.

## C A P U T   X X X .

*Job describit miserrimum statum, in quem prolapsus est; eumque pristinæ felicitati comparat.*

1. *Quorum non dignabar Patres ponere cum canibus gregis mei. Quibus curam canum meorum noluissentem committere. Vel adagialis est locutio, qua eorum hominum vilis conditio designatur.*

3. *Rodentes in solitudine, aut cortices, aut radices arborum, vel herbarum.*

7. *Inter hujuscemodi latabantur. Has miserias delicias putabant præ paupertate.*

8. *Penitus non parentes, non apparentes, viles omnino, & abjecti.*

11. *Frenum posuit in os meum. Coërcet, impedit me, neque amplius ea auctoritate polleo, qua solebam tales in officio continere.*

12. *Ad dexteram orientis calamitatem meæ illico surrexerunt. Simul atque devenerunt ad summam felicitatem agmen calamitatum invasit me. Pedes meos subverterunt, ut caderem in terram, & corrumentem oppresserunt semitis, seu pedibus suis, quasi fluctibus, id est continuis & novis semper calumniis, dolis, & injuriis exagirant me.*

17. *Qui me comedunt, nempe pediculi, & alii vermes, non dor-*

*miunt, nunquam cessant me arrodere. Alii metaphorice exponunt de febribus, doloribus seu corporis, seu animi.*

18. *Quasi capitio tunica. Hebr. quasi os tunica Græce, circumorale, quod os, seu collum undique cingit & stringit; ita vermes me undique cingunt, & arrodunt.*

21. *Mutatus es mihi in crudelē: More humano sæpe loquitur Scriptura de DEO: ita inecum agis, ac si crudelis essem. S. Greg. mutatus es, adjunxit, mihi, ut ipsa hac crudelitas non sit in qualitate Judicis, sed in mente patientis.*

22. *Super ventum ponens, id est loco altissimo, ex quo decidens eliderer.*

24. *Verum tamen non ad consumptiōnē &c. Nam anima adhuc perstat, utpote immortalis. Et si corruerint, ipse salvabis: Si morte occubuerint, salvabis, suo tempore excitabis.*

29. *Frater fui draconum, & socius Struthionum. Solus vixi, & ab aliis sepositus clamores emisi. Narrant, Dracones cum ab elephantis oppressiūntur, horribiliter sibilare; pullos vero Struthionum a matribus*

bus desertos vehenenter clamare  
præ fame, quod Job sibi in cala-  
mitatibus suis applicat.

30. *Prae caumate, propter vim  
ardoris.*

## C A P U T   X X X I .

**J**ob se coram amicis suis justificat, illis vitæ suæ rationes ab in-  
eunte ætate suscep̄tas, cum inter felicitates versaretur, enar-  
rans.

1. *Ut ne cogitarem quidem de Vir-  
gine.* Facilis enim transitus, & val-  
de frequens ab aspectu ad cogi-  
tationem & desiderium.

2. *Quam enim partem haberet in  
me DEUS.* Soli casti sunt filii, ha-  
redes, & templum DEI.

3. *Si ambulavi in vanitate Sc̄c.* Si  
mendax fui, vel fraudulentus.

5. *Et sciat D E U S simplicitatem  
meam,* declareret sua sententia in-  
nocentiam meam.

7. *Si securum est oculos meos eor-  
um.* Si interius concupivi, qua  
oculis vidi; Et manibus meis, ope-  
ribus meis adhæsit macula, pec-  
cati labes.

11. *Hoc enim nefas est Sc̄c.* adul-  
terium committere, a quo semper  
mundus fui.

12. *Ignis est, usque ad perditionem  
devorans.* Nam instar flammæ ab-  
sumit omnia corporis & animi bo-  
na, opes, famam, honorem, ami-  
cos, valetudinem, vitam præsen-  
tem, & futuram. *Et omnia eradi-  
cans genimina, nempe posteros, &  
legitimam stirpem, qua vel non  
subnascitur, vel nata ab offensis*

seu DEO, seu hominibus extir-  
patur.

14. *Quid enim faciam Sc̄c. q. d.  
si secus facerem, quid probabilis  
excusationis in extremo judicio af-  
ferre possem?*

20. *Benedixerunt mihi latera ejus;*  
corpora enim, aut membra pau-  
perum, quibus datis vestibus be-  
nefacimus, quodammodo nobis  
benedicunt, & gratias agunt.

22. *Humerus meus a junctura sua  
cadat.* Totius brachii jacturam sibi  
imprecatur, si vel manu sustu-  
lerit ad percutiendum.

23. *Ei pondus ejus ferre non potui.*  
Nunquam me parem existimavi  
ad relistendum DEO.

26. *Si vidi solem - v. 27. Et oscu-  
latus sum manum meam.* De cultu  
quodam idolatriæ usitato in illis  
regionibus loquitur, quo videntes  
Solem, aut Lunam fulgentem,  
manum ad eam porrigebant, tum  
ori admovebant, ut eo signo se  
hæc sidera deosculari velle innue-  
rent, si id fieri posset; sic porre-  
cta manu idolum tangebant, &  
manum ad os reducebant.

31. *Si non dixerunt viri taberna-  
culi*

enli mei &c. Nunquam vindicavi injuriam mihi illatam, etiam cum amici & domestici urgerent, dicerentque de inimico meo: *Quis nobis eum tradet, ut devoremus eum?*

33. *Si abscondi quasi homo, Hebr. sicut Adam. Nolui videri quod non eram, ideoque si quid peccavi, excusatione tegere non studui.*

34. *Si expavi: Nunquam audi- vi vocem multitudinis, ut aliquem vel damnarem, vel absolverem; nec propinguus sanguis me unquam a recto justitiae tramite de- turbavit.*

35. *Quis mihi tribuat auditorem, seu cognitorem, & Judicem DE- UM? Et ipse librum scribat, nempe processus, & causæ meæ; q. d. ex eo libro pateret palam mea inno- centia.*

38. *Si adversum me terra mea cla- mat. Si agros meos injuste possideo: aut sulci deflent, id est agricultæ mer- cenaryi queruntur de non solutis stipendiis; maledicat DEUS om- nibus frugibus meis. Hac porro imprecatione, simulque ad DEUM appellatione finit Job orationem pro innocentia sua, DEO, ejusque providentiaz reliqua committens.*

## C A P U T XXXII.

**S**ilentio tribus amicis imposito, Eliu in Job invehitur, suamque jactat sapientiam; estque insignis typus superbiæ, inquit S. Gre- gor.

2. *Eliu Buzites. Buz civitas est Idumææ. Alii interpretantur, ex progenie Buz, filii Nachor.*

8. *Spiritus est in homine. Spiritus scil. sapientiaz, & intelligentiaz, qui reddit hominem facilem, & idoneum ad intelligenda divina, etiam in junioribus esse potest.*

9. *Non sunt semper longevi sapien- tes., nec semper senes intelligunt judi- cium, seu justam rerum æstimatio- nem habent.*

13. *Ne forte dicatis; invenimus sa- pientiam, DEUS projicit eum, non ho- mo. Frustra dicitis, velle vos eum DEI judicis relinquere, quam ser- mones illius refellere, hæc infirma est excusatio, qua ignorantiam,*

& ignoriam vestram tegere la- boratis.

14. *Nihil locutus est mibi, nondum ego, & Job disputando congressi sumus. Non secundum sermones ve- stros, non argumentis vestris, sed longe efficacioribus eum urgebo.*

18. *Plenus sermonibus, multa mihi occurunt argumenta & rationes.*

21. *Non accipiam personam viri. Non curabo, quod Job tanti Prin- cipis munere functus sit. Et DE- UM homini non æquabo, non patiar, ut Job, homo cum sit, DEO se æquet.*

22. *Nescio quamdiu subsistam &c. Ita loquar, acsi proxime Divino judicio fastendus essem.*

## C A P U T   X X X I I I .

**E**liu de hoc præcipue Jobum arguit, quod cum DEO expositum lare visus sit, docet, quomodo homini loquatur DEUS, & respicienti propitietur.

7. *Miraculum meum non te terreat, mira & stupenda, quæ dicam.*

10. *Quia querelas in me repexit &c. Quæ dixerat Job Cap. 13. repetit Eliu, sed in malam partem interpretatur, quasi DEUS occasionem quæsivisset Jobi deserendi, & puniendi; cum verba ibi a Jobo prolata sint hominis misericordiam DEI implorantis, non blasphemо ore DEO injuriam facientis.*

12. *Hoc est ergo, in quo non es justificatus. In eo peccas, quod de DEO, ut tyranno, verba facis.*

14. *Semel loquitur DEUS. Immutabilis est DEUS in verbis æque ac in consiliis suis. Tu vero voles ipsum tibi rationem reddere, & causam tuam ad examen revocare. Eliu in hoc capite memorat triplicem modum, quo DEUS hominem alloquitur. Primum quidem in somnis, ac nocturna visione. v. 15. 16. alterum morbis, & æruminis v. 19. & seq. Tertium Angelorum, & sapientum virorum ministerio.*

23. *Si fuerit pro eo Angelus loquens, vel Propheta, aut homo*

**D**EO gratus, vel Angelus a DEO electus, qui hominem doceat iustitiae officia, & pœnitentiam, misericorditer ejus. Quem locum nota, tum pro meritis bonorum operum, & efficacia pœnitentia: tum pro invocatione, & intercessione Sanctorum. Ex S. Gregor. Angelii nomine magni consilii angelum Christum Dominum licet intelligere. Vox Hebræa *advocatum significat.*

26. *Videbit faciem ejus in jubilo, & reddet homini iustitiam suam. Homo pœnitens videbit DEUM in hilaritate vultus sui, & DEUS ille reddet iustitiam, & gratiam.*

27. *Respiciet homines. Confitebitur palam se juste a DEO punitum, imo clementer secum actum esse.*

29. *Et hac omnia operatur DEUS tribus vicibus. Hæc, nimirum: punire nocentem, pœnitenti parere, gratiam reddere, operatur DEUS per singulos sacerdos. Numerus ternarius signum est multitudinis, & universitatis, sicut & septenarius.*

32. *Volo te apparere justum. Volo, ut justifices te, si potes.*

CA-

## C A P U T   X X X I V .

**E**liu ex verbis Job accusat eum blasphemiae, & aliorum criminum. Multis ostendit DEUM esse justissimum, & Jobum male conqueri de judicio DEI.

4. *Judicium eligamus nobis.* In modum judicii publici pro tribunali causam hanc excutiamus.

5. *Dixit Job: justus sum, & Dominus subvertit judicium meum.* Verum equidem est, Job haec eadem verba protulisse, quæ hic illi exprobrat Eliu, sed in sensu longe alio; innuere volebat DEUM in sui castigatione secutum potius fuisse particularis providentia regulas, quam ultricem justitiam.

6. *In judicando me mendacium est.* Seu error in Divino judicio, pro eo, quod dixerat, errari ab amicis, & mendaci, seu fallaci sequela se impium ab illis judicari, eo, quod affligeretur a DEO.

7. *Bibit subsannationem quasi aquam.* Profuse, copiose, sine sensu mali subsannat, & contumeliosus, blasphemus est in DEUM. vide Cap. 15. v. 16. Sed en novam calumniam.

9. *Dixit enim: non placebit vir DEO, etiamsi cucurrerit cum eo.* Supple, viam mandatorum ejus: vel etiam si prompte, & celeriter executus fuerit omnia mandata DEI. Calumniose hoc Eliu affingit Jobo, qui nil tale dixerat, sed solum tractari interdum perinde a

DEO piros, sicut impios, nempe quoad externos casus, & eventus.

14. *Si dirrexit ad eum cor suum.* Si se ad hominem perdendum converterit, animam illius ex corpore educet, & revocabit ad se.

18. *Qui dicit Regi, Apostata. Hebr. Belial.* Qui nullum timet, nihil a quoquam sperat; sed etiam Reges, & Principes iis appellat nominibus, quibus merentur.

20. *Et auferet violentum absque manu:* absque exercitu, aut compiis: in media nocte, ex improviso, si DEUS ita voluerit.

23. *Negue enim ultra in hominis potestate est, declinare DEI judicium,* postquam peccavit: ut veniat ad DEUM. Ut appellet ad aliud tribunal, aut a male informato, ad melius informandum, sive moras executioni sententia injiciat.

26. *Quasi impios percussit eos.* Quasi, non est nota similitudinis, sed sensus est: percussit eos, quippe impios. In loco videntium, in multorum spectatorum praesentia.

29. *Ex quo absconderit vultum.* Opem, favorem, & auxilium suum subtrahendo. *Quis contemplatur eum?* Quis dignetur videre hominem a DEO contemptum. Sic nemo solare horologium aspicit,

cit, nisi ipsum horologium sol aſ-  
piciat, & illuminet.

33. *Nunquid a te DEUS expetit  
eum. Si ego male locutus sum, ego  
quoque pœnas dabo, non tu lues  
peccatum meum.*

36. *Pater mi! aliqui ad DEUM  
putant esse apostrophen; ita Chal-  
dæus, qui habet: Pater mi, qui es  
in cælis!* Sanchez putat Eliu Eli-

phazum alloqui, quem honoris,  
& grandioris ætatis causa Patrem  
appellat, quæ explicatio cum ſe-  
quentibus melius cohærere vide-  
tur.

37. *Conſtringatur, a nobis ur-  
geatur. Ad iudicium provocet DEUM,*  
cum quo ſe litigare, & disputare  
velle professus est.

## C A P U T    XXXV.

**P**ergit Eliu falſo accuſare Jobum, quaſi dixiſſet, DEO cordi  
non eſſe pios præ impiis, docetque, ſi non DEO, certe ipſi bo-  
mini, & pietatem prodeſſe, & impietatem obeffe plurimum.

3. Non tibi placet, quod rectum  
eſt, quia ſæpe profelliſſus eſt, te in-  
nocentem affligi. Quid tibi prode-  
rit, ſi ego peccavero? Non curat DE-  
US, quid agant homines, ſeu bo-  
ni, ſen mali: cum nihil ab utriſ-  
que ſeu commodi, ſeu detrimenti  
accipiat. Nunquam id Job di-  
xerat.

10. *Dedit carmina in nocte.* Alii  
revelationes interpretantur, de  
nocte factas per ſomnium: Alii  
ſtellas excitantes ad DEI laudem:  
Alii cantus avicularum. Aptius S.  
Gregor. *carmen in nocte, eſt latitia  
in tribulatione.*

12. *Ibi clamabunt.* Tunc clama-

mabunt, ii ſciliſet, quos mali per-  
sequuntur, & premunt. Non exau-  
diert, malis non eripiet.

13. *Non ergo fruſtra audiet DEUS.*  
Licit DEUS preces clamantium  
ſtatiū non ex audiāt, nec eos libe-  
ret ab incommođis, quibus pre-  
muntur, videt tamē omnia, &  
audit, nec fruſtra, nam ſuo tem-  
pore, pro ſua providentia, & ſon-  
tes puniet, & in ſonitum ærumnis  
finem dabit, ac large remunera-  
bitur.

26. *Job fruſtra aperit os ſuum.*  
Dum de Divina providentia, &  
clementia queritur, & a malis  
liberari poſtulat.

## C A P U T    XXXVI.

**E**liu pergit Divinam propugnare iuſtiā. Docet quomodo  
mala ſint perferenda. Jobum ad reſiſtendum hortatur.

7. *Reges in ſolio collocauit in perpe-  
tuum. Longo tempore. Vel: ſemi-*  
per ipſe eſt, qui collocauit, & con-  
ſervat eos in ſolio.

10. *Revelabit aurem eorum. Indicabit eis clare, & aperte, ob quæ scelera puniantur.*

13. *Neque clamabunt. Hypocritæ ad DEUM; quia etiam dum corripiuntur, nolunt videri deliquesce.*

14. *Morientur in tempestate. Morte præcipiti. 70. & Chaldaeus vertunt, in adolescentia sua. Intepestiva, & præmatura morte. Et vita eorum inter effeminatos. 70. Et vita eorum vulnerata ab Angelis. quod intelligi potest de Sodomitis, quos angeli incendio sustulerunt. Dicuntur effeminati propter infandam libidinem.*

16. *De ore angusto latissime. Ex barathro, cuius os angustum est, & in latitudinis locum adducet: seu pristinæ felicitati restituet.*

17. *Causam, judiciumque recipies. Si coram DEO humiliatus ejus opem imploraveris, causam tuam obtinebis.*

19. *Depone magnitudinem, seu superbiæ animi tui. Absque tribula-*

*tione, sponte, & ultro, nec expecta, ut novis tribulationibus ad id a DEO compellaris.*

20. *Non protrahas noctem, justo diutius stertendo, vel comessando, sed tuis perinde, ac tibi invigila: ut ascendant populi pro eis. Ut subditi, & clientes tui possint tempore commodo pro causa, & negotiis suis te semper interpellare.*

25. *Omnis homines videns eum. In creaturis, & effectibus, quasi ex vestigiis, procul tamen, & a longe abstractiva cognitione.*

27. *Qui auferit stillas pluvias. Scil. in altum tollit per vapores, & rursum post siccitatem effundit imbræ.*

33. *Annunciat de ea Luce, & veritate amico suo, quod possest ejus est; quod amici DEI jus habeant ad lucem tanquam hereditatem. Hæc autem non tam ad literam, & de luce naturali, quam allegorice de lumine fidei, & gratiae, & analogice de lumine gloriae accipienda sunt.*

## C A P U T      XXXVII.

**E**liu Diuinam sapientiam, *Et justitiam commendat, ut Jobum reprobet.*

2. *In terrore vocis ejus. Tonitru scil: quod sœpe DEI vox appellatur.*

4. *Et non investigabitur. Nihil certi asserri potest quoad causam, locum, & circumstantias tonitru. Philosophia hac in re conjecturas*

*tantum, & hypotheses potest suppeditare.*

7. *Qui in manu omnium hominum signat. Hic locus sœpe ab astrologis, & præcipue a chiromanticis versatus est, ex quo sibi, atque aliis persuadent non esse vanam illam*

conjectandi scientiam, quæ ex lineis manuum de futurarum rerum eventu divinat. Verum etsi hic locus nullam aliam explicationem admitteret, non habent tamen verba hæc pondus canonicae fidei: est quidem de fide ab illo esse dicta, veritatem tamen canoniam continere de fide, non est, sicut alia multa, quæ dixit Eliu, & alii amici Jobi. Inter explicationes prorsus varias hæc placet: cum paulo ante de pluvia, fulgure &c. actum sit, sensus hic esse videtur, ut discant quid in re nautica, & rustica observandum sit. Neque enim omne tempus ministeriis omnibus censemur idoneum: serenum aliud, aliud turbidum tempus occupationem desiderat, qua de re experientia, & longa observatione Scriptores multa tradiderunt.

8. *Ingreditur bestia latibulum, & in antro suo morabitur.* Magis admirandum est, quod signa quædam dederit etiam mutis animalibus, ut futuras cognoscerent temporum mutationes, sibique ab illis matura fuga, aut occultatione caverent.

9. *Ab interioribus egreditur tempestas.* Ab australi, seu meridionali plaga, seu polo antarctico, qui nobis perpetuo absconditur quasi intra terræ viscera. Inde oritur ventus tempestuosus, quia calidus, & humidus pluviarum parens,

Ab opposito vero arcturo seu septentrione frigidi venti procedunt.

13. *Sive in terra sua:* In tota aliqua regione.

15. *Nunquid scis, quando præcepit DEUS pluviis &c.* Qui tibi viseris omnia scire, scisne quo tempore, & qua ratione nubes, totæ aqua cum sint, tamen fulmen, & ignem ejaculentur? multaque alia de nubibus, & rebus naturalibus prorsus stupenda?

18. *Quasi ære fusi sunt.* Hebræorum fuisse videtur opinio, cœlum esse solidum corpus, ferme velut immensam æris laminam.

20. *Si locutus fuerit homo, devorabitur.* Opprimetur rerum Divinarum multitudine, & magnitudine confusus.

22. *Ab Aquilone aurum venit.* 70. *A Borea veniunt nubes aurei fulgoris.* Vento enim Aquilonari discussis nubibus serenatur aëris, & aurea lux solis promicat. Si autem de metallo sermo sit, sic exponi potest: Quid jaegas te Divina arca na penetrare, qui capere non potes, nec exponere, quomodo aurum non modo in calidis, sed etiam in frigidis regionibus nascatur, & quidem nobilissimum, & præstantissimum; quales Regiones hodie sunt Panonia, Bohemia, Austria &c.

*Ad DEUM formidolosa laudatio.* DEO laus tribuatur cum timore tantæ Majestatis; ipse enim harum vicissitudinum Auctor est.

## CAPUT XXXVIII.

**D**EUS ipse Jobum alloquitur, atque ex naturæ mirabilibus prævidentiam suam erga homines incomprehensibilem esse demonstrat.

1. *Respondens autem Dominus de turbine dixit. Hæc est longissimæ inter Job, & amicos ejus disputationis conclusio. Angelus, DEI loco repente inter ipsos apparet in nube caliginosa, quæ cum vehementi turbine super disputantes adfuit.*

2. *Quis est iste? Hoc de Eliu exponit S. Gregor. & alii multi: Job enim loqui jam cessaverat.*

3. *Accinge sicut vir lumbos tuos. Quæ sequuntur, ad Jobum referuntur.*

5. *Quis posuit mensuras ejus? Ut architecti faciunt, qui ex artis suæ præscriptio curant, ut omnes ædificii sui partes sibi bene respondeant, & omnia applicatis artis suæ instrumentis commensurentur.*

*Quis retendit super eam (terram) lineam? Chald. perpendicularum, seu amissum, similitudine ducta ab architectis.*

6. *Lapidem angularem. Qui in ædificiis duos parietes in angulo necit.*

7. *Cum me laudarent simul astra matutina. Sc: primo creationis tempore, quo gloriam Conditoris sui prædicant. Filii DEI, Angeli.*

8. *Quis conclusit ostium mare? Lit-*

*toribus, quasi quibusdam repagulis.*

9. *Cum ponerem &c. De mari loquuntur per allegoriam infantis recentis nati. Nubem vestimentum ejus, nubes, & caligines quæ mari incubant, quasi tenuissimum velum sunt, quo mare ipsum obvolvitur.*

12. *Numquid post ortum tuum, seu ex quo natus es, præcepisti diluculo, id est, fecisti oriri lucem matutinam? & ostendisti aurora locum suum, ubi sol hyeme vel aestate supra horizontem emergere debat.*

13. *Et tenuisti concutiens extremæ terræ. An potes tu conservato orbe terrarum excutere ex eo impios perinde, ac si vestimentum flans, seu permanens integrum mundares excusso inde luto & sordibus, quibus fœdatur. Hoc enim est, quod dicit vers. seq.*

14. *Restituetur terra ut Iustum, ex veste excutietur instar lutti. Signaculum, homo, qui est verum signaculum, seu imago DEI signata.*

12. *Nunquid apertæ sunt tibi portæ mortis. In universo hoc libro auctor eosdem ferme, quos Poëta profert sensus quoad mansiōnem mortuorum, Prophetæ quoque*

que hac in re juxta ipsa præjudicia loquuntur, populique opinioribus se se accommodant.

19. *In qua via lux habitat?* Loquitur de lumine, & nocte tanquam de rebus, quarum utraque suum domicilium habeat; sicut Poœtæ Solis, Lunæ, somni, astrorumque palatia describunt.

31. *Conjungere valebis micantes stellas Plejadæ?* Sunt 7. stelle in cauda tauri. Gyrum Arcturi, stellas scil. quæ sunt circa polum arcticum. S. Gregor. per 7. Plejadæ accipit septiformem gratiam novi Testamenti, quod asperæ hyemi veteris Testamenti successit instar amœni veris, cujus nuntiæ sunt Plejades.

32. *Nunquid producis Luciferum?* Hebr. Mazaroth מזרה constellatio nem, seu stellarum congeriem significat.

33. *Nunquid nosli ordinem cœli?* vicissitudines annuas, tempestates,

possesne horum omnium rationem reddere?

34. *Elevabis in nebula vocem tuam.* An jussis tuis nubes obtemperabunt, ut magnam vim aquarum effundant?

35. *Nunquid fulgura mittes, & ibune &c.* Est Catachresis: nam creaturæ sic DEO parent, ac si essent animatæ.

36. *Quis dedit gallo intelligentiam, ut noctis horas agnoscet, suoque cantu exacte distingueret?*

37. *Concentum Cœli concordem motum, quis dormire, seu cessare faciet?* nisi DEUS in fine mundi.

38. *Quando fundebatur pulvis in terra.* Ubi eras in ipsis rerum primordiis, cum terram consistere jubebam, & graves, rudesque partes a liquidis, & aereis sejungens aridum elementum componebam?

39. *Nunquid capies Leæna predam?* Deinceps agitur de animalibus. An tuum est suppeditare victimum Leænæ, & Leunculis?

## C A P U T XXXIX.

**P**eroit DEUS potentie, & sapientie suæ magnitudinem ostendere ex ibicibus, onagro, rhinocerote &c. Job se temere locutum fatetur, & veniam precatur.

1. *Nunquid nosli tempus partus ibicum?* Caprarum silvestrium in petris, & rupibus inaccessis, vel parturientes cervas observasti? in silvis, quæ teste Plinio pariunt cum summis doloribus. Quis earum curam gerit, aut fœtus alit?

5. *Quis dimisi onagrum liberum?* Quis ei dedit hunc instinctum, ut vivat liber ab hominum jugo.

6. *In terra salsaq; terra sterili, & inculta.*

9. *Nunquid volet rhinoceros servire tibi?* An illum domare poteris, ut ad

ad eosdem labores tibi serviat, ad quos destinantur boves.

13. *Penna Struthionis similis est penna herodii.* Explicatio interpretum quoad hunc locum prorsus varia est. Sententia autem esse videtur: Agnosce providentiam meam in struthione, qui cum ferre avis non sit, alis tamen instar herodii, seu falconis instructus est, ut illius cursus in magna corporis mole sit incitator. Magnitudine enim equo par est; unguis vero habet bifidas, quibus lapides apprehendit, & contra insequentes jacit; vis durissima quæque concoquendi prorsus miranda est.

14. *Dereliquit ova sua in terra.* Temere ea projicit, nec advertit a bestiis facile posse conculcari.

16. *Erustra laboravit,* quod ad se attinet, ova deserens, nisi DEUS aliunde providisset, ut pulli nascerentur. *Nullo timore cogente.* Ovis non incubat, sed ex stupiditate, & stoliditate naturæ.

18. *Beridet eum,* quia eum cursus velocitate superat.

19. *Circumdabis collo ejus hinnium?* vim hinniendi collo, & fauibus equi ingeres?

20. *Nunquid suscitabis eum quasi*

*locustas?* An tu equum tam facile agitaris, ut locustam, trepidam bestiolam? Pugnacem describit equum, qui fauibus magnos edit hinnitus, magnos naribus fatus, terram cavat ungula, fremit, effervescit, fodit terram, & quasi exsorbet, cum reprimitur a cursu.

26. *Plumescit accipiter quotannis de novo,* ut novis plumis succrescentibus quasi rejuvenescat; naturali instinctu expandens alas suas ad austrum, seu ad flatum venti australis, qui quia lenis est, & calidus, laxat corpora, & poros, ut pluma facilius excidant. Symbolum est spiritualis renovationis.

33. *Respondens autem Job Domino:* In duobus potissimum Job a DEO reprehensus videtur, quod voluerit quodammodo cum DEO contendere, & jus suum experiri.

*Indica mihi, cur me ita judices &c.* Deinde facta sua, & actiones plus satis exaggerare visus est: quasdam ejus loquendi rationes arguit DEUS, quas ei amicorum in iustitia expresserat; unde venialiter tantummodo peccavit, si praedolorum acerbitate quædam illi excederint, quæ reprobationem mereantur.

## C A P U T   X L .

**D**EUS Jobum instruens ostendit ei suam potentem providentiam in Behemoth, elephante, in Leviathan; mystice in diabolo.

5. *Esto gloriosus:* quantum vis, ad majestatem te compone.

10. *Ecce Behemoth.* Vox Hebræa בָּהֵמָה behema animal significat, &

sub fœminina forma utrumque sexum; in plurali dicitur בְּבָמֹת be-bemoth. Hoc tamen loco unum peculiare animal designatur, quod mole corporis pluribus bestiis par censeri possit; Plures Auctores in eam abeunt sententiam, ut elephantem esse velint. S. Gregor. & alii allegorice diabolo adaptant.

*Quem feci tecum, ut tuis usibus serviat, & fænum quasi bos comedet, non carnes ut Leo; sed vili pabulo est contentus.*

10. *Fortitudo ejus in lumbis ejus. Quæ partes in aliis animalibus sunt teneriores, in elephante sunt robustissimæ; unde & turres cum pluribus armatis militibus dorso impositæ cingulo sub ventre constricto firmantur: quam constrictionem, nisi ventre esset durissimo, ferre ibidem non posset.*

12. *Siringit caudam suam quasi cedrum. Quia cauda elephantis admodum brevis est, aliqui pro hac intelligunt proboscidem. Allegorice cauda diaboli est Antichristus, in fine mundi adfuturus.*

*Nervi testiculorum ejus perplexi, sicut rami arboris, & funes mutuo implexi. Tropologicæ sunt mira artificia, & argumenta, quibus dæmon homines ad libidinem provocat, & implicat.*

14. *Ipse est principium viarum DEI. Principium in Scriptura sæpe pro eo sumitur, quod est præcipuum; inter quadrupedia excellit Elephas. Applicabit ei gladium ejus. Pro-*

boscidem, & dentes, quibus se defendat. Alii exponunt, elephantem (alleg. diabolum) adeo esse fortem, ut a solo DEO compesci possit.

15. *Omnes bestiae agri ludent ibi. Juxta elephantem, est enim pacatum animal, nec carnivorum, sed vilissimo gramine contentum.*

16. *Dormit in secreto calamii. In arundinetis, ubi refrigerium inventum.*

18. *Absorbebit fluvium, & non mirebitur. Non putat rem grandem, si fluvius illi exsorbendus esset. Est hyperbole, qua notatur copia, quam biberit, haustum tamen aliquot diebus intermittit.*

19. *In oculis ejus quasi hamo capiet eum? An quis palam, & sine insidiis capiet illum?*

20. *An extrahere poteris Leviathan? 70. habent Draco. Nomen Hebr. significat pisceum grandem, quales sunt Balæna in Oceano Atlantico.*

24. *Nunquid illudes ei quasi avi, ut solent pueri? aut ligabis eum filo ancillis (Hebr. & Chald. puellis) tuis, ut cum vincito ludant, & se recreent?*

25. *Concident eum amici &c. Non id de Leviathan fieri potest, quod de minoribus piscibus, aut feris, ut concisa, & sale conspersa amicis, aut mercatoribus tradantur.*

26. *Gurgistium piscium. Fiscellam, seu nassam piscatoriam, quæ minores capiuntur.*

27. Pone super eum manum. Si memento belli: puta tibi cum ferocius aggrediaris injicere illi manum, ciffissima bellua pugnandum.

## C A P U T   X L I .

**F**Ussius describitur Leviathan, robur ejus, magnitudo, & suae perbia. Exponitur figura esse diaboli longe robustioris.

1. Non quasi crudelis &c. Quanquam Leviathan potentissimum creaverim; nulla tamen inde elucet crudelitas; sed mea commendatur potentia, cui nemo resiste-re potest.

3. Non parcam ei (Leviathan) & consequenter nec tibi o Job, si ita mihi libuerit. Et verbis potentibus, & ad deprecandum compositis. Propter nullius aut minas, aut preces desinam ferire, si ita mihi visum fuerit, possum enim facile, quod nemo alias.

4. Quis revelabit faciem indumenti ejus? Quis pellem ei detrahet? Hebreis enim facies indumenti, seu indumentum pellis est, quia primo in oculos incurrit, quasi superficies corporis. Et in medium oris ejus quis intrabit? ad frænum ei in os injiciendum?

5. Portas vulnus; rictum, & labia, quis aperiet? tam formidabili vi dentium armata?

9. Sternutatio ejus splendor ignis. Tanto impetu copiam aquæ eructat halæna, ut in altum ejaculata, & in guttas dispersa candicet, & splendeat.

10. De ore ejus lampades procedunt,

Descriptio Poëtica est concitatæ ad iram bestiæ.

12. Halitus ejus lampades ardore facit: instar folium, quibus fabri ferrarii ignem excitant.

13. Faciem ejus præcedit egestas. Chald. dolor. 70. Perditio; quia perdit, in quos incenrrit. Quæ sane dæmoni melius aptantur, quam ulli animali.

16. Cum sublatuſ fuerit in altum erigens se super aquas, angelus. Hebr. בְּלָא elim fortissimi quique. Et territi purgabuntur, soluta alvo præ timore.

17. Cum apprehenderit eum gladius, subsistere non poterit, quin gladius frangatur, neque basta &c.

18. Reputabit quasi palcas ferrum, contemnet.

20. Quasi stipulam astimabit malleum, Alii catapultam vertunt, qua tela jaciuntur.

21. Sub ipso erunt radii solis. Agitatis fluctibus, eripiet aspergum Solis. Sternens sibi aurum quasi lutum, merces aureas, & pretiosas, quas eversis navibus in profundum demergit. S. Gregor. Aurum, hoc est, viros sanctitaris claritate fulgentes, quasi lutum sibi, vitiis coinquinando, substernit.

22. Ecce

22. Fervescere, faciet quasi ollam profundum mare spumas excitabit.

23. Post eum lucebit semita. Albitantem post se relinquet semitam.

24. Non est super terram potestas, quæ comparetur ei. Ex hoc versu, &

ultimo colligitur sub Leviathan nomine dæmonem intelligi, qui Pater est Superbiæ, sic v. 23. post eum lucebit semita, seu candor spuma: in dæmonem cadit, cuius semitæ veram lucem perverse imitantur.

## C A P U T   X L I I .

**J**ob iterato culpam agnoscit coram DEO, veniamque petit, & impetrat: laudatur a DEO præ amicis, qui jubentur per holocausta, & intercessionem Jobi DEO reconciliari. Job omnia duplicitia recuperat, & plenus dierum in pace quiescit.

3. Qui celat Consilium absque scientia. Qui putat posse abscondere consilia sua, & DEUM celare.

5. Auditu auris audivi te. Ex auditione tantum noveram te, nunc te ipso docente, mens perfectius te cognoscit.

7. Justus est furor tuus in te, & duos amicos tuos. An ergo DEUS iratus non fuit tertio amico Eliu? fuit profecto, sed hominem incredibili fastu, & falsa opinione sapientiæ turgentem, uti statim ab initio silere jussérat DEUS Cap. 38. ita nunc negligit, & quasi ignotum præterit, qui superbis resilit, bimilibus autem dat gratiam.

8. Faciem ejus suscipiam. Preces ejus exaudiam.

10. Dominus quoque conversus est ad penitentiam Job. Conversus est Dominus, ut Jobo parceret, illumque liberaret.

Ei addidit DEUS omnia -- duplicitia, Etiam annos vitæ; filiorum

tamen, & filiarum numerum non auxit, quia alioquin ex pecorum, & reliquarum opum multiplicatione familia non evasisset auctior, & ditior.

11. Et moverunt super eum Caput, partim præ compassionē, partim præ stupore, & admiratione.

Dederunt ei unusquisque ovem unam, ut alii putant ovem veram, & naturalem, alii cum Grotio nummum ovis imagine signatum. Et in aurem auream unam. 70. habent utraddrachmam auri inaures ponderis unius scilicet aurei.

12. Benedixit novissimis Job magis, quam principio. S. Prosper ait: Dupla præmia Job victor accepit. Pugnantibus vero suis, & sua gratia juvante vincentibus centuplum hic se daturum Dominus pollicetur, & vitam æternam in futuro sæculo.

14. Nomen unius vocavit diem. Propter eximiam pulchritudinem, qua

qua præfulsit ut dies. *Nomen secundæ Cassia*; quod nomen est odorati fruticis, quod grata esset, & suavis. *Et nomen tertiae cornu stibii*, quod elegantissimo esset vultu, quasi tota stibio depicta, quo facies, & oculos præsertim inungebant mu-

lieres orientales. S. Gregor. allegor. de tribus humani generis statibus exponit: primo, de primis parentibus in gratia creatis; 2do, de nobis per gratiam Christi redemptis; 3to, de resurrecturis ad gloriam sempiternam.

## LIBER PSALMORUM.

**H**ic Liber 150. Psalmis, seu sacris hymnis comprehensus apud Hebreos in quinque libros dividitur. Enarrat breviter omnia gesta veteris testamenti, & pleraque gerenda in novo. Variæ tractat argumenta, nullo servato ordine, seu temporum, seu rerum, neque habent inter se connexionem. Tribuitur vero Davidi, non quod omnes Psalmi eum habeant Auctorem, sed quod præcipuam Libri hujus partem ipse condiderit. Cæterum quosdam ex iis ab Asaph, Idithun, Heman, Ethan, quorum nominibus inscribuntur, esse compositos, nullus Interpretum in dubium vocat. Claram etiam id est ex rebus, quæ in Psalmis narrantur, & quæ ætatem Auctorum indicant. Sic Psalmus 136. super flumina Babylonis, uti & Psal. 125. in convertendo, soluta captivitate; Psalmi vero 64. 70. 111. 145. post Davidis tempora sunt conscripti. Esdras simul omnes in unum volumen compedit. Scripti sunt primum Hebraice, sed postmodum (una cum aliis Libris Vet. Testam.) a variis in Græcum translati, & nominatim a S. Luciano Martyre: cuius translationem in Latinum deinde conversam (non vero translationem 70. Interpretum, vel. S. Hieron. ut quidam opinantur) a S. Hieronymo correctam usurpat hactenus Ecclesia Romana. Vide Bellarm. Demum Librum hunc tanquam Divinum, & S. Spiritus afflatu scriptum opus Synagoga æque, ac Ecclesia Christiana nunquam non suspicerunt,

## PSALMUS I.

**E**st instar præfationis: & adhortatio ad studium pietatis, & ad impletionem Legis Divinae; in hoc enim sitam esse felicitatem vitæ præsentis, & qui secus faxint, DEO vindice perituros.

1. Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, qui non sequitur mala aliorum consilia: & in via peccatorum non stetit, seu rationi, & consuetudini vivendi ipsorum non inhæret. Et in Cathedra pestilentia non sedit; non docuit alias falsa, impia, & pestilentia eorum dogmata. Per peccatores, aut ut in Hebræo est: derisores, designantur partim Athei, partim hæretici. Notant hic S. Ambr. & S. August. triplicem gradationem impietatis: primam in voculis: consilio, via, cathedra: secundam in nominibus, impiorum, peccatorum (ex habitu) & pestilentium: tertiam in verbis, abiit, obsequendo: stetit, inhærendo: sedit, alias descendendo.

2. Sed in lege Domini voluntas ejus. Justum ante descripsit per negationem, nunc per affirmationem; qui nimis legi DEI addictus, eam meditatur, de illa cogitat sa-

pissime, maxime occurrente pecandi occasione,

3. Tanquam lignum, quod plantatum est, veluti arbor pomifera, quæ fixis alte radicibus inconcussa stat, secus decursus aquarum, juxta rivulos hinc inde alluentes; sic justus juxta divinorum charismatum, & gratiarum perennem fontem permanens, ex iisdem suum haurit incrementum.

5. Non resurgent impii in judicio. Resurgent quidem, sed non ad vitam, verum ad mortem æternam, (Hebr. non stabunt, Chald. non subsistunt) & quasi causa sua casuri latebras quærent: neque peccatores isti, in consilio justorum in consortio, & societate permanebunt.

6. Quoniam novit Dominus scientia approbationis, viam justorum normam vivendi, æterno præmio dignam; & iter impiorum labor, & studium peribit, ad interitum eos deducet.

## PSALMUS II.

A Perta Prophetia de Regno Christi.

1. Quare tremuerunt gentes, Romani: & populi, Judæi. Vox He-

bræa Goim ☰ in sacris literis pro Ethnicis passim usurpatur.

2. *Astiterunt Reges terre, Herodes, Pilatus, Principes Sacerdotum in unum convenerunt adversus DEUM, qui Regem constituit Christum, & unxit eum.*

3. *Dirumpamus vincula eorum; Voces gentilium, & populorum impiorum sunt, quibus Divina præcepta vincula videntur, & compedes, jugumque durissimum, cum tamen sit jugum suave, & onus leve.*

6. *Constitutus sum Rex ab eo super Sion, super Ecclesiam, quæ est civitas super montem polita, & cuius typus fuit Jerusalem, ac in ea præcipua pars est Sion.*

*Prædicans præceptum ejus. In monte Sion fuit templum, in quo Christus pluries personaliter prædicavit. Ex illo etiam loco exierunt Apostoli ad prædicandum per orbem verbum DEI, sicut prædictum fuerat Isaïæ 11. De Sion exhibet Lex, & verbum Domini de Jerusalem.*

7. *Ego hodie genui te. Triplex est hujus loci-sensus literalis a Spiritu S. immediate intentus, ad plura simul mysteria significanda; eruiturque ex aliis Scripturæ locis. Sermonem esse de æterna Verbi generatione, patet ex D. Paulo Hebr. I. De nativitate Christi secundum carnem, ex SS. PP. interpretatione, & accommodacione Ecclesiar. Tandem de resurrectione corporis Christi ex se-pulchro, quæ est quædam regeneratione, ex eodem Apost. Acto. 13.*

Vix ullus in Psalmis locus afferi potest expressior, quo Christus Dominus vere, & proprius filius DEI afferatur, ut multis argumentis probat Illust. D. Bosuet Episc. Meldensis in supplem. ad Psalms.

8. *Postula a me. Hæc verba humanæ Christi naturæ tantum aptari possunt. Discimus vero ex his per decretum DEI, & prædestinationem preces nostras non excludi. Videtur autem hic respici ad meritum; quasi dicat: Ad tres titulos, triplici generatione tibi partos, volo etiam quartus accedat, nempe meriti.*

*Et dabo tibi gentes hereditatem tuam. Ut regnum tibi hereditarium, seu tua Ecclesia non amplius constet solis Judæis, ut Synagoga, sed sit plane Catholicum, seu universale, & quidem usque ad terminos terræ, complectens omnes populos quotquot per fidem, & obedientiam se tibi subjicere tanquam Regi suo volent. Veteres Rabbini hunc locum uti Catholicæ Doctores de Messia intelligunt; hodierni vero ad Davidem referre volunt; at Davidi nunquam tam amplum regnum obtigit.*

9. *Reges eos. 70. ποιμανεῖται, pastoraliter reges, in virga ferrea, ictopro, sive pastorali baculo ferreo; significatur hac metaphora non solum vindicta scelerum, sed etiam regimen totius Ecclesiæ justum, rectum, ad justitiam inflexible, & potens.*

10. Et nunc Reges intelligite, ipsius Christi regiam potestatem.

11. Servite Domino in timore, scil. filiali; Exultate ei cum tremore, ne dicta exultatio in dissolutionem vertatur.

12. Apprehendite disciplinam, instructionem, doctrinam Evangelii Christi. S. Hieron. ex Hebræo: adorate pure, alii osculamini filium, **בְּ** bar enim tam filium, quam pu-

rum, aut puritatem significat. Omnes autem interpretationes eodem concurrunt, videlicet, ut apertissimam de Christo Proprietatem contineant. Et sensus est: osculamini filium, amplectimini eum, adorate, & vos ei subjecite. Judæi namque & omnes Palæstini osculo manuum alicujus significant se ei subjectos tanquam Domino, & Principi.

### PSALMUS III.

**D**avid fugiens a facie Absolon filii sui 2. Reg. 15. excitat secundum spem Divini auxilii. Allegorice convenit Christo patienti; Tropologice, cuivis justo diabolum, & persecutores fugienti.

1. Quid multiplicati sunt? Queritur hostium numerum auctum esse, nam dicitur 2. Reg. 15. Totum corde universus Israël sequebatur Absolon. Idem accidit Christo, qui omnium ordinum homines adversarios passus est, Hebreos, & Gentiles, sacros, & profanos &c.

3. Multi dicunt anima mea, de anima, & vita mea non est salus ipsi in DEO ejus; non illum juvabit, aut eripiet DEUS.

4. Tu autem Domine susceptor meus es: In Hebr. est: clypeus meus. Tu Domine protegendum me suscepisti contra hostium tela. Gloria mea, causa gloria mea, exultans caput meum, erigens illud, &

sustentans, ne ponderi afflictionis succumbam.

5. De monte sancto suo, de sublimi throno gloria sua: ad hoc enim habebantur orationes, & Sacrificia in monte Sion, ut audirentur in celo.

6. Ego dormivi. Cinctus licet innumeris hostibus, tamen de DEI ope securus suaviter dormivi.

7. Non timebo milia populi Israelici cum Absolon me querentis ad interitum.

8. Dentes peccatorum contrivisi, savitiam, & robur.

9. Domini est salus. Ipse est, a quo petendum auxilium.

PSAL.

## PSALMUS IV.

**H**ortatur David comites suos, tum hostes, & alios omnes, ut DEUM ex animo colant, & ab eo pacem, ac rerum omnium copiam sperent. Allegorice Christus, & Ecclesia hortatur filios suos ad firmam spem, & constantiam in afflictione.

1. In finem, in carminibus. Ad finem seculorum, seu ad tempora Messiae spectat hic Psalmus, ut Rabbini exponunt. Vel ad finem legis, & Prophetarum, qui est Christus.

2. DEUS justitia mea! Justæ causa, & innocentia mea defensor, & vindex. Dilatasti mibi, pro dilatisti me. Lætitia me affectasti etiam in angustia, qua premebar.

3. Filii hominum. Convertit sermonem ad eos, a quibus oppugnabatur. Gravi corde, crasso, & carnali ad ima depresso, quod cœlum versus non attollitur.

Vanitatem, & mendacium. Res vanas, & mendaces, quæ vera bona non sunt, sed fucata.

4. Scitore, quoniam mirificavit Dominus sanctum suum. Omnibus modis admirandum præstítit Davidem a se unctum evehendo ad regiam dignitatem: quæ verba de Christo ad gloriam suam exaltato recte intelligi possunt.

Irascimini, & nolite peccare. Iram, quam contra me conceperistis, nolite opere consummare. Quæ dici-

tis in cordibus vestris cogitando me persequi, in cubilibus vestris, quæ in tentoriis, & locis solitariis contra me tractastis, compungimini per contritionem, & compunctionem expiate.

6. Sacrificate Sacrificium. Bonis & justis operibus vos exercete, quod gratissimum est DEO sacrificium.

Multi dicunt, quis ostendit nobis bona? Impiorum objectio est: q. d. ubi sunt illa bona, quæ promittis?

7. Signatum est super nos lumen vultus tui. Lumen vultus DEI favorem significat; sensus igitur est: DEUS favorem suum constabilivit, & tanquam sigillo obsignavit super nos.

8. A fructu frumenti. Quarant alii divitias, & bona temporalia; ego

9. In pace in idipsum dormiam, in eodem loco, in medio hostium divino favore tutus, dormiam.

10. Singulariter in spe constitui me. In Græco est, solitarie, id est: ita me custodis, ac si me tantum custodiendum suscepisses.

## PSALMUS V.

**D**avid in Persona Ecclesiæ, vel animæ afflictæ orat DEUM,  
ut impios cohipeat, piis benedicat.

4. Mane adstabo tibi, mature,  
tempestive supplex preces fundam,  
& ut promptus famulus ius-  
satua præstolabor. Et video te præ-  
sentem, & præsidium tuum con-  
tra hostes meos. Quoniam non DE-  
US volens iniuriam tu es. Non vis  
ut injuste inimici mei me oppri-  
mant.

7. Virum sanguinum abominabitur.  
Effusorem sanguinis innocentis.

8. Introibo in domum tuam. Ta-  
bernaculum intelligit, nondum  
enim excitatum erat templum,  
quod postea Salomon extruxit.

9. Dirige in conspectu viam meam.  
Actiones meas, ut tibi placeam,  
ac semper in conspectu tuo me  
versari meminerim. Propter ini-  
micos meos, ut eorum insidias possim  
evadere.

11. Sepulchrum patens est guttur  
eorum. Instar aperti sepulchri os  
eorum exhalat teterrinum, ac pe-  
stilentem fætorem mendaciorum,  
detractionum &c.

Judica illos DEUS! Damnabis,  
& mulctabis eos; non enim ani-  
mo execrantis, sed notitia prædi-  
centis ista dicuntur. Decidant &  
cogitationibus suis, quæ cogitant, &  
optant, non consequantur, spe  
sua frustrentur. Expelle eos, exclu-  
de ab hereditate. Quoniam irri-  
verunt te, per cultum idolorum.

13. Scuto bona voluntatis tuae coro-  
nasti nos. Hieron. coronabis cum.  
Cinges eum gratia tua, & bene-  
volentia tanquam scuto eum mu-  
nies.

## PSALMUS VI.

**D**avid æger ex morbo sibi immisso ob adulterium cum Betsabee,  
Janari orat, & exauditur: mystice convenit peccatori pa-  
nitenti.

1. In finem - pro octava Vox He-  
breæ pro octava designat instrumen-  
tum musicum octo chordarum,  
qui sonus est intentissimus, datus  
Præcentori, ut clarissima voce ca-  
ueretur.

2. Domine ne in furore tuo arguas  
me. Ne punias me secundum ri-  
gorem justitiae.

3. Conturbata sunt ossa mea. Vis  
enim morbi ipsa ossa pervadit, &  
vires minuit.

4. *Anima mea turbata est valde: Videns enim Angelum cædente populum propter se, ita turbatus fuit, ut dixerit ad Dominum: ego sum qui peccavi &c.* 2. Reg. ult. *Sed tu Domine usquequo? Sustinebis populi percussionem, & meam afflictionem? est modus loquendi decuratus, ut solent homines in angustiis.*

5. *Convertere Domine. De rigore justitiae ad misericordiam.*

6. *Quoniam non est in morte, post mortem. Qui memor sit tui memoria fructuosa, quantum ad eos, qui decedunt in peccato mortali: unde subditur.*

*In inferno autem quis confitebitur tibi? q. d. nullus. David enim timebat, ne ex illa multitidine populi, trium dierum pestilentia sublati, multi decederent in peccato mortali.*

7. *Laboravi in gemitu meo. Fati-gatus sum gemendo, & suspiran-*

*do. Lavabo per singulas noctes lectum meum. Hyperbolicus sermo est, quod magis patet in Hebræo; ita enim vertit S. Hieron. naturæ faciem tota nocte lectum meum. Significat David tantam esse suam contritionem, ut si fieri posset, immensam lacrymarum vim effunderet.*

8. *Turbatus est a furore oculus meus. In Hebr. pro furore habetur amaritudine, quia profluebant lacrymæ in tanta abundantia, ut visus acies caligaret. Inveteravi. Jam senex factus sum, nec ulla vitæ pars hostium infestationibus vacavit.*

9. *Discedite a me omnes &c. Jam voti compos factus inimicis insultat.*

11. *Erukescant: pudeat illos iriti conatus. Conturbentur. Timeant etiam eum, quem tam præsenti ope juvat DEUS.*

## PSALMUS VII.

**O**ccasione decretorum Saulis ad-versus Davidem videtur hic Psalmus concinnatus, quo queritur David se falso perduellionis argui; opem Divinam ad-versus tyrannum implorat, ejusque exitium prædictit. Allegorice, David est Christus, Saul Juðæi. Tropologice, David est qui-vis justus: Saul, impii persecutores.

2. *Salvum me fac, a Sanle, & ejus complicibus me persequentibus.*

3. *Ne quando rapiat ut Leo, Cru-delissimus Saul animam meam, ne vitam mihi eripiat. Non est qui re-*

*dimat, qui me tanto discrimine eximat.*

4. *Si feci istud, quod mihi im-pingunt, scil. me regno, & vite Saulis insidiari,*

5. Si reddidi retribuentibus mibi mala. Illud, mala, ad utrumque referendum est, & ad, reddidi, & ad, retribuentibus, sensus enim est: si reddidi malum pro malo.

Quæres hoc loco, quomodo David non reddiderit mala, cum constet, quod Salomoni præcepit, Joab, & Semei interficiendos? R. Hic David ultius non fuit injuriam privatam, sed DEI.

Decidam merito ab inimicis meis inanis. Victus ab illis turpiter succumbam.

6. Conculceret in terra vitam meam, in terram prostrato vitam eripiat.

Et gloriam meam in pulverem deducat, gloriam regni Israël mihi promissi per Samuelem, velut in nihilum redigat.

7. Exurge Domine. Dicit, exurge, quasi prius remisso ageret, & inimicorum Davidis iniquitatem dissimularet.

In præcepto quod mandasti. Sicut tu mandasti judicibus facere vindictam de malis; ita facies de inimicis meis, quia non habeo judicem in terra.

8. Et Synagoga populorum, q. d. hoc si præstiteris, multi se tibi adjungent, potentiam tuam, & curam videntes, quam de tuis successis.

Et propter hanc in alium regredere: Perinde ac judicem alloqueretur; qui de subselliis injudicata lite decederet. Revertere in alium, tribunal tuum iterum concende, & hoc certamen dirime.

9. Secundum iustitiam meam, secundum innocentiam meam super me. Loquitur de iustitia causa sua contra Saul, non de iustitia personæ.

10. Consumetur nequitia peccatorum. Tu Domine malis meis, & hostium meorum scil. Saulis persecutionibus limites statues. Scrutans corda, & renes. Per hos Scriptura interiores affectus designare solet.

12. Nunquid irascitur per singulos dies? Sensus est: non facile, & passim irascitur, sed dat locum poenitentiaz, imo ad eam invitat.

13. Nisi conversi fueritis, Tu Saul, & Satellites tui, gladium suum vibrabit. DEUS gladium quasi in vagina reconditum tenet, donec contempta a peccatore gratia ad poenitendum data, educat eum, & feriat; quod completum est ad literam in Saule in monte Gelboë.

14. Vasa mortis, instrumenta mortis. Sagittas suas ardentibus efficit. Prisci id genus missilibus ignitis utebantur, quæ quoctunque immittebantur, necem, ignemque inferebant. Ita test. Herodotus L. 8. de Persis, Athenas oppugnantibus. Similes DEUS paravit iis, qui in Davidem ira, & odio ardebat.

15. Parturiit iustitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem. Est hysterologia, cum prius sit concipere, quam parere. Inimicus meus Saul est velut parturiens, fœtus vero, quem est editurus, est ini-

iniquitas. Concepit dolorem propter invidiam, quod Dominus elegerit me, & populus benevolentia prosequatur. Peperit iniquitatem, cum animi sui conceptus, me per-

sequendo, omnibus manifestos fecit.

17. Convertetur dolor ejus in caput ejus. Velut sagitta, quæ in aërem emissâ in sagittarii caput relabitur.

## PSALMUS VIII.

**D**EI opera, & beneficentiam erga hominem, præsertim erga Christum deprædicat. Canticum est lætitiae de Ecclesiæ constitutione.

1. In finem pro torcularibus, Psalmus David. Forte post vindemiam in festo tabernaculorum canebatur pro perceptis fructibus.

2. Ex ore infantium. Non potentes, & sapientes hujus mundi electi sunt, ut laudem DEI promoverent, sed infirmi, & contempsi. Aut sensus esse potest, ut nomine infantium homines quilibet intelligentur, qui comparatione angelorum spectata sapientia infantes sunt. Persecisti laudem non solum ore perfectarum creaturarum, sed etiam rudium & infirmorum, ut destruas inimicum. Populum Judaicum.

6. Minuisti eum paulo minus ab angelis &c.

8. Omnia subiecisti sub pedibus ejus. S. Paulus Hebr. 2. Id Christo perfecte convenire docet, qui tempore passionis, aut vita sua mortalis infra angelos videbatur constitutus, ut postea gloria, & honore coronaretur post resurrectionem. Probabile est Davidem hunc Psalmum cecinisse, cum adhuc puer esset, & oves Patris sui paseret; idque de nocte, cum mentionem Lunæ, & stellarum faciat, non item Solis.

## PSALMUS IX.

**G**ratias agit hoc Psalmo provictoria de suis hostibus: dein a v. 22. (ubi Recentiores Hebræi inchoant Psalmum 10.) orat DEUM, ut pios semper tueatur contra impios.

2. Confitebor tibi Domine. Confessio est laus, & gratiarum actio. Narabo ad aliorum eruditionem.

4. In convertendo inimicum meum

retrorsum. Dum hostes mei in fugam vertentur, infirmabuntur infirmi, & debiles reddentur a facie tua, a præsentia potentia tua.

5. *Ecclesiæ judicium meum.* Absol-  
visti judicium, & pro me senten-  
tiam pronunciasti.

6. *Increpasti gentes.* Per prædica-  
tionem Apostolorum de idolola-  
tria, cui erant subditæ. *Et perit  
impius, diabolus,* quia gentes præ-  
dicationem Apostolorum recipien-  
tes confregerunt idola, in quibus  
dæmones colebantur.

7. *Inimici defecerunt frameæ, gla-  
dii, & arma, quæ in nos exacue-  
bant, cessaverunt in perpetuum.  
Mystice significantur arma diabo-  
li, cujus robur per Christum mul-  
tum imminutum est. *Perit memo-  
ria eorum cum sonitu,* Hebræus est,  
pro celerrime, ut cessante sonitu  
nihil prorsus de eo remanet.*

12. *Qui habitat in Sion.* In Eccle-  
sia, cujus Sion est typus. *Annum-  
ciate inter gentes studia ejus.* Legem  
Evangelicam, quam studiose do-  
cuit verbo, & exemplo.

13. *Requirens sanguinem eorum  
Innocentium, & martyrum requiri-  
ret de manu tyrannorum, id est,  
ulciscetur.*

14. *Vide humilitatem meam de ini-  
micis meis, afflictionem, & depres-*

sionem, in quam inimici me con-  
jecerunt.

15. *Exaltas me de portis mortis:*  
retrahis me ex illis extremis vitæ  
periculis. *In portis filie Sion.* In  
solemnibus conventibus populi Je-  
rosolymitani, qui solebant in por-  
tis institui.

16. *Infixe sunt gentes in interitu.*  
Gentes ceciderunt in foveam,  
quam mihi effoderant.

18. *Convertantur peccatores in in-  
fernū.* Prophetia est potius, quam  
imprecatio.

19. *Patientia pauperum non peri-  
bit in finem:* tandem pauperes, &  
oppressi quod expectant, obtine-  
bunt.

20. *Non confortetur homo.* Non  
prævaleat contra me inimicus  
meus.

21. *Constitue Domine Legislatorem  
super eos:* scil. Christum Legisla-  
torem Legis Evangelicæ, ad ju-  
dicandum eos. *Ut sciant gentes,*  
quoniam homines sunt imbecilli, &  
nullarum virium, qui proinde  
cum DEO pugnare nec audeant,  
nec possint.

## PSALMUS X.

Secundum Hebræos Recentiores, secundum Latinos pars  
posterior Psalmi prioris.

**I**MPIORUM mores describit, & DEO conqueritur; DEUM in-  
vocat, ut fideles tueatur.

1. *Ut quid Dominus recessisti longe.* Cum maxime opus est auxilio  
utile

utile est nobis ejus opem implorare, ut noverimus, cur DEUS a nobis recesserit.

2. *Incenditur pauper.* Obruitur impii persecutionibus, & malis. Interim potentes impii comprehenduntur in consilis quibus cogitant, & machinantur aliis mala.

3. *Quoniam laudatur peccator.* Decipietur impius in consiliis suis: plena fruitur securitate in sceleribus suis, quoniam assident illi undique assentatores, qui eum in errorem inducunt, dum laudibus cumulant.

5. *Non est DEUS in conspectu ejus.* Ita se gerit, ac si DEUS non esset.

Ausseruntur iudicia tua a facie ejus. Longe sunt ab illius animo, & cogitatione præcepta tua. Omnia inimicorum suorum dominabitur. Tyrannie opprimet omnes, quos inimicos putat.

6. *Non movebor.* Nunquam excidam de hoc felici statu, sine malo (supple) ero, semper felix & beatus.

7. *Sub lingua ejus, labor, & dolor.* Non alia loquitur, quam quibus dolorem, & laborem aliis creet.

9. *Rapere pauperem dum attrahit eum.* Nectendum cum priori verbo: *infidiatur.* Impius est velut venator, qui prædam suam scrutatur; pauperem laqueis suis caput, eum attrahit, & jugulat.

10. *Inclinabit se super pauperem;* imo & cadet super eum, quasi magna mole eum oppressurus.

13. *Dixit enim in corde suo: oblitus est DEUS,* rerum humanarum, neque eas curat: avertit faciem suam ab his inferioribus, abscondens se in sublimioribus, ne videat in finem ad ultionem impiorum.

15. *Contere brachium peccatoris,* minue vires, & potentiam. Quaretur peccatum illius, fastus, & arrogantia impii, & non invenietur. Te enim vindice cum peccato suo e mundo eradicabitur.

18. *Judicare pupillo, & humiliare.* Hebr. ut judices: ut jus dicas pauperi, & illum vindices.

## PSALMUS X.

**S**uadentibus ut fugiat Saulem respondet, se DEO nixum in tuto esse.

2. *Quomodo dicitis animæ meæ?* i.e. mihi, alloquitur amicos fugam suadentes, ut se eriperet e manibus Saulis.

*Sicut passer evolans a facie sagit-*

*tantis.* Hebraea vox quamlibet avulcam significat.

3. *Ecce peccatores,* nempe Saul, ejusque afflœcæ, in obscuro, ex infidiis tibi bella struant.

4. Qua perfecisti destruxerunt, Leges, & consilia tua. *Justus autem quid fecit?* videlicet nihil tale; cum sit legum tenax, & reverens.

5. Palpebra ejus. Oculi ejus, interrogant filios hominum, cognoscunt, & explorant ita omnia, ac si minutum interroganti, quid actum sit, responderent.

7. Pluet super peccatores laqueos. Quia frequenter subito, & impro-

vile moriuntur, quasi laqueo capti:

*Ignis, & sulphur -- pars calicis eorum.* i. e. hereditaria portio, sors, & merces impiorum. Significant haec multiplicem ultionem DEI, eamque celerrimam, & gravissimam. Metaphora desumpta ab Architriclino, qui in convivis suum cuique calicem, seu vini portionem statuebat.

## PSALMUS XI.

**D**avid in medio impiorum, forte domesticorum Saulis, orat, ne ab eis contaminetur.

2. Salvum me fac Domine, quoniam descenit sanctus. Si bonos, & sanctos haberem in contubernio, simul haberem innocentias meas scutum, & sanctitatis fulcrum. At nunc dum procul absunt Divinas legis studiosi, meque ab omni parte malorum turba circumcidet, divina ope, & adjutrice manu maxime opus habeo. Discimus inde, quam periculosa sit malorum Societas.

3. Vana locuti sunt. Mutuo se adhortantes ad prodendum David in favorem Saulis Regis.

*In corde, & corde locuti sunt.* Duplici corde, dolose, & fraudulenter.

5. Linguam nostram magnificabimus. Quia prodendo David magna faciemus pro Saule.

*Lubia nostra a nobis sunt.* Id est, pro nobis eloquentia nostra est. *Quis noster Dominus est?* sic enim

dicebant Ceilæ: Quis dubitat, quin Saul sit noster Dominus, & non David? ideo illi favere debemus. Sed ratio non valeret, quia erat contra DEUM, & justitiam.

6. Nunc exurgam dicit Dominus. Ad protegendum eos a dicta proditione. *Ponam in salutari. Justum in loco tuto constituam. Fiducialiter agam in eo.* Libere agam in hoc negotio, nemo enim mihi resistere potest.

7. Eloquies Domini eloquia casta. Promissa haec DEI non sunt ut promissa hominum ficta, & dolosa; sed sicut argentum igne examinatum, seu purgatum, probatum terra purgatum septuplum, ab omni terra admistione saepius repurgatum.

*Custodies nos a generatione hac.* Ab habitatoribus Ceilæ, & a Saule; aut

aut a pravis hujus saeculi hominibus.

9. In circuitu impii ambulant. Ad nocendum undique probos circumveunt. Secundum altitudinem Di-

vinorum consiliorum tuorum, multiplicasti tum numero, tum potentia, non filios DEI, sed filios hominum, qui terrena satiunt.

## PSALMUS XII.

**Q**ueritur de tarda DEI ope in tam diurna Saulis persecuzione.

1. Usquequo Domine oblivisceris me in finem? Quamdiu te erga me instar oblivious habebis? an perpetuo? usquequo avertis tanquam iratus faciem tuam beneficam a me?

2. Quamdiu ponam consilia in anima mea? i. e. anxia mente versabo curas, & consilia, quibus evadam manus Saulis.

3. Usquequo exaltabitur inimicus? Quamdiu in illa sua superba exaltatione, & mei oppressione perseverabit?

4. Ne unquam obdormiam in mor-

te, ne animus calamitatibus vicius succumbat, quod est obdormire in morte. Moraliter illuminatio oculorum est Divina inspiratio, vel auxilium coelestis gratiae, qua a peccati consensu servemur, qui lethalis animae somnus est.

5. Exultabunt, si motus fuero. Si vel tantillum inclinavero ad lapsum.

6. In misericordia tua speravi. Quae me labentem sustinebit. In salutari tuo propter auxilium tuum, quod mihi saluti erit. Cantabo Domino. Hymnum Eucharisticum in gratiarum actionem.

## PSALMUS XIII.

**A**theorum multitudo, impietas, & perversi fructus.

1. Dixit insipiens in corde suo. Cogitavit, nam ore proloqui tam impia verba non est aulus. Non est DEUS in Hebr. est: אלהים, quae vox DEUM significat, in quantum Judex, Moderator, & providens est, q. d. impune peccare licet, DEUS humana non curat. Corrupti sunt in-

tellectu, & voluntate, pravis doctrinis, & omnium vitiorum genere.

In studiis suis. Consiliis, & actionibus.

2. Dominus de Cælo prospexit. Quia nihil penitus illum latere potest.

Ut videat si est intelligens per veram,

fam cognitionem, aut requirens  
DEUM per bonam operationem.

3. Omnes declinaverunt a recto tra-  
mite, quem tenere debuissent.  
*Simul inutiles facti sunt:* Hebraice:  
computruerunt, fætuerunt scil. in sua  
socordia, concupiscentia, & ne-  
quitia. Non est usque ad unum. He-  
br. ne unus est, seu nemo scil. ex  
omnibus atheis (nam de his agi-  
tur hoc Psalmus) non ergo negat  
impios aliquando quædam bona  
opera facere: sed solum negat esse  
inter Atheos, qui absolute dici  
possent bene vivere. Multo mi-  
nus sequitur, quod Calvinus,  
omnia opera hominum etiam ju-  
storum esse peccata. *Venenum aspi-  
dum sub labiis, pestifera loquuntur.*  
*Contritio & infelicitas videlicet activa,*  
*in viis eorum. Omnis actio, & co-  
natus eorum eo tendit, ut alios*  
*conterant, & infelices reddant.*

4. *Nomine cognoscunt, sentient suo*

tempore vindicem DEI manum.  
*Qui devorant plebem meam.* Qui po-  
pulum meum electum spoliant ea  
aviditate, qua a famelico frustum  
panis devoratur.

6. *Dominus in generatione justa est.*  
Suo favore, ope, & auxilio singu-  
lari adest justis.

7. *Cum averterit Dominus captivi-  
tatem, reducendo populum ex Ba-  
bylone. Quis dabit ex Sion salutare  
Israël. Hebr. salutem, Græce Salvato-  
rem, Messiam, seu Christum, ex  
domo seu familia David, cuius pa-  
ladium erat in arce Sion. Orige-  
nes, & Theodoret, adaptant hunc  
Psalmum Regi Assyriorum Senna-  
cherib, eiususque Legato Rabsaci*  
4. Reg. 18. & optime quadrant  
in ipsum omnia.

Moraliter potest hic Psalmus  
exponi de omni peccatore obsti-  
nato: qui licet verbo confiteatur  
DEUM: facto tamen negat.

## PSALMUS XIV.

*Via in Cœlum, innocentia vitæ, & charitas in proximum.*

1. *Domine quis habitabit in taber-  
naculo tuo? In cœlesti illa domo,*  
quam paras electis: his mox ipse  
respondet:

2. *Qui ingreditur sine macula. Qui  
vivit vitam inculpatam.*

3. *Qui loquitur veritatem in corde  
suo, qui verbis, & factis talem se  
exhibet exterius, qualis intus in  
corde est. Et opprobrium non acce-  
pit, qui non admisit calumnias, &*

detractiores contra proximum  
suum, sed quantum in se fuit,  
impeditivit.

4. *Ad nihilum deductus est in con-  
spectu ejus malignus. Impium, licet  
divitem, & potentem, contemnit,  
cum causa DEI agitur, nec vere-  
tur peccantem redarguere, cum  
res, & occasio postulat.*

5. *Qui pecuniam suam non dedit  
ad usuram. Qui ex alterius necessi-  
tate*

tate suum non quæsivit commo-  
dum: non movebitur: ad tempus  
commoveri is potest, at non in

eternum. August. Perveniet ad il-  
la tempora, in quibus magna, &  
inconcussa stabilitas est.

## P S A L M U S X V .

**S**icut David, ita Christus DEUM orat, & gratias agit,  
quod sit excitandus a mortuis, gloria æterna donandus. My-  
stice Ecclesia, & fidelis anima petit verbis, & in nomine Christi  
ab hostibus conservari.

1. Tituli inscriptio, scil. in colu-  
mina, cui has sententias inscribi  
voluit. David ut Rex, Christus ut  
caput Ecclesie loquitur.

3. Mirificavit omnes voluntates  
meas in eis. i. e. charitatem, & be-  
nevolentiam meam valde inclina-  
vit, & affectus reddidit erga ho-  
mines, qui in terra sunt, nempe  
ut relictis angelis, ex ipsis homi-  
nibus terrenum corpus assererem,  
& mortem subirem. ita S. August.

4. Multiplicatae sunt infirmitates  
eorum, spirituales infirmitates, seu  
peccata, ex quibus non modo per  
Christum convaluerunt, sed etiam  
adeo fortes effecti sunt, ut curre-  
re possent viam mandatorum, &  
conciliorum ejus. Non congregabo  
conventicula eorum de sanguinibus.  
Non jubebo celebrari conventus,  
in quibus sanguinolenta boum, &  
ovium victimæ immolentur, ut  
olim jussi; (supple) sed sanguine  
solius agni immaculati incruente  
immolando. Nec memor ero nomi-  
num eorum; nempe pristinorum,  
an Judæi fuerint, an gentiles;

quia novo nomine omnes vocabo  
Christianos, Sanctos, filios DEL.

5. Dominus pars hæreditatis mee  
&c. DEUS solus optatissima mihi  
hæreditas est. Restitues hæredi-  
tatem meam mibi. Secundariam, quæ  
est Ecclesia, per peccatum perdi-  
ta, sed Christi sanguine redem-  
pta.

6. Funes ceciderunt mibi in præcla-  
ris. Olim enim Palæstini agros  
funibus metiebantur in locis amœ-  
nissimis, & fertilissimis.

7. Qui dedit mihi intellectum, ut  
optimam partem hæreditatis, DE-  
UM videl. eligerem. Usque ad no-  
ctem increpauerunt me renes mei. Tuæ  
sanctæ inspirationes noctu diuque  
erudierunt me ad pietatem: renes  
in Scriptura frequenter usurpan-  
tur pro mente, aut animi affecti-  
bus.

8. A dextris est mibi, ne commo-  
vear. Adebet mihi, ne a statu, &  
perseverantia mea excidam.

10. Non derelinques animam me-  
am in inferno. In limbo, ad quem  
mox a morte victrix descendet;  
non

non vero passura dolores, aut tormenta inferni, ut impie blasphemati Calvinus, & alii Sectarii. Ridicule vero Beza hic per animam intelligit cadaver; per infernum sepulchrum. Nam de caderere, & sepulchro intelligenda sunt, quæ sequuntur. Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.

Non patieris me etiam secundum corpus meum corrupti in sepulchro.

17. *Notas mibi fecisti vias vita.*  
Docuisti me modum cito redeundi ad vitam. *Adimplebis me latitudini vultu tuo.* Beatum me reddes ostensione, seu visione tua.

## PSALMUS XVI.

**D**avid (mystice Christus) orat, ne cum suis asseclis, & subditis persecutionibus obruatur. *Tropologice, Psalmus est oratio justi persecutionem patientis.*

1. *Non in labiis dolosis.* Oratio quam fundo, ex sincero animo, & corde proficiuntur.

2. *De vultu tuo judicium meum prodeat.* Causa mea agatur te iudice. Tu enim plene

3. *Probasti cor meum.* Quia homo videt ea, quæ patent, DEUS autem intuetur cor. *Visitasti nocte, repente, ex improviso cogitationes meas scrutatus es.*

*Igne tribulationum, me examinasti, & non est inventa in me iniquitas, quam vel in Saulem, vel in alios hostes meos molitus sim.*

4. *Ut non loquatur os meum opera hominum,* ut nec locutus sim unquam de vindicta, aut malo pro malo reddendo, quæ sunt consueta hominum opera.

*Propter verba laborum tuorum ego custodivi vias duras.* Consideratione æternæ remunerationis promis-

sæ custodivi vias laboriosas mandatorum tuorum.

Quæres: quomodo viæ mandatorum DEI laboriosæ sint, cum vocentur jugum suave, & Joan. 5. *mandata ejus gravia non sunt?* B. Mandata DEI in se spectata facilita sunt, & jucunda, quia spiritui, & rectæ rationi conformia; vocantur tamen hoc loco viæ durae, quia contrariantur homini carnali, & post lapsum ad malum proclivi.

7. *Mirifica misericordias tuas.* Ostenste misericorditer mirabiles modos tuos, quibus me eripias a Rege tam potente, & iniquo.

10. *Adipem suum concluserunt.* Viscera sua clauerunt, ne ullæ mei misericordia tangerentur.

11. *Projicientes me, contemnentes, & confringere me volentes obfirmato animo, statuerunt oculos suos declinare in terram,* scil. ne videant,

deant, aut animo sentiant misericordiam, & afflictionem meam, ac ita ad misericordiam moveantur.

12. Suscepserunt me sicut Leo, aper-te me persequentes cum maxima crudelitate. *Habitu in abditis, in insidiis.*

13. Praeveni eum, priusquam im-petum in me faciat, supplantare eum, sterne eum, in terram afflige. Eranieam tuam, gladium, & potesta-tenti de manu inimicorum eripe, qui illa abutuntur.

14. A paucis de terra divide eas. Separa multitudinem impiorum a pusillo grege proborum. *De ab-sconditis tuis bonis scil. terræ a DEO creatis & conservatis, que velut de thesauro abscondito sin-gulis annis emanant, adimpletus & venter eorum. Saturati sunt filii, a-bundant prolibus. Dimiserunt reliquias suas, bona sua filii suis.*

15. Ego autem in justitia apparebo. Juste coram te vivere stude-bo.

## PSALMUS XVII.

**C**anticum David, quo gratias agit DEO. Descriptio peri-culorum, quæ subiit, victoriarum, quas retulit, & benefi-ciorum, quæ a Domino accepit.

3. Cornu salutis mee, robur in-victum ad me salvandum: meta-phora sumpta ab iis animantibus, quæ cornibus instructa sunt, in qui-bus potissimum robur situm credi-tur.

5. Dolores mortis. Maximi, qua-les in morte esse solent.

Torrentes iniquitatis. Impetus, & violentia iniquorum.

6. Dolores inferni i. e. vehemen-tissimi. Praeoccupaverunt me laquei mortis. Exceperunt me pericula ad mortem.

8. Commota est, & contremuit ter-ra. Est Poëtica descriptio horribilis tempestatis, quæ vindicem DEUM comitatur.

9. Ascendit fumus in ira ejus &c. Poëtica hyperbole: DEUS pre-

nimia ira contra hostes suos spir-a-bat fumum & ignem e naribus, & quidem tam vehementem, ut carbones ante extinti facile ab eo accendi possent.

10. Inclinavit Carlos, nubes ter-raz apparuerunt viciniores.

11. Ascendit super Cherubim. Hi angeli currum gloriae comitari di-cuntur. Super pennis ventorum, qui Poëtico Schemate alati finguntur, & currum velocissime trahere.

12. Et posuit tenebras. Id est, ut sequitur, tembrosum aquam, seu ob-scuras, & densas nubes habuit qua-si latibulum, quo undique velabat Majestatem & potentiam suam.

13. Præ fulgoro in conspectu ejus nubes transierunt. Non potuit illis latibilis ita concludi divinus ful-gor,

gor, quin per stupendos effectus  
ubique transpareret, v. g. dum  
nubes a DEO concussæ transeunt  
quasi volantes, mox etiam dissi-  
pantur, & decidunt ex iis imbræ,  
grando & carbones ignis, seu jam  
igniti & accensi, puta fulmina,  
& alia meteora ignita.

15. Misit sagittas suas, fulmina  
ejaculatus est, & coruscatione ter-  
ruit hostes.

16. Et apparuerunt fontes aquarum.  
Vi harum tempestatum fontes in  
cavernis terræ latentes eruperunt,  
& fundamenta orbis terrarum, visce-  
ra, & interiora terræ, revelata sunt,  
disrupta hiantia patuerunt, ab in-  
crepatione tua, sic jubente ira tua:  
& inspiratione Spiritus, flatu vehe-  
mentissimi venti a te immisisti omnia  
concutiente, & denudante.

17. Misit de summo auxiliatri-  
cem manum.

18. Quoniam confortati sunt super  
me. Robustiores me facti sunt pro-  
pter multitudinem adhaerentium.

20. Eduxit me in latitudinem, ex  
angustiis in locum spatiolum, quo-  
niam voluit me, dilexit me.

21. Secundum puritatem monuum  
meorum, operum meorum, quæ  
per manus designantur.

26. Cum sancto sanctus eris &c.  
q. d. reddit unicuique secundum  
opera ejus, & cum misericorde  
misericors es. Vox enim Hebr.  
תְּהִלָּה chasid propriæ misericordem,  
& pium significat. Innocens eris:  
Non nocebis, nec sœvis in eum,  
qui ab aliorum injuria abstinet,

27. Cum electo electus eris, & cum  
perverso perverteris. De DEO hoc  
dicitur non ita, ut vulgari prover-  
bio usurpatur de hominibus. Vult  
enim Psalmista, DEUM bonis bo-  
num, benignum ac placidum esse;  
malis vero ac perversis nialum,  
atque perversum, id est durum,  
inclemtem, & rigidum pœna-  
rum exactorem. Qui loquendi  
modus Latinis quidem Authori-  
bus inusitatus est.

29. Tu illuminas lucernam meam.  
Tu mihi lumen impertiris, quo  
fugienda a quærendis, & perse-  
quendis agnoscam.

30. In DEO meo transgrediar mu-  
rum. In virtute DEI murum ho-  
stilem transcendam omnibus supe-  
ratis difficultatibus. Tropologice  
tenebra sunt peccata: murus longa  
peccandi consuetudo.

31. Elogia Domini igne examina-  
ta, pura, munda, sicut metalla in  
fornace probata.

33. Posuit immaculatam viam me-  
am: Auferens a me maculam adul-  
terii cum Bersabee, & homicidii  
Urix; quæ maculae fuerunt purga-  
tæ per pœnitentiam.

34. Super excelsa statuens me. Sta-  
biliens me in dignitate Regia. Vt  
arcæ quantumcunque altas, præ-  
ruptas & munitas superare me fe-  
cit. Tropologice, excelsa virtu-  
tum, & perfectionis.

35. Pugnisti ut arcum æreum &c.  
Tantum robur brahiis meis in-  
didisti, ut arcus ferreus videren-  
tur.

36. *Disciplina tua ipsa me docebit. Tribulatio & vexatio a DEO infesta dat intellectum.*

41. *Inimicos meos dedisti mihi dorsum. Fecisti, ut fugientes mihi terga verterent.*

44. *Eripies me de contradictionibus, de obloquiis, obmurmurationibus, seditionibus, & rebellionibus subditorum.*

45. *Populus quem non cognovi notitia approbationis propter eorum idololatriam. Servivit mihi, obediendo, & tributum reddendo.*

46. *Filiī alieni mentiti sunt mibi. Israēlitæ, populus ille infidelis, & inconstans, quem jure a me alie-*

*num appellare possum, juramenti sui fidem fregerunt, securi contra me rebellem filium. Inveterati sunt, senuerunt in pravitatibus suis.*

47. *Vivit Dominus. Vivat Dominus; non est enim formula jurantis hoc loco.*

48. *Qui das vindictas mibi. Ulciscendi potestatem: si velim.*

51. *Magnificans salutes Regis ejus. Magnam salutem, & multiplicem prosperitatem afferens mihi, quem fecisti Regem, & Christum, seu unctum. Allegorice tamen hæc omnia vero Christo, Messia ac-  
commodanda sunt, qui gentes suæ fidei, & Ecclesiam subjecit.*

## PSALMUS XVIII.

**S**OI, & Cœli (allegorice Apostoli) prædicant gloriam DEI contra Atheos. Commendatur Divinæ Legis excellentia.

2. *Cœli enarrant gloriam DEI. Est Prosopopœia, non enim cœli ipsi enarrant, sed homines excitant ad narrandam DEI sapientiam, & potentiam.*

3. *Dies diei eructat verbum. De die in diem, de nocte in noctem Cœli suo aspectu, & motu tam ordinato loquuntur, & annunciant hominibus gloriam, potentiam, & sapientiam DEI.*

4. *Non sunt loquela, quorum non audiuntur voces eorum. Nulla est natio tam barbara, tam rudis, quæ non intelligat vocem cœlorum, Allegorice, Apostoli omnium*

gentium linguis loquebantur magna DEI.

6. *In sole posuit tabernaculum suum. Recentiores Interpretes fere tex-  
tum Hebraicum sequuntur: Soli posuit tabernaculum in cœli, nempe in  
cœlis, tanquam sponsus, decorus, &  
splendidus. Hæc utique ad Chri-  
stum optime referuntur, Exulta-  
vit ut gigas, DEI potentiam an-  
nunciaturus, egredietur ad cur-  
rendum per universæ vitæ suæ  
spatium sine quiete. August. Na-  
tus est, crevit, docuit, passus est, re-  
surrexit, ascendit, cucurrit, non ha-  
bit in via.*

7. Et occursus ejus usque ad summum ejus. Ad orientem, unde egressus est: nec est, qui calorem ejus non sentiat.

8. Lex Domini immaculata, non concedens aliquid immundum ut licitum. Testimonium Domini fidele. Lex DEI verax non promittens vana, & falsa.

*Sapientiam praestans parvulis.* Parvulus in dupli sensu in Scriptura intelligitur, vel enim simpli-  
cem significat, rudem, & sine in-  
genio, vel insipientem, fatuum,

impium. Hic utrumque sensum sequi licet.

10. Timor Domini (filialis, non servilis) Sanctus permanens in sac-  
lum saeculi, quoad fructum suum;  
nam durat in celo, & hominem hinc migrantem sequitur.

13. Delicta quis intelligit? Quis potest cognoscere peccata, in qua ex fragilitate in dies labimur?

14. Si mei fuerint dominati. Mei genitivus est, homines perversi,  
& seductores, qui alienos mores habent. Emundabor a delicto ma-  
ximo, a mortifero peccato.

## PSALMUS XIX.

**P**la populi vota pro salute & victoria Regis sui David ad bellum proficiscentis. Allegorice pro victoria Christi, & Christianorum contra Sathanam.

2. Protegat te nomen DEI Jacob q. d. DEUS, qui olim Patriarcham Jacobum exaudivit, & a tot periculis liberavit, etiam te nunc protegat.

4. Holocaustum tuum pingue fiat. Sit gratum, & acceptum DEO.

5. Secundum cor tuum. Ad vo-  
tum tuum.

6. Magnificabimus, Heb. & Chald. vexillum erigemus, seu triumpha-  
bimus.

7. In potentibus salus dextera  
eius. Potentia, & robore Divino  
firmetur salus Regis.

9. Ipsi obligati sunt. Hebr. incus-  
vati sunt, Succubuerunt. Morali-  
ter potest hic Psalmus exponi, ut  
sit oratio Ecclesie pro exercitu  
procedente ad bellum contra ini-  
micos fidei, vel justitia pro defen-  
sione regni.

## PSALMUS XX.

**D**AVIDI PARTA VICTORIA REDEUNTI GRATULATUR POPULUS: ALLEGORI-  
CE ECCLESIA CHRISTO: ANAGOGICE ANIMÆ VITTRICI CÆLUM SUBEUNTI.

3. Voluntate laborum ejus non frau-  
dasti cum. Voto, & desiderio, quod

labiis, orando, expressit.

4. Prævenisti cum. Ultero, gra-  
tui-

mito, ante, & supra omne meritum, liberalissime ornasti eum benedictionibus dulcedinis, beneficiis copiosissimis.

7. Læticabis eum in gaudio cum vultu tuo, contemplatione, & fruitione benigni, sereni, & gloriosi vultus tui.

8. Non commovebitur. Bona, quæ DEUS illi tribuet, stabilia erunt, eique a nemine eripi poterunt.

9. Inveniatur manus tua In Hebreo: Inveniat manus tua omnes inimicos tuos, apprehendar, & puniat.

10. Pones eos ut cibam ignis. Perdes eos ut ligna aut sarmenta,

& stipulas, quæ in ardentem fornacem injiciuntur. In tempore vulnus tui irati.

11. Fructum eorum Eccl. Bona temporalia ab eis auferes, & semen eorum a filii hominum, & posteros a societate Sanctorum.

12. Quoniam declinaverunt in malam. Imposuerunt tibi, tuisque falsas calumnias.

13. Ponas eos dorsum, in fugam eos convertes.

In reliquis tuis præparabis vultum eorum. Residuos ex eis destrues, in eos præparabis iram tuam.

## PSALMUS XXI.

**T**OOTS Christo accommodatur (ut patet ex ipsis verbis; Et ante bis mille annos fassi sunt Hebrei) Patrem in cruce oranti pro susceptione matutina, id est pro festino auxilio, quod consecutus est ipso resurrectionis mane.

2. Quare me dereliquisti? Hebr. Lamalibhazithani. Sed Christus in cruce Syriace dixit, Lama Sabathani, quod est: ut quid dereliquisti me? Quæ verba non sunt expostulantis, sed doloris magnitudinem declarantis. Verba delictorum, id est delicta, meorum subditorum quæ ego in me expianda suscepī longe a salute mea; impediunt, ne gaudeam optato solatio, & salute.

3. Clamabo per diem, & non exaudiens: Et nocte, & non ad insipientiam mihi. Videtur respicere du-

plicem Christi orationem, alteram de nocte habitam in horto, alteram die in cruce. Hoc tamen (ait Christus) ad insipientiam mihi non imputabitur, quia licet sciam me non exaudiendum, ut mortem temporalem evadam: tamen prudenter clamo, quia scio me exaudiendum quoad id, quod præcipue specto, humanam scil. redemptionem, & resurrectionem meam ad vitam immortalem.

7. Ego autem sum vermis, & non homo. Instar vilissimi vermiculi despctus, abjectus, & proculatus.

*Ee non homo. Hebraismus est, propterius quam homo.*

8. *Locuti sunt labii, me vituperando, & blasphemando. Et moverunt caput, ut falsum Prophetam me notando.*

10. *Extraxisti me de ventre. Illæsa Matris virginitate ex ejus ute-ro me eduxisti. DEUM alloqui-tur ut homo.*

11. *In te projectus sum, in tuam tutelam, & fidem.*

12. *Tribulatio, mors imminens proxima est.*

13. *Circumdederunt me vituli mul-ti. Sic ob petulantiam vocat Ju-dæos, & milites Romanos, sicut eosdem ob impudentiam, & lasci-va convitia vocat canes: ob feri-tatem tauros, leones, unicornes.*

15. *Sicut aqua effusus sum. Omnes vires mei sanguinis, spiritus vita-les, & animales quasi aqua humili-profusa diffluxerunt.*

*Cor meum tanquam cera liquecens. Nam & cor dissolvi dicitur, & tabescere, cum timemus.*

16. *Aruit tanquam testa virtus mea. Tanquam vas fistic igne fornacis arefactum, & duratum.*

*In pulverem mortis. Non quod Christi corpus solutum sit in pul-VEREM, sed quod traditum sit se-pulchro.*

17. *Foderunt manus meas, clavis in cruce perforando; quæ ita Christo convenient, ut nulli alteri applicari possint. Hunc locum tam aperte sibi contrarium ferre non volentes Judæi, textum*

*vitiarunt, & pro federunt Hebr. קָרְבָּן Caaru, hodie in exemplari-bus suis legunt קָרְבָּן Caari quod significat: quasi Leo. Tam violenta autem est hæc fraus, ut Leo hic nullum sensum faciat.*

*Dinumeraverunt omnia ossa mea. Extenderunt me super crucem, & luxaverunt omnia ossa mea, ita ut dinumerari potuerint.*

19. *Super vestem meam miserunt sortem. Super vestem interiorem, tunicam inconsutilem, opere reticulato elaboratam. Hæc Propheta ad literam in Christo impleta est. Hi milites figura fuerunt Ha-reticorum: Volunt Hæretici scindere Ecclesiam, sed non possunt.*

21. *Et de manu canis unicum meam. Animam derelictam, & afflictam de vi, & nequitia Judæorum. In sensu mystico petit Ecclesiam liberaari a dæmonis, & impiorum persecutione.*

22. *A carnibus unicornium, magis exaggerat carnificum rabiem; nam unicornes ipsis tauris ferociores sunt.*

*Humilitatem meam, afflictionem, & miseriam.*

23. *Narrabo fratribus meis. Apo-stolis, quos Matth. 28. fratres vocat.*

26. *Apud te lans mea, seu coram te, & de te, non in parva Syna-goga Judæorum: in Ecclesia magna Catholica omnium nationum, & locorum. Usque ad finem Psal-mi de his agit. Unde sequitur: Vota mea reddam, q. d. non ero tibi in-*

ingratus, sed sacrificium laudis, quod ab initio vovi, reddam tibi in eternum, ac praे omnibus sacrificium corporis & sanguinis mei in Eucharistia. Ex quo edent pauperes, & saturabuntur, & vivent corda, seu animæ corum in seculum seculi, juxta illud Joan. 6. qui manducat hunc panem vivet in aeternum.

28. Reminiscentur Iudei, & Christiani meæ passionis, & amoris, & beneficiorum.

30. Omnes pingues terra. Non

tantum pauperes, sed & potentes, & nobiles adorabunt. Caudens supplices DEO, & Christo, nam ipsi flectitur omne genu. Omnes qui descendunt in terram, mortales omnes, qui in terram resolvuntur.

31. Semen meum. Fideles mei, qui me Patrem agnoscunt.

32. Populo - - quem fecit Dominus. Quem DEUS regeneravit per fidem, & Sacra menta, & ita suum fecit.

## PSALMUS XXII.

**G**ratiarum actio est: Nam David, & Synagoga; mystice Ecclesia, & fidelis anima celebrat beneficia Christi.

1. Dominus regit me. Verba sunt confidentis in DEI providentia; nullius indigebo, cum sit ipse pastor meus.

2. In loco pascuae Hebr. in loco virente. In Ecclesia sua, quæ optima, & semper virentia habet pascua scripturarum, & Sacramentorum. Super aquam refectionis, lassum, & siti entem recreat. Hæc aqua est gratia cœlestis; alii de aqua baptissimi intelligunt.

3. Animam meam convertit, quasi errantem ovem reduxit.

4. In media umbræ mortis. In locis periculosis, in quibus ante oculos est discriminus mortis. Virga tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt. Perstat in allegoria pa-

storali: in virga, & baculo directio DEI in via, & castigatio aberrantium innuitur. DEUS tuetur suos cum virga, & correctione paterna, cum baculo, quo sustentat infirmiores.

5. Parasti in conspectu meo mensam. Magnis temptationibus magnas consolationes opponendo. Ex Chrysost. mensam corporis, & sanguinis. Adversus eos: Dæmones, libidines, tyrannos. Impinguasti in oleo. Solebant Iudei capita conviviarum intungere. S. Chrysost. de oleo chrysomatis interpretatur.

Galix meus inebrians, i. e. exhilarans: copia bonorum maxime spiritualium, quæ DEUS electis suis propinat.

PSAL.

## PSALMUS XXIII.

**A**D literam forte hic Psalmus cantatus est in translatione Ar-  
cæ ex domo Obededom in Montem Sion 2. Reg. 5. Mystice  
David celebrat ascensionem Christi, qua natura humana in Cœ-  
lum translata est.

1. *Plenitudo ejus.* Terra plena,  
germina, plantæ, pecudes, & ho-  
mines.

2. *Super maria fundavit eum.* i. e.  
juxta; nam interdum hæc pro-  
positio super sumitur pro juxta; adeo  
ut terra & aqua uniuersi constituant  
globum terraqueum.

4. *Innocens manibus.* Manus pro  
operibus; qui sancta facit opera.  
*Non accepit in vano animam suam.*  
Qui non peccaverit, aut neglecto  
fine creationis suæ totum vanis, &  
terrenis rebus impendit.

7. *Attollite portas Principes vestras!*  
Principes Ierosolymitani, vel po-

tius vos ò! Angeli attollite portas  
ab æterno haec tenus clausas homi-  
nibus. Describit vero hæc Psalmista  
humano dialogistico more.  
Neque enim Christus aperuit,  
sed penetravit cœlos. Neque  
ignorabant Angeli, quis esset iste Rex  
gloriae? nempe Christus, potens in  
prælio. Ut pote qui summam in bel-  
lo difficillimo potentiam exeruit,  
devincendo mundum, peccatum,  
dæmones.

10. *Dominus virtutum.* Hebr.  
תְּבָאֹת Tzebaoth Exercituum, An-  
gelorum, hominum, & omnium  
creatrarum, quæ DEO mili-  
tant.

## PSALMUS XXIV.

**D**avid regat, ut ab inimicis, peccatis, & periculis cum suo  
populo liberetur: Christus in persona nostra, & Ecclesiæ  
idem obsecrat.

1. *Ad te Domine levavi animam  
meam.* Ad orandum; nam oratio  
est mentis in DEUM elevatio.

3. *Qui sustinent te.* Qui patien-  
ter sperant in te, non confundentur,  
non erubescunt, quasi repulsam  
in oratione passi.

4. *Confundantur omnes iniqua-  
gentes supervacue.* Injuste, temere,  
& sine causa me, aut alios perse-  
quentes.

5. *Dirige me in veritate tuo.* In  
vera doctrina, & lege recta; non  
sinas me abire secundum vanas  
& fallaces concupiscentias meas.

7. *De-*

7. Delicta juventutis meæ. Ubi passiones magis dominantur, & ignorantias meas, peccata ex ignorantia cum aliqua tamen mea culpa commissa, ne memineris ad puniendum illa.

8. Legem dabit delinquentibus in via. Viam rectam indicabit, per quam delinquentes, hoc est pecantes ad iter rectum redeant.

10. Universæ via Domini misericordia & veritas. Ex omnibus ejus

operibus misericordia & veritas eluet.

11. Propter nomen tuum, ad nominis tui gloriam, propitiaberis peccato meo remittendo illud; multum est enim, excedens facultatem virtutis meæ ad satisfaciendum.

15. Oculi mei semper ad Dominum, Spes mea: nam ad eum oculos convertimus, a quo auxilium expectamus.

*De laqueo, de insidiis inimicorum.*

## PSALMUS XXV.

*In*vocat DEUM suæ innocentiae testem.

1. Judica me. Esto Judex in causa mea, quid enim timeam? semper in innocentia mea ingressus sum. Innocenter, & inculpate conversatus sum.

2. Proba me Domine, & tenta me, metaphora ab argentariis sumpta est, qui metalla igne explorant. Ure renes meos. Intimos affectus meos purga, etiam igne tribulacionis, si tibi bonum videtur.

5. Odivi Ecclesiam malignantium, cœtum impiorum.

6. Lavabo inter innocentes manus meas. Mos erat Judæis lavare manus in testimonium innocentiae.

Circundabo altare tuum, in piorum consortio frequentes tibi offeram hostias. Et audiam vocem laudis. Symphoniam Levitarum, laudes DEI canentium.

10. Dextera corum repleta est munieribus. Notantur judices, vel testes perversi munieribus corrupti.

12. Pes meus stetit in directo. Hebr. Græce, & Chald. in rectitudine i. e. in via recta justitiae.

## PSALMUS XXVI.

**D**Ocet in maximis periculis maxime fidendum DEO, & anhelandum ad vitam æternam.

1. Psalmus David priusquam liniretur.

2. Dum appropiant super me, invadunt me, nocentes, scelesti, impi.

pii. Ut edant carnes meas, ut appetant, & consumant me.

4. Unam petui a Domino. Pro unum. Hebrei non habent genus neutrum, sed pro illo utuntur fœminino. Alii subintelligunt: unam petitionem. Ut inhabitem in domo Domini: i. e. in Jerosolymis, ubi erat domus Domini (longe enim tum David aberat) Allegorice in Ecclesia, anagogice in cœlo.

5. Quoniam abscondit me in tabernaculo suo. Sic me tutatus est, ac si in tabernaculi sui intima receperisset.

6. In Petra exaltavit me, collocabit me in editiore loco, velut in arce quadam inexpugnabili. Circuivi: circum altare steti, immolavi Sacerdotum ministerio, in tabernaculo ejus. Ante tabernaculum: nam altare holocaustorum non

erat intra tabernaculum. Hostiam vociferationis Chald. & Hieron. hostiam jubili, seu cum jubilatione, musica videlicet & concentu solemni.

8. Tibi dixit cor meum; quia non solum orabat voce, sed etiam mente. Exquisivit te facies mea, corporis exterior, & facies mentis interior. Faciem tuam, gratiam tuam requiram.

12. Ne tradideris me in animas. In voluntates, & potestatem inimicorum. Anima non raro ponitur pro desiderio, cupiditate, & libidine.

Mentita est iniquitas sibi, in damnum, & dedecus suum, se ipsam implicans, ex quo mendacium deprehensum est.

13. Credo videre bona: spero me felici statui restituendum.

## PSALMUS XXVII.

O Rat, ne innocens cum nocentibus perdatur. Et exauditus gratias agit.

1. Ne fileas a me, i. e. mibi pharsi Hebraica, præpositio a pro dativo. Assimilabor descendantibus in lacum; nisi adjuves me, similis ero descendantibus in sepulchrum.


2. Dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum. Cum David fugeret Absolon, stetit in monte Oliveti, & conversus est ad DEI tabernaculum more Judæorum.

3. Ne simul trahas me, ne trahi

me permittas in idem exitium cum peccatoribus.

5. In opera. Hebraismus, in redundat. Ergo, opera manuum ejus, repete, non intellexerunt impii, nempe non expenderunt opera Divinæ potentiaz, quæ pro justis tueris operari solet. Hinc desfrues illos, & non edificabis, sine ulla restorationis spe, perdes eos in æternum.

7. Et



7. *Et resploruit caro mea.* Tanta fuit animi mei lætitia, cum a tantis periculis me liberatum vidi, ut etiam in corpus redundarit. Videtur David hoc loco ad resurrectionem Christi respexisse.

8. *Protector salvationum Christi.* Multiplicator salutis, dum scilicet a multis periculis, & malis eruitur populus, & ipse David. *Christi sui*, Davidis undi sui, vel Christi D. N.

## PSALMUS XXVIII.

**O**Mnes excitat ad victimas, & laudes DEO offerendas. Describit tempestatem.

1. *Psalmus David in consummatione tabernaculi.* Decantatus est hic Psalmus cum perfectum esset tabernaculum a David in monte Sion exstructum, ut in eo arca reponeretur. *Filiī DEI*, Israëlitæ populi fideles.

2. *In atrio sancto ejus.* Intelligit atria subdialia, ad quæ omnes admittebantur; nam in tabernaculum ipsum soli Sacerdotes ingrediebantur.

3. *Vox Domini.* Sic Hebræi vocant tonitru, super aquas multas. Super maria fulmina maxime concurtiuntur, & fulmine quasi fundividetur usque ad abyssum. Allegorice vox Domini est prædictatio Evangelii, quæ instar fulminis, & tonitru totum orbem commovit, & illustravit.

5. *Vox Domini confringentis cedros,* altissimas arbores, quæ in Libano præ aliis commendantur. Moraliter confringi dicuntur Principes populi.

6. *Et communiqueret eas*, Hebr. & Chald. exilire faciet e loco suo: puta

per terræmotum, vel turbinem, qui sèpe comitantur tonitrua.

*Tanquam vitulum Libani*, tanta facilitate, ac si essent molles, & tenelli vituli in Libano pascentes.

*Et dilectus.* Subaudiendum: tunc apparebit, q. d. evulsis, & communis cedris exilient, & apparebunt undique dilecti hinnuli capreæ, & alii pulli gratiost instar pullorum monocerotis, seu unicornis. Sic enim infra dicit revealatum in condensa silvarum. Allegorice: Post confracta idola, & factum saceruli per vim tonitru Evangelici, Christus toti mundo innotuit, delicia Patris, & Orbis; instar monocerotis ( quod animal a manu Virginea polita ferocia tractari se finit ) sinu virginis exceptus cornu suo fortissimo ac medicinali ( puta crucem ) vene na omnia scelerum, & pravorum dogmatum dispellens. Vide Athanas. & Theodoret.

7. *Vox Domini intercedentis flammam ignis.* Poëticæ haec locutiones innuunt: tonitru de nubibus fulmen,

men, & fulgura emittere, eaque  
in plures flammæ, ceu tela, quæ  
in ære evanescunt, dividere.

8. *Et commovebit Dominus deser-  
tum Cadas.* Vi fulminis, aut terræ  
motu. *Cades,* vasta est, & horri-  
da solitudo Saracenorum in Ara-  
bia, in cuius parte una *Pharan,*  
& *Sin* peregrinati sunt Israëlitæ  
cum Moysi Numin. 13.

9. *Vox Domini præparantis cervos,*  
nempe ad pariendum. Unde Chal-

dæus: *parturire* facit Hieron. *obstet-  
ricans*, cum enim cervæ difficil-  
me pariant, terrore fulminis na-  
turæ vasis dilatatis facilius fœtum  
enituntur.

10. *Dominus diluvium inabitare*  
facit: seu inundare terram, cum  
post tempestates imbres fundun-  
tur. *Et sedebit Dominus Rex.* His  
omnibus portentosis effectibus  
præsidet DEUS, quasi Rex, omnia  
imperans, & præscribens.

## PSALMUS XXIX.

**G**ratiarum actiones David post grave periculum, & prored-  
ita sibi sanitate.

2. *Nec delectasti inimicos meos.* Scil.  
Achitophel, & Absolon, qui indu-  
cebant populum ad persequen-  
dum Davidem. Non fuerunt de-  
lecati, quia Achitophel se suspen-  
dit, & Absolon in bello interit.

4. *Eduxisti ab inferno animam me-  
am.* Præpedivisti, ne descende-  
rem in infernum, seu Limbum,  
neque in lacum. Chaldæus: *in locum*  
*sepulchri*, q. d. impedivisti, ne mo-  
rerer.

5. *Confitemini memorie sanctitatis*  
*eius.* Laudibus celebrate benefi-  
cia, quæ in Sanctos (fideles suos)  
contulit.

6. *Ira in indignatione ejus.* Ira  
brevis est, indignatio gravior, &  
diuturnior; unde sensus hujus lo-  
ci est: DEUS tam cito placatur,  
ut non tam indignari, quam irasci  
videatur. *Vita in voluntate ejus.* Sa-

lus in favore, & benevolentia ejus.

*Ad vesperum demorabitur fletus.*  
Tam cito ex parte sua desinit DE-  
US irasci, ut si quis vespere ob-  
mala quibus premitur fletu dis-  
fluat, mane, mutato statu latissi-  
mus, ac felicissimus exurgat. Al-  
legorice Apostoli vespere flebant  
Christum mortuum, mane lœtati  
sunt, cum resurrexit. Anagogice,  
qui ad vesperam hujus vitæ flent,  
in mane futuræ vitæ gaudebunt.

7. *Non movebor, non decidam*  
de felicitate mea.

8. *In voluntate tua præstiti* deco-  
ri meo virtutem. Pro tuo benepla-  
cito, sine meis meritis, gloriæ  
meæ firmitatem præstisti.

10. *Quæ utilitas in sanguine meo?*  
Quid proderit effusio sanguinis  
mei, seu mors mea,

12. *Concidisti saccum meum. Sol-*  
*visti cilicum, vestem lugubrem*  
*qua me ut poenitens indueram.*

13. *Cantet tibi gloria mea. Laudet*

*te gloriosum regnum meum. Et*  
*non compungar: dolore aut tristitia*  
*a tua laude non amplius præpe-*  
*ditar.*

## PSALMUS XXX.

**I**mplorat DEI opem, & impetrat.

1. *In finem Psalmus David pro-*  
*extasi: Dum versaretur in vehe-*  
*menti angustia, & pavore ab ho-*  
*stibus incusso. Tunc enim can-*  
*tatur hic Psalmus.*

4. *Deduces me, per talem viam,*  
*qua Saul, & alii inimici mei non*  
*prehendant me, & enutries me,*  
*præbendo victui necessaria etiam*  
*in locis desertis.*

5. *Educes me de laqueo hoc, de*  
*occultis Ziphæorum insidiis, quas*  
*faciebant Davidi in favorem Sau-*  
*lis.*

6. *Redemisti me saepe de manibus*  
*hostium. DEUS veritatis, fidelis, &*  
*verax in tuis promissis.*

7. *Odissti observantes vanitates. Su-*  
*persticioſas observationes, in qui-*  
*bus nonnulli spem suam collocant.*  
*Vel intelliguntur idola, quæ sub*  
*nomine vanitatis non raro in Scrip-*  
*ptura veniunt. Supervacue, ina-*  
*niter, sine fructu.*

10. *Conturbatus est in ira oculus*  
*meus. Quia passio iræ maxime ap-*  
*paret in facie, & oculis. Et ven-*  
*ter meus, omnia interiora mea con-*  
*turbata sunt.*

11. *Infirmata est in paupertate vir-*

*tus mea. In calamitate defecit vi-*  
*gor animi, & corporis.*

12. *Timor notis meis. Amici, &*  
*noti mihi adesse timent, ne pro-*  
*ppter me periclitentur.*

13. *Factus sum tanquam vas per-*  
*ditum, de quo nullus sperat recu-*  
*perationem. A corde junge: obli-*  
*zioni datus sum; omnes in corde*  
*obliti sunt mei, ac si jam mortuus*  
*essem.*

14. *Confiliati sunt, unanimi con-*  
*silio statuerunt, accipere animam me-*  
*am, vitam mihi eripere.*

15. *In manibus tuis. In tua po-*  
*testate, providentia, & benepla-*  
*cito, fortes meæ, casus mei, even-*  
*tus, & rerum mearum status.*

21. *In abscondito. In intimo cu-*  
*biculo, seu, conclavi, faciei tua,*  
*Personæ tuae. Nam Hebræi quan-*  
*do viros honoratos alloquuntur,*  
*vel eorum meminerunt, utuntur*  
*vocabulo: Faciei tua, vultus tui,*  
*anima tua, sicut nos: Excellentia,*  
*Celitudinis, Majestatis, Reverentia.*

22. *Mirificavit misericordiam. Mi-*  
*ra usus est misericordia erga me.*  
*In civitate munita. In Ceila, in qua*  
*credidit eum Saul capere, eo, quod*  
*esset Civitas fortis, & munita.*

23. *In excessu mentis mea.* Hebr. *in trepidatione,* seu animi consternatione tot malis obruti, & quasi extra se positi in tribulatione.

24. *Veritatem requiret Dominus.* justitiam, & opera sancta ad remunerandum: sicut mala requiret ad ulciscendum.

## PSALMUS XXXI.

**D**avid admonitus de peccato suo a Nathan, agnoscit se peccatorem, & veniam non suis viribus, sed DEI gratiae ascribendam.

1. *Ipsi David intellectus.* Ubi hic titulus occurrit, altius quiddam insinuat.

*Quorum recta sunt peccata.* Ita videlicet ut penitus remissa, & per succedentem gratiam justificantem plene abolita, & sublata sint, quod enim quocunque modo adhuc existit coram oculis DEI rectum esse dici non potest.

2. *Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum,* scil. neque ad culpam, neque ad poenam, quia totum remisit, & destruxit. Commentum hereticorum de non imputatione peccatorum, quamvis animæ adhuc insint, propter justitiam Christi imputativam, vanius est, quam ut argumentis probari debeat. Impossibile enim est, ut peccatum in anima sit, & a DEO non imputetur, qui res omnes cognoscere, & estimare debet, prout sunt in se.

3. *Quoniam tacui, scelus meum abscondendo.* Inveteraverunt ossa mea. Vires animæ, quæ per osa designantur, in quibus consistit robur corporis. *Dum clamarem to-*

*ta die in genitu meo,* quem, esto peccatum per confessionem detergere erubescerem, de peccato tamen, inquietaque conscientia mea singulis diebus intra me edebam.

4. *Conversus sum in arunna mea.* Ad te DEUS in multiplicata miseria (novem enim mensibus in peccato permanserat, quo tempore variis afflictionibus a DEO castigabatur) accedente præsertim aculeata monitione Nathan Prophetæ.

5. *Et tu remisisti &c.* Cum primum me vidisti peccatum detestari, & de illo admisso dolere, culpam statim condonasti.

6. *Pro hac:* i. e. propter hoc. Hebrei enim utuntur feminino pro neutro, quo carent. *Orabit ad te omnis Sanctus.* Quilibet de populo meo sancto. *In tempore opportuno,* dum poenitenti adhuc locus est poenitentia, & venia. *Verum tenet in diluvio aquarum multiarum.* Metaphora est: inter innumeras calamitates a te immisssas, ad eum (dejiciendum) non approximabunt. Sed

Sed puriorem reddent, & messem  
meritorum augebunt.

8. *Intellectum tibi dabo, quo pe-*  
*ricula, in quibus versaberis, pe-*  
*nitus cognoscas.*

9. *Nolite fieri sicut equus, & mu-*  
*lus.* Sermonem convertit David ad  
peccatores: Nolite sequi pecui-  
num appetitum vestrum violando

jura alieni thori, aut innocentem  
sanguinem fundendo, ut ego feci.

*In chamo, & freno, funem aut lo-*  
*rum, seu capistrum significat, quo*  
*ligantur feroce equi; qua meta-*  
*phora significantur ærumnæ, qui-*  
*bis DEUS utitur ad coercendos*  
*homines a peccato.*

## PSALMUS XXXII.

**J**ustos ad celebrandas laudes DEI adhortatur.

3. *Cantate ei canticum novum. Ob*  
*nova, & recentia, quæ in nos*  
*semper confert, beneficia.*

4. *Omnia opera ejus in fide. Pro-*  
*missa sua implet fideliter. August.*  
*reneamus fidelissimum debitorem; quia*  
*renemus misericordissimum promisso-*  
*rem.*

5. *Diligit misericordiam, & judi-*  
*cium: illam piis impertiendo: ju-*  
*dicum, impios puniendo, judican-*  
*do quemque secundum opera sua.*  
*Omnipotens est DEUS, nec in mis-*  
*ericordia amittit iudicium, nec in ju-*  
*dicio misericordiam.* August.

6. *Verbo Domini, jussu, & præ-*  
*cepto Domini. Idem est quod se-*  
*quitur: Spiritu oris ejus. Insinua-*  
*tur tamen mysterium SS. Trini-*  
*tatis; cum Verbum, & Spiritus,*  
*de verbo æternæ, & Spiritu S.*

cum multis Patribus possit expli-  
cari. *Omnis virtus eorum. Vis,*  
*potentia, ornatus, & decor, an-*  
*gelorum, stellarumque exercitus.*

7. *Congregans sicut in utre aquas*  
*maris, facili, & pene nullo nego-*  
*tio, sicut homo congregaret in*  
*utre quemcunque liquorem. Po-*  
*nens in thesauris abyssos, certo loco*  
*servans magnam aquarum copiam,*  
*ut ex iis suo tempore educat plu-*  
*vias, fontes, fluvios.*

12. *Populus quem elegit. Beatus*  
*ille populus, quem Dominus sibi*  
*elegit in populum peculiarem,*  
*& quasi propriam hæreditatem, &*  
*possessionem.*

17. *Fallax equus ad salutem. Fal-*  
*lax est spes in potentia humana,*  
*& equitatù multo reposita,*  
*ut patet in Pharaone Exod. 15.*

PSAL-

## PSALMUS XXXIII.

**I**N hoc Alphabetico Psalmo David, allegorice Christus se, aliosque omnes excitat ad DEUM rite colendum.

3. In Domino laudabitur anima mea. Hebraismus: laudabit se, & gloriabitur, sed in Domino.

Audiant mansueti, Humiles, & timentes DEUM, quid mihi acciderit, & latentur, DEOque benedicant.

4. In idipsum, pariter, simul, omnes.

5. Accedite, & illuminamini. Imperativus pro futuro illuminabimini. E tenebris calamitatum, & ignorantiae liberabimini.

7. Iste pauper &c. loquitur David de se in tertia persona. Et Dominus exaudivit eum. Liberando a Philistaeis.

8. Immitet Angelus Domini in circuitu. Graece παρεύθετι, i. e. circumstabitur. Proteget undequaque timentes Dominum.

9. Gustate, & videte. August. Aperte modo de ipso Sacramento vult dicere, quod serebatur in manibus suis. Quomodo iste poterit nobis dare carnem

suam ad manducandum? si ignoras, gusta & vide, quam suavis est Dominus.

11. Divites (hujus saeculi) egerrunt. At vero pii non minuentur omni bono. Hebraismus est, pro nullo bono carebunt; quia abundant bonis spiritualibus.

13. Quis est homo, qui vult vitam beatam, in qua nullus moritur.

17. Vultus autem Domini iratus, nam in hoc nota indignationis legi possunt.

12. Custodit Dominus omnia offa sorum. Synceduche, omnia membra. Unum ex his non conteretur. Nullum peribit, aut confractum manebit: nam DEO adjuvante ita custodientur, ut in resurrectione singulis reddantur glorioſa.

23. Non delinquent omnes, quisperant in eo, scil. finaliter, non excident a sua spe, sed illam consequentur.

## PSALMUS XXXIV.

**O** Ratio Davidis, cum fugeret Saulem. Allegorice ad Christum, & Ecclesiam refertur. Tropologice ad viros justos in persecuzione.

1. Judica (puni) Domine nocens me. Phrasis Graeca pro mihi.

Ultionem DEO permittit, ipse a vindicta purus.

3. *Effunde frameam Hieron. eva-  
ina gladium. Concluse, occupa ex  
adverso me persequentes, inter-  
clude eis viam.*

5. *Angelus Domini coarctans eos.  
Impellens, & urgens ex adverso,  
ut cadant.*

6. *Fiat via eorum tenebra, & lu-  
bricum. August. tenebrae, est ignoran-  
tia, lubricum luxuria.*

7. *Absconderunt mihi interitum la-  
quei sui. Saul, & complices ejus  
ponebant insidias occultas contra  
David. Supervacue, immerito.*

11. *Quae ignorabam, interrogabant  
me. Quorum minime mihi con-  
scius eram, objiciebant mihi in  
judicio.*

13. *Retribuebant - - sterilitatem  
anima mea. Interficere me vole-  
bant. Vel ut habent 70. filiorum  
orbitatem. q. d. orbarunt me filiis,  
amicis, famulis, omni solatio. Al-  
legor. de Christo intelligi potest,  
cum a discipulis esset desertus.  
*Ei oratio mea in sinu meo converetur.*  
Quia ob illorum malitiam nihil  
ipsis profuit, in meam utilitatem  
converretur.*

14. *Quasi proximum - - sic com-  
placibam. Ac si socius, & frater  
meus fuisset, sic me placide gessi  
erga inimicum meum.*

15. *Congregata sunt super me fla-  
gella. Plane hæc Christo conve-  
niunt, qui flagelis cæsus est. Et  
ignoravi, quam ob causam adeo in  
me sàvirent.*

16. *Dissipati sunt. Non convenit*

inter illos, nec inter eorum testi-  
monia contra me allata. *Nec com-  
puncti sunt corde, ut a malitia sua  
desisterent.*

19. *Non supergaudent mibi. Non  
insultent mihi tanquam victores,  
de malis meis gaudentes.*

*Annuunt oculis, fingunt amici-  
tiam, oculis blande, & amice sa-  
lutantes.*

20. *In iracundia terra. Metony-  
mia: continens pro contento:  
quando homines sunt in jurgiis,  
in bellis. Hebraice enim est in  
commotionibus, seu seditionibus.*

21. *Euge, euge: Græca vox, idem  
significat, quod bene, bene. Bene  
res procedit, procul dubio cum  
perdemus. Viderunt oculi nostri exi-  
tium Davidis, allegorice Christi,*

24. *Judica me secundum justitiam  
meam. Quæritur, quomodo idem  
Propheta alibi dicat: non intres in  
judicium cum servo tuo. Psal. 142.  
Resp. in primo textu petit David  
judicium inter se, & inimicos suos,  
homines: in altero autem timet,  
& deprecatur judicium, quod est  
inter DEUM, & ipsum, ut pecca-  
torem, in quo necesse est homi-  
nem causa cadere, nisi DEUS mi-  
sericordia justitiam temperet.*

26. *Qui magna loquuntur. Qui  
magno fastu se attollunt contra me.*

28. *Lingua mea meditabitur justi-  
tiam tuam. Exercebitur in ea lau-  
danda, & prædicanda: Tota die,  
quotidie.*

# PSALMUS XXXV.

**D**EI misericordiam, & multorum impietatem describit.

2. *Dixit iniquitus ut delinquat in semetipso:* Apud se statuit peccare, nihilque aliud cogitat, quam sensibus, & carni indulgere.

3. *Ut inveniatur; seu palam deprehendatur, iniquitas ejus ad odium,* i. e. odiosa, & execranda.

9. *Adstitit omni via non bona.* Paratus erat omni malo acquiescere, & sceleratis socium se præbere.

6. *In cælo misericordia tua.* Immensa est, & usque ad cælum porrigitur, & veritas tua usque ad nubes, maxima est, ut ad ipsas usque nubes perveniat.

7. *Justitia tua sicut montes DEI.* i. e. montes altissimi, ita justitia tua transcendent omnem captum.

*Homines, & jumenta salvabis Do-*

*mine, Salute corporali, dans escam omni carni. Allegorice: ex bel- luinis hominibus facies Angelos.*

9. *Inebriabuntur ab ubertate.* Saturabuntur, & toti hilarescent ex affluentia bonorum *Domus tua ce- lestis.*

10. *In lumine tuo videbimus lu- men.* Lumine gloriae illustrati te videbimus, qui es verum, & inde- ficiens lumen,

12. *Non veniat mibi pes superbiae,* Pes superbi, & peccatoris ne ad me accedat, aut invadat.

13. *Ibi ceciderunt.* In superbia, nec potuerunt stare, in Hebræo est: *surgere, lapsus enim Angelorum est perpetuus, ita, ut nunquam erigantur.*

# PSALMUS XXXVI.

**D**AVID hortatur omnes, ne impiorum prosperitate, ut pote flu- xa offendantur. Christus Ecclesiam, & quamvis fidelem animam contra scandala præmunit.

1. *Noli amulari in malignantibus.* Noli imitari malos, aut eorum pro- speritate commoveri.

3. *Inhabita terram, pro inhabi- tabis.*

5. *Revela Domino viam tuam.* Comitte DEO statum rerum tua- rum sive prosperum, sive adver- sum.

6. *Educat quasi lumen justitiam tuam.* In apertum proferet justam causam tuam.

8. *Define ab ira, & derelinque fu- rorem.* Cum vidēris florentem im- piūm, ne irascaris, quasi divinam providentiam requirens, dum hæc permittit.

14. *Gladium evaginaverunt.* Me- ta-

taphoræ gladii, & arcus varias no-  
cendi artes significant, quibus  
peccatores armantur contra justos.

15. *Gladius eorum intret in corda  
ipsorum. In ipsorum perniciem  
convertetur; est Prophetica præ-  
dictio, sub forma imprecationis.*

17. *Quoniam bracia peccatorum,  
Potentia, & opes, ac omnia, in  
quibus fiduciam suam collocabunt.*

18. *Novit Dominus dies immacu-  
latorum. Nempe scientia approba-  
tionis.*

24. *Cum ceciderit. Si quid ad-  
versi acciderit, vel in aliquo pec-  
caverit, non collidetur. Non plane  
peribit, DEO illum adjuvante.*

25. *Non vidi. Scil. ego David,  
licet alii subinde viderint (nem-  
pe rarum est etiam nunc, & ma-  
gis in antiquo testamento) justum  
derelictum, nec scmen ejus, filios ejus,  
quærens panem, quem tandem non  
reperirent, i. e. fame périre.*

26. *Tota die, frequentissime, mi-*

*seretur, & commodat, liberalis, &  
munificus est.*

28. *Dominus amat judicium, ope-  
ra justitiae, quæ decalogo præ-  
cepta sunt.*

29. *Justi autem hereditabunt ter-  
ram scil. viventium.*

31. *Non supplantabuntur gressus ejus,  
sed firmi erunt, & stabiles in bo-  
no.*

33. *Cum judicabitur illi. Ab illo,  
impio; non sinet DEUS justum  
injuste ab impio condemnari in  
judicio; nisi aliter expediat justo.*

36. *Et transvi: Vix illum per-  
transii, & ecce respicio post me,  
& evanuerat. Non est inventus locus  
ejus; nullum enim pristinæ ma-  
gnitudinis, & splendoris vestigium  
reliquum fuit.*

37. *Quoniam sunt reliquia homini  
pacifico. Hominis justi post obitum  
sunt reliquæ, filii scil. & bona,  
quæ ad posteros suos transmittunt;  
imo & bona æterna.*

## PSALMUS XXXVII.

**D**avid humiliter petit veniam peccatorum suorum, de inimi-  
corum suorum furore conqueritur: Divinam opem enixius  
efflagitat.

1. *Psalms David in rememoratio-  
nem de Sabbato. Quia in Sabbato  
canebatur.*

3. *Sagittæ tuae, morbi, dolores,  
ærumnae, quibus quasi sagittis  
continuo me configis.*

*Confirmasti super me manum tuam.*

Plagam prævalida manu firmiter  
mihi impressisti.

4. *A facie iræ tue. Propter iram  
tuam. Sic, a facie peccatorum meo-  
rum: propter peccata mea: Non  
est pax ossibus meis: nulla est quies  
membris meis.*

6. *Putruerunt - - cictrices meæ.*

Ulceræ, & vulnera tum corporis  
tum animæ, quibus dum cicatricæ  
obductæ esse deberent; jam  
ob neglectum, & vetustatem com-  
putruerunt, & corruptæ sunt; A fa-  
cie insipientiæ meæ, propter meam  
stultitiam, qua peccavi, & tam se-  
ro distuli poenitere.

7. Curvatus sum, humiliatus, &  
depressus pondere peccatorum, &  
plagarum.

8. Lumbi mei impleti sunt illusio-  
nibus: scil. motibus pravis seu car-  
nalibus, Alii ad morbum corporis  
referunt.

11. Et lumen oculorum meorum,  
& ipsum non est mecum: Præ fletu,  
& ægritudine pene amisi visum.

Tropologice, peccator privatur  
lumine prudentiæ spiritualis, Hiero-  
ron. & August.

14. Ego autem tanquam surdus  
non audiebam: ita me gerebam, ac  
si non audirem. Redargutiones, qui-  
bus eos confutare possem.

17. Dum commoventur pedes mei.  
Dum vacillant, & ruinam minan-  
tur res meæ. Loquuntur magna,  
superba dictoria super, contra me,  
illudentes mihi.

20. Inimici autem mei vivunt. scil.  
Absolon, & Achitophel exultant,  
& florent; quod David memorat,  
ut DEUM facilius flectat ad mi-  
sericordiam.

## PSALMUS XXXVIII.

**D**avid aeger, & afflitus veniam precatur, & salutem. Chri-  
stus hostium maledicta DEO conquerens, veniam nobis ex-  
orat & salutem.

1. *Ipsi Idithum.* Hunc Psalmum  
David canendum dedit Idithun,  
uni ex tribus Principibus Can-  
torum 1. Paralip. 16.

2. *Custodiam vias meas.* Ita agam,  
ut ne in verbo quidem offendam.

3. *Silui a bonis:* a justa mei de-  
fensione.

4. *In meditatione mea.* In seria  
mentis meæ occupatione, exardest  
ignis, zelus, & fervor indignatio-  
nis contra peccata, & peccatores,  
a quibus tam indignis modis ac-  
ceptus essem.

5. *Notum fac mihi finem meum:*  
tot malorum: tempus mortis. Ut  
sciam, quid desit mihi, quantum ad-  
huc vitæ, & malorum superfit.

6. *Ecce mensurabiles posuisti dies*  
*meos.* Valde breves, & momenta-  
nei sunt dies vitæ meæ, quasi nihilo  
ante te.

7. *In imagine pertransit homo non*  
*solida, sed umbratili, qualis est*  
*umbra respectu corporis,* Sed &  
*frustra conturbatur.* Frustra pro re-  
bus terrenis, & vanis laborat.

9. Opprobrium insipienti dedisti me.  
Hebr. ne des me in opprobrium stulti.

10. Quoniam tu fecisti. Quia æ-  
rumnæ, & plagæ mihi non con-  
tingunt absque consilio, & volun-  
tate tua.

12. Tabescere fecisti sicut araneam.  
Hominem rebus vanis adhæren-

tem permisisti, ut anima velut  
exhausta tabesceret instar aranæ,  
quæ ex visceribus fila dicit.

14. Remitte mihi. Pœnas relaxa,  
cum tam brevis sit hæc vita, &  
ærumnis plena, priusquam binc  
abeam, & inter viventes amplius  
non ero.

## PSALMUS XXXIX.

**D**avid, allegorice Christus, gratias agit Patri de impensa sibi  
ope, & liberatione: & loco Sacrificiorum legalium prom-  
ptam, perpetuamque offert obedientiam, & seipsum holocaustum  
in cruce. Ita Athanas. & alii.

2. Expectans expectavi Dominum.  
Vehementissime, quod in simili  
vocum geminatione semper in-  
telligendum est. Et intendit mihi.  
Nec mea spe frustratus sum.

3. Et statuit super petram, in lo-  
co tuto, & hostibus inaccesso. Mo-  
ral. Petra Christus est, pedes sunt  
affectus. De lacu misericordie, de extre-  
mis periculis.

4. Immisit in os meum, suspendit  
mihi canticum novum, materiam no-  
væ laudis.

6. Annunciavi, & locutus sum. Se-  
cundum possibilitatem meam, sed  
quia excedunt facultatem huma-  
nam, ideo subditur: Multiplicati  
sunt super numerum. In translatione  
Hieron. juxta Hebr. habetur: Plu-  
ra sunt, quam narrari queant, scil.  
mirabilia tua; maxime in myste-  
rio Incarnationis. Multiplicati for-  
te est litera corrupta vitio Scri-

ptorum, ponentium multiplicati  
pro multiplicata: vel si litera ve-  
ra, supplendum est sic: multipli-  
cati sunt scil. effectus mirabilium  
tuorum.

7. Sacrificium veteris legis no-  
luiisti: i. e. minus charum, & gra-  
tum habuisti. Voluit quidem DE-  
US illa, sed solum ad significantiam,  
non faciendam expiationem;  
nam ut docet S. Paul. Hebr. 10.  
Impossibile erat sanguine hircorum, &  
vitulorum auferri peccata.

Aures autem persecisti mihi. S. Paul.  
cit. loc. ex versione 70. legit: cor-  
pus autem aptasti mihi, nempe in In-  
carnatione. Synecdoche est, par-  
tem ponendo pro toto; fit tamen  
mentio aurum potius, quam al-  
terius membra, quia per has ac-  
cipiuntur præcepta Superiorum,  
quibus debetur obedientia juxta  
illud Psal. 17. in auditu auris obedi-  
vit mihi.

8. Ecce venio ad offerendum Sacrificium acceptissimum DEO. In capite libri scriptum est de me. Hebr. in voluntate libri scriptum est de me. Itaque illud in Capite idem est, ac in Summa, & significat Summam totius Scripturæ Christum esse. Unde Joan. 5. dixit: Scrutamini Scripturas, quia illæ sunt, qua testimonium perhibent de me.

9. In medio cordis mei. Supplestatui; nihil enim majori affectu desideravi, quam implere legem tuam.

10. Veritatem tuam, & salutare tuum dixi. Christus manifestavit verbis, & factis, se missum esse a DEO pro salute hominum.

13. Circumdederunt me mala. Magnum enim agmen malorum Chri-

stum circumstetit tempore passionis. Iniquitates meæ, quas meas feci, dum peccata omnium hominum in me expianda suscepit. Non potui ut viderem. Quamquam Christus & numerum, & enormitatem omnium peccatorum noverit, loquitur tamen humano more, ad exprimendam eorum multitudinem, & fœditatem. Cor meum dereliquit me. Ex eorum consideratione animo defeci.

16. Euge, euge, in Hebr. est נָחַב, quæ est interjectio insultantis, & deridentis. S. Hieron. verit, qui mibi dicunt vah, vah, quam vocem fuisse Judæorum deridentium Christum, in cruce pendente, habemus ex Evangelio Matth. 27. 40.

## PSALMUS XL.

**O**RAT pro iis, qui afflitti benefaciunt: queritur inde de fictis, & fraudulentis amicis: Allegorice Christus de Juda, & Judæis.

2. Qui intelligit super egenum, & pauperem. Qui cogitat de rebus pauperis, ut ejus misereatur.

3. Non tradat eum in animam inimicorum. In libidinem, & potestatem.

4. Stratum ejus versasti. Tu ipse DEUS instar officiosæ ancillæ sedulo curas, foves, solaris eum, qui alios fovit, & solatus fuit, August.

5. Sane animam meam, a pecca-

to, morbo animæ, quia peccavi tibi, pro: licet peccaverim tibi.

6. Quando morietur, sunt verba inimicorum David & Christi frequenter de morte ejus tractantium. Peribit nomen ejus. Ejus memoria cum ipso extinquetur.

7. Eisi ingrediebatur, Quilibet de inimicis meis. Ut videret, me docentem, vel conversantem, vano loquebatur, falsa referebat ad meam diffamationem. Aptari hæc possunt Judæ proditori, qui ingredie-

diebatur, & egrediebatur frequenter, tractatus cum Scribis, & Pharisæis de Christi traditione.

9. Verbum iniquum constituerunt, Decretum mortis adversum me. Nunquid qui dormit, non adjicet, ut resurgat? Nunquid auferent Christo potestatem resurgendi? vel, nonne qui in lectulo decumbit, non convalescat?

10. Etenim homo pacis meæ. Is, cum quo vivebam pacifice, &

familiariter. Qui edebat panes meos, meæ etiam mensæ particeps, mysteriorum etiam corporis, & sanguinis mei. Magnificavit super me supplplantationem. Magnas mihi struxit insidias.

11. Resuscita me a mortuis.

12. Quoniam voluisti me. Dilexi-  
sti me.

14. Fiat, fiat. Hebr. Amen, &  
men. quod importat veritatis con-  
firmationem.

## PSALMUS XLI.

**I**Ncipit hic secundum Hebræos secundus Liber Psalmorum; hunc alii compositum putant a filiis Core, qui Babylonem abducti fuerunt, ut ibidem captiuitatis tempore se consolarentur; Alii a Davide, quando persequente Saule desiderium suum iterum videndæ domus DEI expressit, datum vero fuisse filiis Core decantandum, tanquam precipuis inter Cantores; quibus plures Psalmi inscribuntur.

3. Sicut, desideravit, anima mea ad DEUM fortè vivum. Non fontem, ut corrupte prius legebatur in Bibliis. Patet id ex Hebræo, nam ἡνεκὲν DEUM fortè significat. Ante faciem DEI. In tabernaculo ante arcam. Anagogice, ad claram visionem DEI.

4. Fuerunt mihi lacrymæ meæ pa-  
nes. Quotidie plorabam, hic me-  
us erat quotidianus cibus. Ubi  
est DEUS tuus? Cur tantis malis  
te non eripit? nullius virtutis, &  
potestatis esse videtur.

5. Effudi in me animam meam.  
Indulsi dolori, & lacrymis. Sed

effusis lacrymis infusa sunt gau-  
dia, quia scio, quod brevi rur-  
sum transibo in domum DEI, in, seu  
cum voce exultationis & Confessionis:  
qua vox sonus est epulantis turbæ;  
Græce, & Chaldaice populi festa ce-  
lebrantis. Anagogice, & Angelo-  
rum, & Sanctorum Alleluja.

6. Quare tristis es anima mea?  
Quod festum cum aliis in atriis  
Domini celebrare non liceat?  
Conturbas me, mœrore affligis. Con-  
fiteor illi. Iterum ab exilio redu-  
ctus, cum cæteris laudabo eum,  
qui est salutare vultus mei, Salva-  
tor meus.

7. *Memor ero tui, & tuorum mirabilium, de terra Jordanis: i. e. quæ fecisti circa terram Jordani adjacentem, & circa Hermon, vel Hermonium a monte modico, parvum illum montem in extremis finibus terræ sanctæ inter Orientalem, & Septentrionalem plagam, ubi Israëlitis mirabili potentia adfueristi, ut supremus Og, & Sehon Reges Amorrhæorum. Horum memor, simile auxilium a te expecto.*

8. *Abyssus abyssum invocat. Ut unus fluctus maris alterum trahit,*

& quasi advocat; ita calanitas una alteram excipit, in voce cataractarum tuarum. Te jubente pandi cataractas calamitatum, e quibus continuo aliae super alias in me prorumpunt. Ita Vatabl. *Omnia excelsa tua. Imbres, & fulmina in me irruunt.*

9. *In die mandavit Dominus misericordiam. Græce, & Chald. mandabit, submittet mihi misericordiam suam; ut etiam morte jam tum latatus canam canticum ejus, laudis, & gratiarum actionis.*

## P SAL MUS XLII.

**O** Rat, ne reliquorum impiorum poenit involvatur, sed tabernaculo, & altari Domini restituatur. Præmittitur hic Psalmus Missæ, quia excitat desiderium sacrificandi læte, & decenter.

1. *Discrimin causa meam de gente non sancta: ne sinas me justum, & innocentem puniri cum impiis. Ab homine iniquo, & doloso, crudeli, & sine misericordia (ut insinuat textus Hebraicus) crue me.*

2. *Quare me repulisti? Ita agis, ac si me repulisses.*

3. *Emitte lucem tuam, favorem, & opem cœlestem. Et veritatem, fidelitatem tuam: imple, quæ promisisti. Ipsa, Lux, & veritas me deduxerunt, & adduxerunt. D. Hie-*

ron. & Chald. ducent, & introducent: ponuntur enim præterita pro futuris more Prophetico, ad rei certitudinem indicandam. In montem sanctum tuum Sion, qui cœlestis Sionis figura est. Et in tabernacula tua. Pluralis pro singulare.

4. *Introibo ad altare DEI, ad offerendum Sacrificium.*

*Qui latificat juventutem meam. In quo omne gaudium meum constituo.*

PSAL.

## PSALMUS XLIII.

**P**salmista narrat miracula, que DEUS olim pro populo suo est operatus. Queritur de calamitatibus, quibus obrutus est: meliorem statum sperat, atque enixis precibus ex illis eripi flagitat.

3. Plantasti eos. Patres nostros firmiter statuisti in terra Chanaan olim promissa, pulsis inde Chananæis.

5. Mandas salutes Jacob. Qui mandas Angelis tuis, ut salvent populum Jacob, seu Israël.

6. Inimicos nostros ventilabimus. in fugam agemus, cornu, in potestate a te nobis data.

9. In DEO laudabimus: Gaudebimus, gloriabimus.

10. Nunc autem repulisti. Incipit admiratio, & conquestio, quod tantis malis permittat DEUS attteri populum suum. Non egredieris cum virtutibus nostris. Non soles egredi amplius cum militibus, & exercitibus nostris ad protegendum nos,

11. Avertisti nos retrorsum. Fuge re nos fecisti inimicos nostros, non insequi.

13. Vendidisti populum tuum sine pretio: Vilissimo pretio instar vi lissimorum mancipiorum; ut factum tempore Antiochi. Et non

suit multitudo (pretii) in commutationibus.

15. In similitudinem gentibus, in parabolam, tanquam rem prorsus detestandam. Commotionem capit in populis. Solent enim homines capita movere præ admiracione.

16. Verecundia mea contra me est. Totus perpetuo confundor.

19. Non receperit retro cor nostrum, non defecit a tuo cultu, & fide. Et declinasti semitas nostras, i. e. non declinasti, non perquisisti nos declinare a lege tua. Ita est in Hebr. & verit S. Hieron. & explicat S. Chrysost.

23. Propter te, in odium tui, (convenit hoc optime Sanctis martyribus, ut totus hic Psalmus) mortificamur tota die, morti tradimur, occidimur.

25. Humiliata est in pulvere anima nostra, usque in terram dejecta est vita nostra, adeo, ut conglutinatus adhæreat terra venter noster. q. d. ad imum dejecti sumus, & pedibus conculcamur.

## PSALMUS XLIV.

**E**st carmen nuptiale Salomonis: sed in sensu mystico, specialiter a Spiritu S. intento, canit nuptias Christi, & Ecclesiae.

1. In finem pro iis, qui commutabuntur. Ab idolatria scil. ad fidem. Psalmus historicus est de Salomone, & filia Pharaonis, simul propheticus de Christo & Ecclesia.

2. Eructavit ex imo pectore effudit cor meum, verbum bonum, laudes Christi, & Ecclesiae: Dico ego opera mea Regi, hæc mea carmina in laudem Christi Regis Regum decanto: Ita Basilius.

Lingua mea calamus Scribæ &c. Spiritus S. qui auctor est hujus carminis, nec indiget intervallo temporis, ut me doceat.

3. Speciosus forma præ filiis hominum. Christus non tantum quoad Divinitatem sed etiam quoad humanitatem speciosus fuit. Habuit enim animam, & corpus pulcherrimum, & omni ex parte perfectum. Diffusa est gratia in labiis tuis: videlicet facundia, nam Joan. 7. nunquam sic locutus est homo.

4. Accingere gladio tuo. Verbo DEI, quo orbis totus Regno Christi subjectus est.

5. Specie tua, & pulchritudine tua. Non tam corporis, quam mentis, nimirum, sapientia tua, intende, seu intendes ad superandam hostium tuorum astutiam, prospere procede, feliciter procedes, & re-

gna, seu regnabis, propter veritatem, promissorum fidelitatem, & mansuetudinem erga delinquentes, justitiam, qua unicuique tribuis secundum opera sua. Deducet te mirabiliter dextra. Potentia, fortitudo tua, ut alieno auxilio tibi opus non sit ad regnum tuum occupandum.

6. Sagittæ tuae acutaæ. Jacula gratiæ tuae, infige in corda inimicorum Regis, inimicorum tuorum. Sic fiet, ut vulnerati, & devicti populi sub te cadant, tibi sponte se subdant. Euseb. Theodor. Basil.

7. Virga directionis, virga regni tui. Sceptrum regni cui est sceptrum æquitatis, rectitudinis, & justitiae.

Propterea unxit te DEUS, Pater tuus oleo letitiae.

Quæres: quod nam hoc oleum? R. cum Basil. Cyril. August. esse gratiam unionis hypostaticæ, itemque habitualem infusam Christo in incarnatione. Præ consortibus tuis, præ reliquis Sanctis omnibus, qui participes, & consortes sunt regni cœlestis.

9. Myrrha lacryma est arbusculæ Arabicæ, Gutta seu stacte, lacryma nempe, seu liquor myrræ,

&amp;c

& cassia, seu cinamomum: omnium virtutum gratissimi odores alpabant a vestimentis tuis: nempe ab humana natura, seu anima, & corpore. Hic enim est ille habitus servi, quem filius DEI induit, ad Philippens. 2. A domibus eburneis, purissimis, & mundissimis visceribus B. Mariæ Virginis.

10. *Filia Regum supple, adlunt, in honore tuo, in aula tua, aut Gynecæo sponsæ tuæ. Asitit Regina, Ecclesia a dextris tuis.* Tibi proxima, in loco summi honoris infra thronum tuum. In vestitu deaurato, circumdata varietate. In aurea chlamyde charitatis, amicta omni virtutum genere.

11. *Audi filia S. Hieron. & August.* id referunt ad primariam Ecclesiam: Sed Chaldaeus ad Synagogam: unde vertit audi congregatio Iſraël. Quæ & quanta populo gentium obveniant bona; si tibi eadem cupis, inclina aurem tuam. Legi, & voluntati hujus Regis, Messia, obliiscere populum tuum, dedice veterem cultum, & cere-

monias, postquam enim veritas per Christum facta est, umbra & figura evanuit.

13. *Filiæ Tyri.* Mulieres Tyri, quo nomine omnes gentes designantur, in muneribus, munera offerenates, vultum tuum depreca-buntur, Coram te supplices procumbent. Quo indicatur in Ecclesia potestas clavium, & Sacramentorum.

14. *Omnis gloria ejus filia Regis.* Primarius ordinatus Ecclesiaz consit in internis animæ virtutibus, ab intus. In fimbriis aureis. Ab interno illo decore promanat etiam quidam splendor in opera ejus externa, nempe ceremonias, & ritus sacros.

15. *Circum amicta variciatibus, di-versitate graduum, & statuum in Ecclesia.*

17. *Pro Patribus tuis nati sunt tibi filii.* Loco Patriarcharum, & Prophetarum, nati sunt Apostoli, & viri Apostolici, qui virtutem Patriarcharum æquabunt, aut etiam superabunt.

## PSALMUS XLV.

**G**ratiarum actio propter liberationem a periculis belli.

3. *Dum turbabitur terra. Desig-nantur motus, turbæ Provincia-rum, bella, seditiones, regnorum subversiones. Nihil bonum ti-mebimus, scientes omnipotentem eum adjutorem nostrum. Et trans-*

*ferentur montes in cor maris (in me-dium maris.) Est poetica maximæ turbationis descriptio.*

4. *Sonnerunt T turbatae sunt aquæ eorum. Misceantur, & impleantur licet Principum nationes bellis,*

fame, peste: *Conturbati sunt conturbentur, transferanturque mones: ipsi etiam Principes tremore concutiantur, & fugiant, idque in fortitudine ejus. Nos in DEO fiduciam nostram firmissime collocabimus.*

5. *Fulminis impetus.* Alludit ad aquas Siloë, cujus aquæ quietæ, & leniter labentes significant pro amaritudinis abundantia, quæ turbabit impios, dandam Ecclesiæ abundantiam voluptatis, quæ eam lètificabit. *Sanctificavit tabernacu-*

*lum suum altissimum. Ideo lètificat civitatem suanæ, quia eam elegit sibi in tabernaculum.*

6. *Adjuvabit eam DEUS manu, diluculo, prompte, opportuno tempore.*

7. *Dedit vocem suam. Imperium, & iustum suum, quo quasi tonitru percellit, & prostrerit omnes gentes, Ecclesiæ inimicas.*

11. *Vacate & videte. Hieron. cef-sate. In pace, & animi tranquillitate prodigia DEI expendite, quæ fecit in gentium conversione, & populi sui protectione.*

## PSALMUS XLVI.

PSalmita Nationes ad DEUM laudandum invitata, mystice Ecclesia applaudit Christo ascendi.

2. *Omnes gentes, Universæ tribus Israël, plaudite manibus, gestu lètitiam ostendite.*

3. *Quoniam Dominus terribilis. scil. hostibus nostris.*

4. *Subjecit populos nobis, Chanañeos, & Amorrieos, aliasque, qui habitant in terra promissionis.*

5. *Elegit nobis &c. Speciem, seu pulchritudinem eximiam populi Jacob, quem dilexit, elegit sibi in hereditatem suam: i. e. adlegit in Ecclesiam.*

6. *Ascendit DEUS in jubilatione. Hebræi exponunt de arca hume-*

*ris Levitarum in altum levata canentibus tubis Sacerdotibus. Nos de Christo in jubilatione Patrum & angelorum ex limbo ad cœlum ascidente.*

9. *DEUS sedet super sedem sanctam suam. Super propitiatorio; Vel Christus in cœlo ad dexteram Patris.*

10. *Principes popolorum congregati sunt cum DEO Abram. Hebr. Adjunxerunt se populo DEI Abram in unitatem fidei.*

*Dii fortes terræ vehementer elevati sunt. Hebræum elobim in plurali sæpe pro singulari DEO sumitur.*

PSAL-

## PSALMUS XLVII.

**C**anit Urbis Jerosolymæ (Allegorice Ecclesie Christi) magnificentiam, felicitatem, nobilissimasque victorias.

1. Psalmus Cantici i. e. elegantissimus, filii Core traditus, secunda Sabbati, seu hebdomadæ, seu feria altera post Dominicam nostram canendus.

3. Mons Sion. Ubi erat templum Domini, fundatur exultatione, maximo cum gaudio universæ terra, latera Aquilonis, sive Aquilonem versus est Civitas Regis magni, Salem dicta.

4. DEUS in dominibus ejus cognoscetur. Cognoscetur DEUS habitare in Ierusalem, eamque defendere contra vim hostium. Christus in templo cognitus a Simeone, & Anna Prophetissa.

6. Ipsi videntes sic admirati sunt. Vim scilicet numinis pro civitate sancta contra ipsos pugnantis.

8. In spiritu vehementi conteres naves Tharsis, sicut valido ventorum impetu conterere soles naves Tharsis, seu maris; ita contrivisti Syros, & Assyrios impetu viæ tuæ. Theodoret. Quamyis etiam dici possit contritas naves eorum, qui adversus Josaphat trans mare advecti sunt 2. Paralip. 20.

9. Sicut audivimus, sic vidimus. Ut ab Isaia predictum, ita impletum vidimus. Fundavit eam in aet-

num. Prophetice dictum de Ecclesia. Hinc August. Si ergo DEUS eam fundavit in æternum, quid timemus, ne cadat firmamentum? Audivimus DEI promissa per Prophetas, vidimus impleta non interrena Ierusalem, quæ destructa est, sed in Ecclesia. Audivit in promissionibus, vidi in exhibitionibus. Audivit in Prophetis, videt in Evangelio.

17. Secundum nomen tuum DEUS, quo vocaris optimus maximus &c. Sic Et laus tua merito celebratur usque in fines terra, cum re ipsa præstes, quod nomine præfers.

12. Exultent filiae Judeæ. Opida, & castella Judææ, quorum Mater quodammodo erat Ierusalem, eorum metropolis.

13. Circumdate Sion. Videtur insultare hostibus, q. d. cingite rursum copiis vestris Ierusalem: & robur, quod in turribus ejus deprehenderitis, audacter narrate vestribus.

14. Ponite corda vestra in virtute ejus. Diligenter expendite robur, & munitionem urbis, Et distribuite domos ejus, quasi jam captæ; solent enim superbi hostes spolia obsessarum urbium quasi jam captarum inter se præpropera sorte partiri.

## PSALMUS XLVIII.

**A**rgumentum est adhortatio ad contemptum saeculi.

3. *Quique terrigenæ & filii hominum.* Per terrigenas plebei, & ignobiles, per filios hominum nobiles designantur; unde subditur: *Simul in unum dives, & pauper.*

4. *Os meum loquetur sapientiam.* Tradam vobis præcepta solidæ sapientiae, & prudentiae.

5. *Inclinabo in parabolam aurem meam:* Ad hanc doctrinam, quæ obscura est, & rem totam aperiam in psalterio.

6. *Cur timebo?* Quid est, quod me timere faciet, ob diem, vel in die mala Judicij. Respondet: *Iniquitas calcanei mei circumdabit me.* Malitia, & peccatum ultimum, in quo impenitens ex hac vita discedam. E contrario, si aut in innocentia, aut post lapsum in pœnitentia mortuus fuero, non est cur timeam diem illum.

8. *Frater non redimit, redimet homo?* Si frater fratrem ex angustiis illius diei eripere non potest, quanto minus quivis alius homo, cui non æque charus sis? Non dabie DEO placationem suam. Nemo dabit pro se quidquam, quo DEUM placatum reddat, ne morteni immitrat.

9. *Et laborabit in æternum.* Nullum premium dare poterit, ut sinatur hic in terra laborare perpetuo.

11. *Non videbit interitum.* Pro: nec videat, nec gustet mortem, nullis enim thesauris vel hostiis DEO oblatis evadet moriendi necessitatem. Maxime cum viderit sapientes, justos, pios quosque mortientes, qui tamen, si ulli, videbantur immortalitate digni.

12. *Vocaverunt nomina sua in terris.* Per nomina, quæ terris aut urbibus dederunt (ut Alexandria, ab Alexandro, Roma a Romulo) perpetuitatem mercari voluerunt.

13. *Homo cum in honore esset, non intellexit.* Si homo conditionis suæ dignitatem agnoscere, nunquam se adeo demitteret, ut viles, terrenasque restanti æstimaret. *Comparatus est jumentis insipientibus.* Per mores belluinos, præsentia tantum, & quæ sub sensu cadunt considerans.

14. *Hac via illorum.* Hæc ratio vivendi impiorum divitium, scandalum ipsis ducet eos in ruinam, & perditionem. Postea in ore suo complacebunt sibi, gloriantes, & de hoc ipso se jactantes.

15. *Sicut oves in inferno positi sunt,* stolidæ, brutæ gregatim ad macellum currentes: ita illi ultra infernum maximo numero incurvant; ibi mors æterna depascat eos.

*Ei dominabuntur eorum justi in negotio.* Quibus in hac vita doni-

nabantur impii, ubi clarum mane futuræ vitæ illuxerit, vice versa iusti illorum dominabuntur. Auxilium eorum veterascer. Gloria, & robur eorum deficiet, & peribit.

18. Non sumet omnia. Hebrais-

mus, pro: nihil ex omnibus summet, seu auferet secum.

20. Introibit usque in progenies patrum suorum. Ibit impius ad progenitores suos in infernum, quos in sceleribus imitatus est.

## P S A L M U S X L I X .

**C**onit Christum Judicem in extremo judicio salvaturum electos suos, non ob victimas pecudum, sed ob animi innocentiam.

1. *Psalms Asaph.* Hic fuit Sanctus Propheta, & nobilis musicus. An vero Psalms composuerit, aut compositos a Davide duntaxat cecinerit, non omnino certum est.

*DEUS* Deorum, Judicum, & Principum, locutus est Evangelicam legem, & vocavit terram per suos Ministros, & Apostolos, omnes gentes.

2. *Ex Sion species decoris ejus.* Ibi docuit, & in doctrinæ confirmationem Spiritum S. misit super Apostolos.

3. *DEUS manifeste veniet,* non ut in in primo adventu obscure, & humiliiter, sed cum gloria, & maiestate.

*Ignis in conspectu ejus exardescet.* Hoc dicitur de igne conflagrationis, qui antecedet adventum JUDICIS. *Et tempestas valida,* scil. ex commotione omnium elementorum.

4. *Advocabit Cælum de sursum.* Quia angeli cum eo descendenter

ad judicium. *Et terram,* quia ad præceptum ejus mortui de terra resurgent. *Discernere populum suum.* Tunc enim discernentur pii ab impiis, sicut segregantur oves ab hædis.

5. *Congregate illi.* Est apostrophe ad angelos, qui jubentur fidèles judicio sistere, qui ordinant testamentum ejus, qui exacte observarunt legem DEI.

8. *Non in Sacrificiis tuis arguam te.* Non arguam te ob neglectum Sacrificiorum legalium.

11. *Pulchritudo agri mecum est.* Quia siebant oblationes in lege de frugibus.

14. *Immola DEO Sacrificium laudis.* Cum taurorum Sacrificiis opus non habeam, cura, ut sinceram laudem, & gratiarum actionem mihi offeras.

20. *Adversus filium matris tuae,* adversus Catholicum Ecclesiæ Matris tuae filium, ponebas scandalum,

præ-

præbebas occasionem ruinæ, verbis tuis malis, & factis.

21. Statuam contra faciem tuam, quæ gestisti, cogam te agnoscere in judicio.

23. Sacrificium laudis Scil. Eucharistia, honorificabit me. Si præmissa debita pœnitentia suscipiatur, & administretur.

## PSALMUS L.

**P**oenitens Rex David adulterium, & homicidium sibi remitti postulat.

4. Amplius lava me ab iniuitate mea. Abluisti me a culpa, & pœna mortis. 2. Reg. 12. Sed restant adhuc alia pœnae peccati, aliique effectus, & reliquæ, ab his etiam libera me.

6. Tibi soli peccavi, quamvis etiam alios læserim, te tamen solum judicem, & vindicem timeo. Ut justificeris: Refert ad superiora. Misere mei, & amplius lava me: et si gravissime in te peccaverim: rogo tamen, parcere mihi digneris, & quæ olim promisisti, implore ne graveris: sic enim fiet, ut justificeris in sermonibus tuis. i. e. ut agnoscaris, & declareris verax in promissis tuis.

7. In iniuitatibus conceptus sum. Hebr. in iniuitate, & peccato. Scil. originali, quod aliorum deinceps actualium origo, & caput est.

8. Incerta, & occulta, ut, ortum Messia ex semine meo, aliaque maxima mysteria manifestasti mibi. tanquam amico.

9. Asperges me hyssopo, loquitur de mundatione spirituali ad mo-

dum emundationis corporalis: quia emundatio leprosi, & immundi ex contactu cadaveris fiebat cum hyssopo, ut habetur in Levitic. Lavabis me, aqua munda, quæ est gratia.

10. Exultabunt ossa humiliata. Ego totus nunc afflictus, exultabo Domino.

12. Spiritum rectum innova in visceribus meis. S. Hieron. vertit stabilem, seu firmum in bono, & contra omnes tentationes fortem.

14. Spiritu principali, seu gubernativo, & magnanimo, qualis Principem decet.

16. Libera me de sanguinibus. A voce sanguinis Uriæ, qui clamat contra me, & a justitia tua vindictam postulat.

17. Domine labia mea aperies. Quia per se non sufficiunt ad delenda peccata sine cordis contritione.

20. Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion. Ne propter mea scelera patiatur quidpiam adversi Urbs sancta. Allegorice, Ecclesia.

PSAL-

**PSALMUS LI.**

**D**avid prophetice increpat Doeg, & alios calumniatores. Sic & Christus Judam, & quemvis peccatorem Apostamatam increpans, exitium eis, sibi vero & affeclis suis salutem vaticinatur.

2. Cum venit Doeg Idumeus. Occasione illius prodigionis scriptus est hic Psalmus.

3. Quid gloriaris in malitia. Gloriabatur Doeg, quod accusatione sua perdidisset Sacerdotem Domini, & omnem familiam ejus. Qui potens es in iniuitate. Qui potentia, qua vales apud Saul, abuteris.

5. Verba præcipitationis, pernicioſa, quibus totam familiam illam Sacerdotalem præcipitares in exitium.

7. Emigrabit te. Hebraismus, pro, emigrate te faciet. Radicem tuam, progeniem, familiam, opes, & potentiam tuam, funditus te excinderet.

9. Prevaluit in vanitate sua, per dolos, & sclera roboravit se ad tempus contra innocentias.

10. Ego autem sicut oliva fructifera. Doeg eradicabitur, ego autem similis ero virenti, & florenti olivæ. In domo DEI, in Ecclesia.

11. Quia fecisti, mecum misericordiam, & cum Doeg vindictam.

**PSALMUS LII.**

**H**ic Psalmus prorsus idem est cum XIII. præter v. I. & 6.

1. Mæleth videtur esse instrumentum musicum, cui Psalmus sit associandus.

6. DEUS dissipavit ossa eorum, i.e.

vires omnes, & robur hypocrytarum, qui turpi adulatione solis hominibus, maxime potentioribus, non item DEO placere student.

**PSALMUS LIII.**

**D**avid contra Ziphæos, Christus, & Ecclesia DEI opem contra adverfarios implorat.

5. Quoniam alieni (ira vocat Ziphæos) insurrexerunt in me, volentes me prodere, & in hoc alienati sunt,

quamvis de tribus mea sint: Es fortes quæsurunt animam meam, Saul, & exercitus ejus.

7. Averte mala inimicis meis, averte a me mala, ab inimicis contra me cogitata, & converte in capi-

ta eorum. Et in veritate tua disperde illos, sicut veraciter promisisti conservare innocentiam meam.

## PSALMUS LIV.

**P**ropheta DEUM rogat, ut se ab inimicis servet. Christus patiens contra Judam, & Apostatas, aut Judeos queritur.

3. In exercitatione mea. In afflictione, qua vehementer exerceor per impios, inquit August. qui addit, omnem malum ideo vivere, ut aut corrigatur, aut ut per eum bonus exerceatur.

6. Et contexerunt me tenebrae, irruit in me horror, & tremor, qualis esse solet in tenebris. Allegorice hæc Christo convenient, in horto agonizanti.

7. Et volabo. Hieron, ut volem in locum, ubi tutus requiescam. Tropologice pennæ columbae sunt gratia Spiritus S. quibus a creaturis avellimur in solitudinem.

10. Præcipito Domine, quomodo autem eos præcipitari velit, statim addidit: divide lingas eorum, scinde eos in diversas sententias.

11. Die ac nocte circumdabit eam super muros ejus iniquitas. Aliqui in Ceila tam maligni erant, ut discurrent super muros, ad videntium, ne David exiret, donec Saul cum exercitu suo adveniret.

12. Non defecit in plateis ejus usura. Quia in Ceila erant publici aliqui usurarii, & fraudulent mercatores.

14. Tu vero homo unanimus. O

Achitophel! inquit Chaldaeus, insurgis quoque in me; homo unanimis, unius tecum animi, nihili dilectissimus. Dux meus, primarius Consiliarius.

15. Qui simul tecum dulces capiebas cibos, qui suaviter mihi convivebas. Hoc Jude Eucharistiam sumenti congratuit. In domo DEI ambulavimus. In rebus sacris, & profanis conjunctissimi eramus.

16. Vestiat mors super illos, prædicti poenam: digni sunt, ut veniat super illos mors. Et descendat in infernum viventes, sicut Corre, & complices ejus numer. 16. eo quod ingrati contra Moysen rebellaverint: ira fecerunt habitatores Ceila Davidi.

20. Non est illis commutatio de peccato ad penitentiam, quia obstinati sunt.

22. Molliti sunt sermones ejus super osculum. Quia in præsentia Davidis loquebantur mirabilia, & pacifica, in occulto tractabant contraria. Sic Judas blando osculo Christum tradidit.

22. Facta super Dominum curam tuam. Hic David se ipsum alloguitur.

23. Non dabit in aeternum fluctuationem justo. Etsi ad tempus eum commoveri adversis patiatur, tamen tranquillitatem ei restituet.

24. Viri sanguinum. Homicidae, & sanguinarii, non dimicabunt dies

suos. Non pervenient ad dimidium spatium ætatis, ad quod spectata naturali eorum complexione per venturi fuissent; sed præmatura morte abripientur. Exemplo sunt Saul, Absolom, Achitophel.

## PSALMUS LV.

**D**avid fugiens Saulem, cum esset apud Allophylos, id est, alienigenas in Geth. I. Reg. 21. orat liberari a persecutione *Sauli*.

4. Ab altitudine diei timebo. Fugiti vi, qualis erat David, magis timent diem, quam noctem, ne Sol supra horizontem aſcendens novum periculum secum trahat.

5. In DEO lausbo sermones meos. Cum laude prædicabo sermones DEI ad me pertinentes, quibus promisit se mihi exhibitum suam misericordiam. Non timebo, quid faciet mihi caro, homo carnalis, mortalis, & infirmus.

7. Inhabitabant, mecum simul habibant tanquam amici, & interim abscondent, dolos & technas in me machinantes. Calcaneum meum observabant, egressus, & vestigia mea, quo irem, quid facerem. Sicut sustinuerunt animam meam: si-

cut sperarunt animam (vitam) meam mihi eripere.

8. Pro nihil salvos facies illos? Interrogative, q. d. non decet justitiam tuam, ut adversarios meos, qui nihil boni, sed multa mala egerunt, salves.

12. In me sunt DEUS vota tua. In intimis præcordiis: apud me conservantur, ut non excidant vota tua, id est promissiones a me tibi factæ. Que reddam laudationes tibi, quæ vota continent laudationes, & gratiarum actiones a me assidue tibi concinendas.

13. Ut placeam -- in lumine viventium, quamdiu præsentis vitæ luce fruar. Allegorice in lumine fidei, anagogice in lumine gloriae.

## PSALMUS LVI.

**D**avid periculo defunctus promittit, laudes DEI apud omnes nationes se celebraturum.

2. In umbra alarum tuarum, sicut pullus sub alis Matris sua latitat, ne

ne rapiatur a milvo. Donec trans-  
fess iniquitas, iniquorum hominum  
conatus, & studia contra me.

5. In medio catulorum Leonum,  
Saulis, & militum ejus, dormivi  
conturbatus, inter quos præ nimio  
timore plenam requiem nunquam  
habui. Dentes eorum arma, & sagit-  
tae, verba eorum aculeata, detra-  
ctoria, & virulenta.

7. Incurvaverunt animam meam,  
humiliaverunt, depressoerunt me.  
Eoderunt - - foream, & inciderunt  
in eam. Nam Saul incanus dum  
me persequitur, non semel inci-  
dit in manus meas i. Reg. 24.

9. Exurge gloria mea, glorio-  
lans, gloriosum canticum meum;  
est prosopopœia.

## PSALMUS LVII.

**P**Rædictit Saulem, & ejus adulatores perdendos. Allegorice Chri-  
stus contra impios queritur.

2. Si vere utique justitiam loqui-  
mini. Si justitiam loqui vultis, re-  
cta judicate, non verbis tantum,  
sed opere ostendite.

3. Justicias manus vestrae concin-  
nanti, tam apte componunt, ut  
iniquitatem pro æquitate vendite-  
tis.

4. Alienati sunt peccatores a vulvo,  
erraverunt ab utero, in prima in-  
fantia a virtute ad vicium desfe-  
xerunt.

5. Euror illis secundum similitudi-  
nem serpentis. Fiunt sicut serpentes,  
qui nunquam mansuecent.

6. Que non exaudiet vocem incan-  
tantis, maxime ejus aspidis, que  
palamnis vocatur, quam August.  
Theodore. & Euthym. dicunt, alteram aurem terræ affigere (quid  
quid sit de veritate; nam David  
similitudinem duxit a communi  
opinione) alteram cauda obdura-  
re, ne audiat carmen magi incan-

tantis sapienter, in arte hac exerci-  
tati illimi, atque ita mansuetat, &  
virus ponat.

7. DEUS conteret dentes eorum.  
Quæ maneant persecutores pœnæ,  
describit variis similitudinibus,  
catulorum Leonum, quorum den-  
tes molares confringuntur; aquæ  
decurrentis, cuius nulla manet me-  
moria; ceræ liquefcentis, arcus  
intenti, sed sagittis contractis.

9. Supercedidit ignis Divinae ul-  
tionis, & non viderunt Solem, subito  
e vivis erupti sunt, & lucis usura  
privati. S. Hieron. verit: quasi a-  
bortivum mulieris, quod non vidit So-  
lem.

10. Priusquam intelligerent spinae  
vestrae rhamnum, priusquam tenuio-  
res spinæ assecutæ sint magnitudi-  
nem rhamni, & ejus duritiem.  
Rhamnus est major spina, que  
fere speciem arboris gerit. Est  
proverbium, significatque impios

estate adhuc immatura, dum nil de morte cogitant, esse tollendos.

11. *Lætabitur justus non cupidine vindictæ, aut perditione hostium, sed amore, & zelo iustitiae.*

*Manus suas lavabit in sanguine peccatoris. Tam copiosam refert de prostratis victoriam, ut, si lubeat, manus suas lavare possit in sanguine occisorum.*

## PSALMUS LVIII.

**D**avid DEI opem implorat. Christus a Judæis captus suam, suorumque liberationem postulat.

4. Ceperunt animam meam. Captivum me detinent, obsidentes dominum meum.

5. Neque iniq[ue]itas mea. Hic allegat suam innocentiam. Neque iniq[ue]us mea peccando contra proximum; neque peccatum meum, peccando contra DEUM meruerunt istam persecutionem. Sine iniq[ue]itate curri: Cursum prælentis vitæ, & direxi opera mea ad finem debitum.

6. Intende ad visitandas omnes gentes, ad puniendas, judicandas, & ultionem de iis sumendum. Vocat autem gentes homines feros, & impios. Non misericaris, prophetantis, non optantis est.

7. Convertentur ad vesperam. Saetiles enim Saulis venerunt vesperæ ad custodiendam Dominum David de nocte. Famen patientur ut canes. Magno desiderio, instar canum famelicorum querent Davidem occidere. Et circuibunt civitatem. Alii ex militibus currebant per vicos, lustrabant omnia, ne manus illorum evaderet.

8. Loquentur in ore suo. Submis-

sa voce. Gladius in labiis eorum, de David interficiendo. Quoniam (inquietunt) quis audivit, nemo est qui nos audiat, aut insidias Davidi indicando impediat.

10. Fortitudinem meam ad te custodiam. Tibi acceptam feram fortitudinem meam, qua inimicis meis superior evadam.

12. Ne occidas eos. Sed serva eos ad vitam miseram, ut langueant, & diu portent tuum judicium. Ne quando obliviscantur populi mei: Mihi subjecti, vel subjiciendi, obliviscantur iustitiae, & vindictæ divinæ, qua punis impios. Disperge illos. Hoc impletum est in monte Gelboë, quando coram Philistæis coepérunt per diversas vias fugere. Et hodie dum in Judæorum reliquii impletur.

13. Delictum oris eorum. Propter delictum, quo mihi mortem minati sunt. Allegorice propter voces crucifige, crucifige, & horrenda maledicta in Christum.

16. Ipsi dispergentur ad manducandum: More mendicorum panem ostium quærentium.

## PSALMUS LIX.

**D**avid cum populo suo auxilium *DEI* petit contra Idumæos, & alios hostes. Allegorice Christus cum Apostolis obsecrat *DEI* regnum dilatari.

2. Cum succendit Mesopotamian. Historia refertur 2. Reg. 8. Non legitur quidem in libris Regum, quod David succenderit Mesopotamiam & Sobal; sed tantum quod ceperit. Ceterum non repugnat, quin utrumque fieri potuerit, licet in libris Regum non exprimatur.

3. Repulisti nos. Quasi Paterna cura, & protectione indignos. Destruxisti nos, permittens nos opprimi, & affligi a Philistais Idumæis &c. Et misertus es nabis postea tamen nobis pœnitentibus placatus es.

4. Commovisti terram. Conturbasti permisisti habitantes in terra nostra ab adversariis.

5. Potasti nos vino compunctionis. Hieron. habet: vino mœroris, quod est compunctio de peccatis.

6. Dediti metuentes te significacionem. Respectu temporis futuri. Ut fugiant a facie arcus tuæ justitiae, quæ extenta est ad percutiendum peccantes. Christianis datum est signum crucis, ut iram divinam effugiant.

8. DEUS locutus ist in Sancto: e Sanctuario, seu e propitiatorio, latabor i. e. tanquam propriam hereditatem dimetiar, & distribuam

subditis meis terras illas, quas occupavit Isbosheth filius Saul, scil. Sichiman seu terram Samariæ, in qua erat Sichem. Et Convallem tabernaculorum Hebr. Socoth, in quo Jacob olim sua tabernacula fixerat Gen. 33.

6. Meus est Galaad, & meus est Manasses. Pergit David enumerare præcipuas regni sui partes, hæc duæ erant trans Jordanem. Ephraim fertitudo capitis mei, Regni mei. Iuda Rex natus. Custos, & defensor regni mei. Istæ etiam duæ tribus fuerunt fortiores, & bellicosiores aliis. Ideoque fuerunt sitæ in extremitatibus regni; tribus Ephraim in extremitate aquilonari, & tribus Iuda in australi.

10. Moab olla spes meæ: Aliqui ex Hebrei vertunt, Lebes lotionis meæ. Sic Aquila; qua Metaphora significari dicunt subigendos esse Moabitæ adeo, ut ad vilissima ministeria diligantur. Alii volunt vocari ollam spes, quod Regio esset uber, & abundans, q. d. Regio Moab mihi jam subjecta est initar ollæ plenæ carnibus, in cuius abundantia, & ubertate sperare possum.

In Idumeam extendam calcamentum meum. In signum aditæ possessio-

sessionis, & devictæ terræ illius, quam calceis, & pedibus meis cal-  
cabo, quasi mili' subiectam.

11. *Quis deducet me usque in Idumæam?* Quo duce, quo auxiliante  
ingredi potero victor, in hujus  
Provinciæ civitates iunctas.

12. *Nonne Tu DEUS?* qui repu-

listi nos, longo tempore tuo favo-  
re destitutos esse voluisti. *Et non*  
*egredieris DEUS?* Lyranus vult in-  
terrogative, ut sensus sit: imo tu  
egredieris nobiscum ad bellum.

14. *In DEO faciemus virtutem.*  
Divino auxilio protecti hostes for-  
titer superabimus.

## PSALMUS LX.

**D**avid postulat restitutionem ab exilio, longam vitam, Et fe-  
lix regimen. Allegorice Christus vaticinatur suum regnum  
fore perpetuum.

3. *A finibus terræ ad te clamavi.*  
Ab extremis terris, in quibus ob-  
rebellionem filii Absolon dego,  
procul a Patria, throno meo, &  
sanctuario.

6. *Dedisti hereditatem iumentibus*  
*nomen tuum.* Totam Chanaaniti-  
dem, a qua nunc exulo, dedisti  
mili', meisque quasi hereditariam  
possessionem. Cœlum quoque in  
venturo sèculo.

7. *Dies super dies Regis adjicies.*  
Hæc Davidi non convenient: cum  
ordinariam hominum ætatem non  
excesserit. Unde ad Christum  
referenda sunt, qui a DEO, &  
immortalitate, & regno immor-  
tali donatus fuit.

8. *Misericordiam, Et veritatem*  
*eius, quis requiret?* Quis implora-  
bit frustra, ita ut non obtineat.

## PSALMUS LXI.

**I**N uno DEO sperandum, non in hominibus, vel opibus terre-  
nis.

4. *Interficitis universi vos?* Quo-  
usque queritis me interficere?  
Tanquam parieti inclinato ad ruinam,  
Et macerie depulsa e loco suo, &  
libella, jam proclivi ad casum.  
Ita infirmus, & ruinæ proximus  
ego sum, in quem tanto furore  
incurratis.

5. *Premium meum cogitaverunt re-  
pellere.* Id moliuntur, ut privent  
me pretio laborum meorum, vel  
Davidem regno, vel justum vita  
æterna. *Cucurri insiti Græcum ver-  
ti potest: cucurrerunt,* me perse-  
guendo usque ad contrahendam  
fim.

7. Non emigrabo. Non movebor  
de statu meo, non vacillabo.

10. Mendaces filii hominum insta-  
teris. Omnia eorum studia, & la-  
bores, non sunt, nisi fraus, men-  
dacidium, & vanitas.

12. Semel locutus est DEUS. In  
monti Sinai. Inde duo hac audivi:  
Eum potentissimum esse ad vindic-  
andas injurias, & benignissimum  
in pios.

## PSALMUS LXII.

**D**Avid in deserto aspirat ad tabernaculum, mystice ad Chri-  
stum, per quem hostibus interitum, sibi salutem prophetice  
precatur.

Psalms David cum esset in deserto  
Idumeæ 1. Reg. 25. Videtur istud  
desertum fuisse in tribu Juda, sed  
versus Idumæam.

2. Ad te de luce vigilo. Summo  
mane ad laudes tuas conlurgo.  
Sicut in te anima mea, summo de-  
siderio in te fertur. Quam multi-  
pliciter tibi caro mea, quam pluri-  
mis modis, magnopere, & arden-  
ter sicut tibi, seu ad te caro mea. i.e.  
corpus meum. Seu totus, & ex to-  
to desiderio, ut nempe in patria,  
& in templo tuo cum universo  
populo DEI laudem te, & frui-  
te.

3. In terra deserta, in hoc loco  
solitudinis. Sic in sancto apparuitibi,  
perinde ac si essem in Sanctuario,  
sic te mihi præsentem statuo, co-  
lo, adoro.

4. Quoniam melior est misericordia  
sua super vitas. Melior quam vita  
quæcumque corporalis quantum-  
cumque felix, longa, & deliciosa.

6. Sicut adipic, & pinguedine Sc. Adeps, & pinguedo symbola sunt  
gratiæ, & consolationum divina-  
rum. Gratia tua repleatur anima  
mea.

7. Si memor fui tui Sc. Cogitans  
de tua bonitate non solum de die,  
sed etiam de nocte.

9. Adhæsit anima mea post te, fer-  
venti charitate, quasi philtro, vel  
poculo amatorio me totum rapui-  
sti.

10. Introibunt in inferiora terre.  
In sepulchrum, aut etiam inferno.  
Partes vulpium erunt: corpo-  
ra eorum insepulta vulpibus, &  
aliis feris cedent in prædam.

12. Rex vero letabitur in DEO:  
Ego scil. David, allegorice Chri-  
stus. Laudabuntur omnes, gloriabun-  
tut, vel laudabuntur a DEO ju-  
dice, qui jurant in eo, qui eum  
verum DEUM agnoscent, & co-  
lunt.

PSAL-

## PSALMUS LXIII.

**D**avid, allegorice Christus, contra insidias, & calumnias implorat DEI opem, vaticinans suis hostibus vindictam a DEO.

4. Intenderunt arcum rem amaram. Arcum, qui ejaculatur sagittas mortiferas, veneno illitas. Talis est lingua calumniatorum, quæ verba vibrat amarissima, & lethifera.

6. Subito sagittabunt eum, de inproviso, & non timebunt, quia nondum videbant DEI vindictam super se venturam. Firmaverunt sibi sermonem nequam. Consilium suum nefarium pertinaciter confirmare statuerunt. Narraverunt, inter se susurraverunt, ut abscondent lagos.

7. Scrutati sunt iniquitates, vestigarunt vias iniquas nocendi; defecerunt scrutantes scrutinio, excoigitando & querendo dolosas artes fatigati sunt, & fine suo frustrati. Accedet horro ad cor alium, machinabitur profunda, & occulta consilia, 8. Exalabitur DEUS, dissipando consilia eorum.

Sagitta parvolorum factæ sunt plaga eorum, Calumniæ impiorum factæ sunt imbecilles, sicut parvolorum plagæ, imbelli manu inflictæ.

## PSALMUS LXIV.

**D**avid & Synagoga DEUM laudat ob beneficia; Allegorice Ecclesia cum Christo laudat DEUM pro pace, & bonorum omnium copia collata per Christum.

1. Canticum Jeremia, & Ezechiealis, forte super hunc Psalmum populo transmigrationis consolationem dederunt: quia hic Psalmus videtur esse de reditu ex captivitate, quem hi duo Prophetæ prædixerant.

2. Te decet hymnus DEUS in Sion: Tibi gratus & acceptus est hymnus, qui canitur in Sion. In Ecclesia.

3. Ad te omnis caro veniet, vocatio gentium insinuat, rursum

4. Verba iniquorum prævaluerunt. Injusta facta; verba pro rebus in Scriptura passim accipiuntur.

6. Mirabile in equitate. Ecclesia enim & sancta est, & plena justitia, æquitate & Religione.

7. Præparans mons. In usu hominum, & bestiarum, cum scilicet vestis eos herbis, arboribus, fœcundas metallis.

8. Qui conturbas profundum maris. Cum tibi placet, tempestates in mari excitas.

9. *Exitus matutini, & vespere delectabis.* Oblationes Sacrificii matutini, & vespertini delectabiles facies fidelibus tuis.

10. *Visitasti terram, & inebriasti eam.* Pluviis tunc eam fœcundando. Loquitur de futuro permotum præteriti propter certitudinem prophetæ. *Multiplicasti locupletare eam, divitiis naturalibus, quæ ex fertilitate terræ nascuntur.* Flumen DEI repletum est aquis Jordanis, qui dicitur fluvius DEI, quia ad ingressum arca DEI nudatus fuit ejus alveus Josue 3. & in eo baptizatus est Christus DEUS, & homo.

*Parasti cibum illorum.* Prout enim fluvii hujus majores, & minores sunt aquæ, magis, aut minus fœ-

cundatur terra, ut narrant, quiea loca incoluerunt.

11. *Rivos ejus inebrias.* In Hebræo : *fulcos ejus, nimicum in agris ad fertilitatem humectando eos.*

*In stillicidiis ejus.* Pluviis de cœlo stillantibus, latabitur germinans : terra.

12. *Benedices corona anni.* Ex benignitate tua benedices circulo anni, dando rores, pluvias, & calores prout expedit fœcundationi terræ. *Pinguecent speciosa deserti.* Proferendo sine hominis cultura pascua animalibus nutrientis. *Exultatione colles accingentur,* metaphora : herbis virentibus abundabunt.

14. *Induti sunt arietes ovium.* In hoc designatur abundantia lanarum, quæ sunt indumenta ovium, & arietum.

## PSALMUS XLV.

**J**ubilat Israël, Allegorice Ecclesia Christi se liberatam a tyran-

to.

3. *In multitudine virtutis tua men-*  
*tientur tibi inimici tui.* Propter po-

tentiæ tuae splendorem inimici tui simulabunt se esse nominis tui cul-

tores.

6. *Qui convertit mare ( rubrum )*  
*in aridum.* Cum Israëlitæ transi-

rent Exodi 14. *In flumine ( Jordane )* pertransibunt pede, cum arca per illud duceretur Josue 3.

7. *Qui exasperant.* Qui DEUM peccatis irritant, non exaltentur in semetipſis. Non superbiant, nec cri-

stas erigant ; Nam DEUS deprimet eos.

9. *qui posuit animam meam ad vi-*  
*sam.* Cum periclitarer de vita, hanc mihi DEUS conservavit ; vel me prædestinavit ad vitam.

11. *Induxisti nos in laqueum.* Permisisti nos variis laqueis calamitatum constringi.

12. *Imposuit homines super capita noſtra.* Exactores Pharaonis, qui imponebant nobis onera nimis gravia,

Transl.

*Transivimus per ignem & aquam.*  
Proverbialis locutio: contrariis  
mali per vices vexati sumus. *Ex*  
*eduxisti nos in refrigerium:* Ex ser-  
vitute in libertatem, in terram la-  
ete, & melle manantem.

13. *Reddam tibi vota mea,* qua  
distinxerunt, distincte, & a propo-  
sito emiserunt labia mea.

17. *Exaltavi sub lingua mea,* gau-  
dium, & dulcedinem sensi in cor-  
de, dum laudarem te ore meo.

18. *Iniquitatem si aspexi in corde*  
*meo, non exaudiet Dominus.* Si co-  
gitavi iniquitatem facere, si ma-  
chinatus sum aliquid mali in cor-  
de meo, non exaudiat me Domi-  
nus. Non est autem sensus: si  
mihi conscientius sum alicujus pecca-  
ti, non exaudiet me Dominus:  
ita enim publicanum non exaudi-  
visset dicentem: DEUS propitius  
esto mihi peccatori.

## PSALMUS LXVI.

DEUM orat, ut per adventum Messiae omnes gentes sentiant  
Divinam misericordiam & salutem.

2. DEUS misereatur nostri &c. Hic  
versiculus desumptus videtur ex  
Num. 6. cap. eaque erat solemnis  
formula, qua Sacerdotes populo  
benedicebant. *Illuminet vulnus*  
*uum super nos:* hilarem, propitium,  
& liberaliem se nobis exhibeat.

7. *Terra dedit fructum suum.* Scil.  
Christum ex Maria terra Virgine  
prognatum inquit S. Hieron. &  
Evthym. & cum Christo, ac per  
Christum immensam Sanctorum  
hominum messem.

## PSALMUS LXVII.

Difficilis, & obscurus est hic Psalmus ob metaphoras, & Poë-  
ticas descriptiones. Continet carmen triumphale de victoriis  
Hebræorum. Allegorice, & magis ex mente Spiritus Sancti de  
victoriis, & triumphis Ecclesiæ Christi, quos orat continuari a  
DEO.

5. *Iter facite ei, qui ascendit super*  
*occasum.* Videtur prophetia de  
Christianæ Religionē, quæ relictis  
Europæ orientalibus partibus con-  
cessit in Occidentem. Hebrei

Doctores referunt ad populi ad-  
ventum in terram promissam DEO  
duce, qui adventus fuit per oc-  
casum, hoc est per Arabiæ deser-  
tum.

**Turbabuntur a facie, Virtute Maje-  
state, & potentia DEI.**

7. *Qui habitare facit unius moris  
in domo.* Per quam intelligi po-  
test Ecclesia triumphans, uti ha-  
bitantes sunt in charitate perfe-  
cta concorditer viventes. Potest  
etiam domus DEI dici Ecclesia  
militans, in doctrina fidei, & mo-  
rum proslus unanimis. *Qui edu-  
cit vinculos ex Aegyptica, & Baby-  
lonica servitute, & carcere.* *Qui*  
*ex iherant DEUM frequenti sua ob-  
murmuratione, & rebellione, qua-  
les utroque tempore erant Hebraei.*  
*Qui habitant in sepulchris.* Chaldaeus:  
*in siccitate, seu in locis aridis, ca-  
rentibus omni humano solatio, &  
voluptate, & sepulchris persimil-  
linis.*

8. *Cum egredieris in conspectu po-  
puli tui:* Scil. per angelum in co-  
lumna nubis, & ignis. *Mota est  
terra in Sinai,* cum illic lex dare-  
tur. *Et Cœli distillaverunt Pluvias,*  
grandines, manna, coturnices.

10. *Pluviam voluntariam segregabis.* Multo magis Ecclesiam (quæ  
est hereditas tua empta tuo san-  
guine) irrigabis voluntarie pluvia  
gratia tua. *Infirmata est:* Quia  
post ascensionem Christi Ecclesia  
Ierosolymis collecta magnas per-  
secutiones passa est. *Tu vero per-  
feciisti eam.* Quia DEUS tantam vir-  
tutem contulit credentibus, ut ex  
illis persecutionibus magis creve-  
rit, & confirmata fuerit Fides Ca-  
tholica.

11. *Animalia tua habitabunt in ca-*

Fideles tui, qui in pluribus Scri-  
pturæ locis dicuntur oves, grec  
&c.

12. *Dominus dabit verbum:* sug-  
geret sermonem efficacem evange-  
lizantibus, *Virtute multa.* Faciet, ut  
præstent magno conatu, robore,  
felicique successu.

13. *Rex virtutum.* DEUS, Rex  
exercituum. *Dilecti dilecti,* Dilec-  
tissimi, Christi videlicet. *geminatio*  
*superlativum notat.* *Et specie domus.*  
Quia Principes, & potentes con-  
versi ad fidem dederunt Ecclesiæ  
preciosa dona, ut patet ex hi-  
storiis. Et hoc est quod dicitur:  
*specie domus, ad speciem, & deco-  
rem domus DEI,* quæ est Eccle-  
sia. *Dividere spolia diversis Eccle-  
siis, & personis Ecclesiasticis divi-  
dere prædicta dona.*

14. *Si dormiatis &c.* Ad hunc  
locum difficilem intelligendum,  
sciendum, quod κληρος clerorum Græ-  
ce, idem sit quod sors latine: *co-  
lumba autem accipitur pro Eccle-  
sia, quæ frequenter columba no-  
minatur in canticis.* Pennæ au-  
tem hujus columbarum sunt virtutes,  
eam ad coelestia levantes.

*Inter medios clerorum.* Id est, inter  
status Ecclesiæ scil. militantis, &  
triumphantis. Quod sit, quando  
homines utuntur bonis præsentis  
vitæ, ut non amittant bona æter-  
na, sed magis acquirant; quia di-  
vitiae sunt impedimenta reprobis,  
probris sunt adjumenta virtutis.  
Pennæ columbarum deargentatae sunt, quia  
præsens vita ducitur in conscienc-  
iæ.

*tix* puritate. *Et posteriora dorsa ejus:* i. e. superiores partes pennarum, quæ sunt super dorsum columbae. *In pallore auri.* Terminantur in perfecta charitate, quæ habetur in Patria.

15. *Dum discernit cœlestis.* Pater Cœlestis Reges, id est Rectores super eam: super Ecclesiam, quod factum fuit, quando DEUS decrevit mittere Apostolos ad diversas partes orbis ad regendam, & ordinandam Ecclesiam.

*Nive dealbabuntur:* Tunc populi multi justificabuntur, & nigrorum peccatorum in candorem justitiae mutato super nivem dealbabuntur. *In Selmon:* In Ecclesia, Selmon mons est atissimus, & ideo nivibus in vertice coopertus, sed in ima sui parte fertilis.

16. *Mons DEI mons pinguis:* Mons Sinai, inquit Mariana; melius alii mons Sion. Allegorice Ecclesia; *pinguis*, & *coagulatus*, fertilis, & abundans lacte, butyro, omnique alimonia, id est gratiis & donis cœlestibus.

17. *Ut quid suspicamini montes coagulatos?* Quare opinamini vos gentiles extra hunc montem seu Ecclesiam montes æque fertiles, ac pingues? *Mons in quo beneplacitum est DEO.* Hic est enim mons unicus, in quo beneplacitum est DEO habitare in finem perpetuo.

18. *Currus DEI decem millibus multiplex:* Descensum DEI in montem Sinai confert cum ascensione Christi in Cœlum comitante An-

gelorum multitudine, quorum alis quodammodo vectus fuit; ut etiam super arcam alis Cherubinorum insidere credebatur.

19. *Cepisti captivitatem:* accepisti eos, qui in limbo detinebantur captivi, eos tecum ad cœlestia ducendo. *Accepisti dona hominibus:* ut inter homines ea distribueres. *Et enim, pro, etiam, non credentes,* tibique rebelles cepisti, & tui juris fecisti.

20. *DEUS salvos faciendi.* Qui saluti omnium studet. *Domini exitus mortis:* Cujus est exitus mortis, creptio, & liberatio a morte.

22. *Confringeret -- verticem capilli:* Cristas, seu superbiam, perambulantium in delictis suis, perseverantium in peccatis.

23. *Ex Basan convertam &c.* Abstraham hostes meos ex Basan Regione fertilissima, & projiciam in profundum maris, ut olim egi cum Pharaone.

24. *Ut intingatur pes tuus in sanguine.* Tantam illorum stragem edam, ut tu O Israël! sanguine eorum laves, & operias pedes tuos; & etiam lingua canum tuorum ab ipso intingatur hoc sanguine.

25. *Viderunt ingressus tuos DEUS.* Actiones, & victorias tuas o Christe! quæ ad literam intelligi possunt de translatione arca; sed & triumphus Christi testibus non caruit.

26. *Prævenerunt Principes:* Hieron. præcesserunt currum tuum tri-

umphalem, principes omnium tribuum, & ceteris exemplo suo præverunt in decantandis tibi laudibus, & hymnis. In medio jnvencularum tympanis triarum: Inter choros puellarum, tympana, & alia instrumenta musica ex veteri more pulsantium.

27. Benedicite D E O de fontibus Israël: Christo Domino ortum habenti ex stirpe Israël, vos qui de eadem stirpe descenditis, benedicite.

28. Ibi Benjamin: explicat, quinam sint illi Principes, de quibus dixit: Prævenerunt Principes &c. Per Benjamin SS. PP. Paulum intelligunt, qui fuit ex hac tribu: Adolescentulus: Quia minimus natu filiorum Jacob. Vel si S. Paulus intelligatur, qui fuit ætate juvenis, & vocatione minimus, seu ultimus Apostolorum. In mentis excessu D. Paulus in tertium cœlum raptus, conjunctus psallentibus angelis, ut nesciret an in corpore, an extra corpus. Principes Juda. Intelliguntur Apostoli, qui ad hanc tribum pertinebant, & Christi fratres in evangelio dicuntur. Principes Zabulon, Principes Nephtali: dicuntur cæteri Apostoli, qui erant a Bethsaïda, vel Capharnaum, & vicinis civitatibus ad sortem Zabulon, & Nephtali pertinentibus.

29. Manda D E U S virtuti tua: Uttere potentia tua.

30. A templo tuo. Propter sanctitatem Ecclesiarum tuarum.

31. Increpa feras arundinis. Cobibe, perde feras, & agrestes Israëlis hostes, qui similes sunt feris in arundineto latentibus, & strepitum crientibus: Et sunt velut congregatio taurorum, ferociunt velut tauri congregati, in vaccis populorum, cum populis, qui instar vaccarum, Hebraice, vitularum lasciviant, salaces, & dissoluti sunt. Metaphora sumpta est a tauris, qui tum ferociores sunt, dum inter armenta generationi dant operam. Ut excludant: vita, & hæreditate sua depellant, eo, qui, tibi probatis sunt argento, instar argenti. Hieron. per tauros intelligit hæreticos, Hilarius demones, sed allegorice.

32. Venient Legati ex Ægypto: Pacem petentes, & se subditos profitentes Ecclesiarum, ut patet in Alexandria Ægypti, ubi fuit celebrissima Ecclesia Christianorum sub D. Marco Evangelista. Sed Æthiopia præveniet, & prior protendet manus suas D E O, ut fecit Ernuchus Candacis Regina Æthyopum, aliquie Principes Æthyopes in vita S. Matthæi.

34. Qui ascendit super cœlum cœli ad orientem: Nam mons Oliveti ad Orientem Jerosolymæ positus est. Voci suæ humanitati sanctæ dabit vocem virtutis in extremo iudicio; tum enim apparebit magnificètia ejus, & virtus in nubibus, tumque erit mirabilis in sanctis suis.

## PSALMUS LXVIII.

**D**avid ob zelum Religionis, mystice Christus ob zelum pro DEO  
& Ecclesia multa sustinens auxilium de caelo petit.

2. Intraverunt aquæ usque ad animam meam. Id est tribulationes, quas mox aliis metaphoris designat: limo profundi, mari, tempestate.

3. Non est substantia: Non est solidus fundus, in quo possim firmus consistere. Veni in altitudinem maris, in profundum persecutionis, & tempestas demersit me: acerbitas passionis, qua in cruce obiit.

4. Laboravi clamans: defatigatus sum clamando. Defecerunt oculi mei, dum eos in omnem partem converti, unde quis openi feret.

5. Quia non rapui, tunc exsolvabam: Alieni criminis penas dedi. Quod proprio de Christo exponi potest, qui rapinam pomiveriti, vel honoris divini ab Adamo, ejusque posteris factam exsolvit.

6. Tu scis insipientiam meam: animi in vitio, quod mihi impiagnunt.

7. Non erubescant in me, qui expectant te, occasione meorum calamitatum, qui a te expectant salutem, dum vident me innocentem, & te invocantem deseri.

9. Extraneus factus sum fratribus meis: Judæis.

10. Quoniam zelus domus tuae comedit me. Hunc locum de Chri-

sto in templo vendentes ejiciente exponit Joan, 2.

11. Operui in jejunio animam meam. Hebr. flevi in jejunio animæ meæ: operire caput jejunando erat indicium luctus

13. Qui sedebant in porta Principes, & viri graves. Qui bibebant vinum: Juvenes, & derisores canitilenas famosas de me concinabant.

14. Tempus beneplaciti DEUS! supple: nunc tandem sit in veritate salutis tuae: ex fidelitate, qua salutem promisisti.

16. Neque urget super me puteus os suum: Puteus, in quem cecidi non claudatur, ut est in Hebreo.

20. Tu scis - - reverentiam meam: confusionem, & verecundiam.

22. Dederunt in escam meam fel. Apertus est de passione Domini locus Matth. 27. nihil illustrius hac prophetia.

23. Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, ut contingit aviculis, quæ escam querentes, capiuntur in retributiones, quibus illis malum, quod mihi struxerunt, rependantur. In scandalum sit illis occasio ruinæ.

24. Obscurerunt oculi eorum: Hoc patiuntur Judæi, cum velamen sit super cor eorum, ut ait S. Paul.

2. Corinth. 3. dorsum eorum semper incurva: addendo onera, & calamitates, quibus prementur.

26. Fiat habitatio eorum deserta: Factum videmus ad unguem, nam Judæi alibi potius degunt, quam in Judæa, maxime Jerosolymis.

27. Quem percussisti: scil. Christum, persecuti sunt: occidendo eum.

28. Appone iniquitatem &c. i. e. appones, scil. permittendo, DE-

US enim peccati causa esse non potest. Non intrent in iustitiam tuam: revertendo de culpa ad gratiam.

29. Deleantur de libro viventium. Per finalem reprobationem, & æternam damnationem.

32. Et placebit DEO: laus mea, & canticum meum, super vitulum novellum, magis quam Sacrificium vituli, cornua producentem & unguinas, quo statu maxime idonei sunt Sacrificio.

## PSALMUS LXIX.

**S**IBI, & piis omnibus implorat DEI opem: hostibus vero confusionem.

Hic Psalmus totus explicatus est psalmo 39. a versu 14. usque ad finem.

4. Avertantur; A te, & per te a felicitate, ac prosperitate ad miseras, & exitium: qui dicunt mibi afflito: Euge! euge! Hieron. vah! vah! Chald. gavisi sumus, gavisi sumus de tua afflictione.

## PSALMUS LXX.

**D**avid senex & affidus contra impios opem DEI implorat; perpetuum pollicetur gratiarum actionem. Mystice Christus idem facit pro Ecclesia.

1. *Psalmus David, filiorum Iona-dab.* i. e. Rechabitarum Jerem. 35. & priorum captivorum: usurpatns est hic Psalmus a Rechabitis, & iis, qui in captivitate e terra sua migrarunt Babylonem.

5. *Quoniam tu es amicitia mea:* Præstans mihi patientiam in hac tribulatione.

6. *In te cantatio mea:* de te, nam particula in quandoque subjectum, de quo agitur, indicat.

7. *Tanguam prodigium* (Hieron. quasi portentum) factus sum: apparui hominibus, ob tot ærumnas, quibus affligor, & tamen salvus semper emergeo. Allegorice Christus, Tropologice quivis justus est im-

*Impiis prodigium, quia sectatur  
vitam arcam, & carni invisam.*

*9. Cum defecerit virtus mea: cum  
vires meæ præ senio defecerint, ne  
me derelinquas.*

*10. Qui custodiebant animam meam:  
Qui vitaæ meæ struebant insidias:  
scil. Achitophel, & socii ejus.*

*15. Quoniam non cognovi litera-  
turam: Non sum versatus in hu-  
mana sapientia, & eloquentia;  
nam ex pastore assumptus sum in  
militiam, ex hac ad regnum.*

*16. Introibo in potentias Domini:  
Ingrediar ad opera Divinæ omni-  
potentiaz contemplanda: Hæc mi-  
hi pro libris, & magistris erunt,  
docebuntque me nosse, laudare,  
& colere DEUM.*

*18. Donec annunciem brachium  
tuum: magnitudinem virtutis tuæ.*

*20. Conversus consolatus es me, post  
tribulationes, & ætrumnas conso-  
lationem infudisti.*

*22. In vasis Psalmi: Instrumen-  
tis musicis.*

## PSALMUS LXXI.

*Christi regnum in figura Salomonici Regni, pacificum, amplum,  
felix, æternum fore prædicitur.*

*1. Psalmus in Salomonem: Hic  
Psalmus historicus est 3. Reg. 1.  
Priores versus Salomoni conve-  
niunt; sed divinus vates statim  
ad Christum convertit sermonem,  
cujus Salomon typus fuit.*

*2. DEUS judicium tuum Regi da.  
Justum, & sapiens Salomoni. Al-  
legorice DEUS Pater omne judi-  
cium dedit filio.*

*3. Suscipient montes pacem: Illu-  
striores Principes terræ per eum  
consequantur pacem, & tranquili-  
tatem. Et colles, inferiores magi-  
stratus, justitiam, ne auctoritate ni-  
mium insolecentes innocentem  
opprimant.*

*5. Permanebit cum sole: quamdiu  
Sol erit, & ante Lunam fuit Chri-  
stus, quia secundum divinitatem  
ab æterno.*

*6. Descendet sicut pluvia in vellus:  
Ut olim ros in aridum Gedeonis  
vellus descendit Jud. 6. absque  
strepu, & nihil noxæ inferens  
velleri, & sicut stillicidia stillantia &c.  
sicut minutæ pluviae guttulæ in  
terram cadunt, & illam fecundam  
reddunt. Ita Christus in sinum  
Virginis veniet, & ex illa terra  
virgine præclarum Jesse gentis  
germen orietur.*

*7. Orietur in diebus ejus justitia:  
Fides Catholica, quæ continet ve-  
ram justitiam.*

*8. Dominabitur a mari: Salomon  
regnavit a mari rubro usque ad ma-  
re mediterraneum, & a flumine  
(Euphrate) usque ad terminos terra  
sanctæ. Sed Imperium Christi per  
totum terrarum orbem diffusum  
est.*

9. Inimici ejus terram lингent: Oscularuntur in signum reverentie, qui erat mos orientalibus.

10. Reges Tharsis: Reges insularum Orientalium, & insulae, populi insularum. Reges Arabum, & Saba: Impletum est in Salomone, cum ad eum venit Regina Saba. Item in Christo, venientibus Magis ad præsepe in Bethlehem.

14. Honorabile nomen eorum coram illo. Vita eorum erit illi chara & pretiosa.

15. Et vivet: quia mors illi non dominabitur: nam gustata per triduum morte revixit, nunquam amplius moriturus. Dabitur ei de auro Arabiae: Pretiosis muneribus coletur: Adorabunt de ipso: i. e. ipsum Christum: inquit Mariana.

16. Et erit firmamentum: In Hebreo habetur: Erit abundantia frumenti: Et in translatione Hieronymi sic dicitur: erit memorabile triticum: Et ideo translatio communis videtur corrupta per Scri-

ptores ex similitudine dictiorum habens firmamentum, pro frumentum, quod exponunt Hebrei dicentes, quod in adventu Messiae, quem false expectant, frumenta crescent in tanta altitudine, sicut cedri in Libano, & facient spicas magnas, & latas, ex quibus vento flante decidet simila, de qua Judæi pro sua voluntate poterunt satiari. Quia vero istud omnino erroneum est, ideo melius exponitur de Sacramento Eucharistie, in quo Christus continetur ubique in Ecclesiis sub specie panis tritici: & ideo dicitur: erit frumentum. i. e. Eucharistie Sacramentum.

20. Desecrunt laudes David filii Jesse: Hic enim Psalmus videtur omnium esse postremus, quamvis ultimo loco collocatus non sit. Scriptus est enim eo tempore, quo David in morti vicinus Salomonem filium suum in regni possessionem immisit.

## PSALMUS LXXII.

**I**Ncipit hic secundum Hebreos Lib. III. Psalmorum, quorum fere auctor creditur Asaph nobilis musicus tempore Davidis. Cujus nomine existant 12. sequentes Psalmi de tristioribus casibus Ecclesiae.

Hoc Psalmo describit, quam infelicem exitum habeat impiorum prosperitas.

2. Pene effusi sunt gressus mei: effuso per lubrica gressu pene col-

lapsus sum a firma spe in DEUM, & a studio virtutum,

3. *Quia zelavi: gravi, & ardentis zelo commotus sum, pacem, felicitatem peccatorum videns.*

4. *Non est respectus morti eorum: non anxie respiciunt, non cogitant de morte. Non est firmamentum in plaga eorum. Si quando morbo, aut quadam adversitate tententur, cito ex ea eripiuntur.*

5. *In labore hominum non sunt, sed in deliciis, & solatiis vivunt. Cum hominibus non flagellabuntur. Quia propter divitias suas parcitur eis, dum duri & graves labores aliis imponuntur.*

7. *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum: Ex abundantia, & prosperitate iniquitas ipsorum prodidit. Transferunt in affectum cordis: Totos se tradunt explendis affectibus, & concupiscentiis suis, non legi DEI.*

8. *Iniquitatem in excelso locuti sunt, publice, & inverecunde.*

9. *Posuerunt in cælum os suum: Phrasij Hebraica significat DEO, & superis maledicere. Lingua eorum transiit in terra. Hebr. perambulavit: scil. detrahens cultoribus DEI, eosque irridens, quasi spes illorum inanis sit..*

10. *Ideo convertetur populus meus hic: Hæc impiorum impunita prosperitas causa est, cur homines pii subinde convertant se ad conquerendum, dum vident dies plenos in eis; i. e. impios diutissime vivere & felicissime. Unde migrantes dicunt, scitne, & curat hæc DEUS?*

13. *Et dixi: Ex eo, quod impiis omnia e voto eveniant, conclusi: ergo sine causa justificavi cor meum: manus meas puras ab omni scelebre, & impiorum consortio confervavi.*

14. *Et fui flagellatus tota die: Et tamen cum virtuti studerem, malis multis vexatus sum. Castigatio mea in matutinis, idque a juventute mea expertus sum.*

15. *Si dicebam: narrabo sic: Flu-  
tuantis ex illa tentatione narratio  
est: si sic loquerer, jam video me  
ita sentire non potuisse, quin na-  
tionem filiorum DEI reprobarem,  
& pios damnarem, qui te secuti  
sunt. Hic se cohibet David in  
medio cogitationum suarum cur-  
su, & retrahit mentem ab illis co-  
gitationibus.*

16. *Existimabam, ut cognoscerem  
hoc: Solicite apud me cogitabam,  
ut scirem, an & quomodo DEUS  
sua providentia gubernet hæc in-  
feriora, cum sinat impios vivere  
in tanta felicitate? sed labor est ante me:  
inquisitio visa nimium dif-  
ficilis. Donec intrem in sanctuarium  
DEI: donec ex contemplatione  
divinorum secretorum intelligam in  
novissimis eorum: Videlicet impios,  
tametsi ad tempus prospere agant,  
tamen tandem vel hic, vel in fu-  
turo sæculo illa prosperitate exci-  
dere, & suæ impietatis gravissi-  
mas pœnas dare.*

18. *Verum tamen propter dolos po-  
suisti eis: Hieron. in lubrico posuisti  
eos. Fluxa sunt, & periculorum*

plena, quæ dedisti, dum injustis  
divicias impertitus es.

20. In Civitate tua: Cœlesti;  
Chaldæus: in die judicii. Imaginem  
iporum, imaginariam illorum fe-  
licitatem ad nihilum rediges.

22. Ad nihilum redactus sum: Va-  
rie humiliatus, & abjectus. Et ne-  
scivi: quorsum hæc fierent a DEO,  
vel quo me verterem?

23. Ut jumentum factus sum apud  
te. Quanta velles onera, labores,  
flagella mihi infligere, sustinui ut

jumentum; & ego semper tecum man-  
si, & constantissime adhæsi.

26. Pars mea DEUS: Quem  
portionem, & hereditatem me-  
am esse volo.

27. Qui fornicantur abs te Per  
peccatum idolatriæ, quod in Scri-  
ptura per fornicationem exprimitur  
propter violatam fidem DEO  
datam.

28. In portis filiae Sion: Coram  
multitudine fidelium, in publico  
Ecclesiæ conventu.

## PSALMUS LXXIII.

**P**redicit urbis, templi & populi ruinam sub Nabuchodonosore  
& Antiocho Epiphane.

2. Memento congregationis tuae. Sy-  
nagogæ. Allegor. Ecclesiæ. In  
Græco: populi, quem congrega-  
sti. Redemisti virgam hereditatis tuae,  
mons Sion, in quo habitasti in eo. i. e.  
Sceptrum Regium Judææ, quæ di-  
citur hereditas Domini, eo, quod  
ibi viguit cultus divinus, ubi au-  
tem specialiter habebat locum,  
erat mons Sion.

3. Leva manus tuas: Converte  
iram tuam in hostes, qui sanctua-  
rium tuum profanarunt.

4. In medio solemnitatis: ingressi  
templum, dum sacra perageren-  
tur, Posuerunt signa sua Chaldæi ve-  
xilla bellica, signa, quasi trophyæ  
victoriae: sicut in exitu: Scil. urbi-  
um, in portis, ubi solent erigi  
trophyæ, sic super summum verti-  
cem templi posuerunt illa. Quasi

in silva lignorum, sine ulla loci san-  
cti reverentia, nulli rei parcentes,  
januas exciderunt.

7. In idipsum: Omnes simul uno  
animo, & conatu. Polluerunt ta-  
bernaculum: Quia capto templo im-  
molarunt suis idolis.

8. Quiescere faciamus omnes dies  
festos DEI: Cessare faciamus o-  
mnes festivitates, omnem cultum  
DEI Istræl.

9. Signa nostra non vidimus: Non  
videmus miracula, qualia olim  
DEUS majoribus nostris exhibuit  
in eorum beneficium. Non est Pro-  
pheta, qui nobis opitulari posset,  
ut olim Moyses, Samuel, & alii.  
Et nos non cognoscet amplius: DEUS  
videtur nos quasi alienos non vel-  
le amplius agnoscere, aut curare.

10. Usquequo improperabis inimi-

*cus?* Improperabant enim Chal-  
dæi Judæis captivis, quod DEUS  
eorum non esset verus DEUS,  
quia eos non salvaverat.

12. Operatus est salutem in medio  
terræ: saxe liberavit populum  
suum ubique, in omni terra, vel  
ut S. Hieron. in Jerusalem. Al-  
legorice, in medio terra, in ven-  
tre virginali.

13. Confirmasti in virtute tua ma-  
re: Solidasti in potentia tua mare  
rubrum, cum transiret populus.

*Contribulasti capita Draconum: Aë-  
gyptios, feros & immanes.*

15. Tu dirupisti fontes: Aperiisti  
petram, ut aquas funderet in mo-

rem torrentis. *Siccasti fluvios Ethan:*  
Fluvium Jordanem. *Ethan signi-  
ficit vehementem, & rapidum.*

19. Ne tradas bestiis hostibus gra-  
vibus, animas confitentes tibi, homi-  
nes te agnoscentes, & colentes.

20. Repleti sunt: bonis, & divi-  
tii nostris ditati sunt. *Qui obscu-  
rati sunt terra:* Qui erant obscuri,  
& ignobiles, videl. Chaldæi, do-  
mibus iniquitatum, nobis inique  
eruptis.

23. Superbia eorum -- ascendit  
semper: crescit, ideoque malis in-  
fluctis comprimenda, & contun-  
denda est.

## PSALMUS LXXIV.

**D**Ialogus est DEI & Prophetæ: docetque timendum impiis, gau-  
dendum piis in extremo iudicio.

3. Cum accepero tempus. Chald.  
cum elegero, iustias judicabo, quod  
justum, & æquum est, decernam.

4. Liquifacta est terra: q. d. Ter-  
ra sentiet iram meam & timore  
hominum corda liquefiant. Ego  
confirmavi columnas ejus: ego ejus  
fundamenta jeci, & velut colu-  
mnis stabilivi, quare, & concu-  
tere eam mihi difficile non erit,  
cum voluero.

5. Dixi inquis: Loquitur Pro-  
pheta tanquam unus de numero  
iustorum: Exaltare cornu, superbi-  
re, gloriari in potentia.

7. Quis neque ab oriente, neque  
ab occidente Quisquam est, qui a

judicio aut ira DEI, se aut aliud  
possit eripere, quoniam DEUS Ju-  
dex est ubique præsens per suam  
immensitatem, & potentiam.

9. Calix in manu Domini: Calix  
iræ, & furoris sui. Vini meri, ge-  
nerosi, & non diluti admixtione  
misericordia, aut favoris, plenus,  
mixto, plenus, non simplici uni-  
us generis, sed mixtione vario-  
rum generum vini meri, qua mi-  
stione non temperatur, neque di-  
luitur vis vini, sed fortius redi-  
ditur, id significat iustitiam vin-  
dicativam DEI abundare multi-  
tudine & varietate pœnarum. Et  
inclinavit ex hoc in hoc. Transtulit,

& propinavit hunc calicem variis gentibus, cum punivit Sodomitas, Chaldaeos, Aegyptios &c. Verumtamen fax ejus non est exinanita.

ta, adhuc remanet gravissima pars justitiae vindicativae, quae servatur in diem ultimi judicii, & tunc eam bibent omnes peccatores terra.

## PSALMUS LXXV.

**L**AUDAT DEUM pro victoria obtenta de Assyriis tempore Ezechiæ, cum ex castris blasphemari Sennacherib una nocte cœsi essent 185000.

3. Factus est in pace locus ejus. Habitationem sibi delegit in Salem, quæ vox pacem significat, In urbe pacifica DEUS sedem habet, hoc est, in Ecclesia, in qua pax Christi diffusa est in cordibus fidelium.

5. Illuminans tu mirabiliter a mortibus æternis: DEUS ex cœlis tanquam æternis quibusdam montibus favore suo nos illuminavit, dum misit angelum suum tanquam cœlestis fulmen in exercitum Assyriorum.

6. Turbati sunt omnes insipientes corde: Bellatores Sennacherib, qui adhuc erant idololatræ: Dormierunt somnum suum, somnum mortis. Et nihil invenerunt &c. Quia bellatores Senacherib multas divicias per bella acquisierant, quas ibidem dimiserunt.

7. Ab increpatione tua. Te incre-

pante, & puniente, dormierunt somno mortis oppressi, qui ascenderunt equos, equites Assyrii.

8. Ex tunc ira tua: Simul atque blasphemarunt te Assyrii, exarsit in eos ira tua.

11. Et reliquæ cogitationis &c. i. e. memoria de illo facto, quia Ezechias & populus non solum egerunt gratias DEO semel, quando liberati fuerunt; sed etiam postea, quando illud beneficium occurrebat memoriarum eorum.

12. Vovete, & reddite: Vovere est voluntatis, reddere necessitatis. Omnes, qui in circuitu ejus, qui frequentatis aras Domini, & in circuitu altaris existentes offeritis munera.

13. Qui auferit spiritum Principum, i. e. fastum, superbiam, aut etiam vitam.

## PSALMUS LXXVI.

**P**Ropheta & Synagoga, mystice Christus, & Ecclesia per mira DEI opera orant liberari a malis.

2. Et intendit mihi. Præbuit mihi aures, ut est in Hebreo.

3. DEUM exquisivi manibus meis  
ad eum sublatis, nam propositio  
contra, non raro ponitur pro ad.

4. Defecit Spiritus meus suavitate  
consolationis tuae.

5. Vigilias anticipaverunt oculi mei.  
noctu surgebam ad meditandum,  
antequam militares exubiæ vigi-  
lare inciperent. Turbatus sum, pe-  
ricula hujus vitæ reputando, &  
& calamitates. Et non sum locutus:  
nihil ausus sum pronunciare sciens  
justissima esse judicia tua.

6. Cogitavi dies antiquos: Præte-  
rita tempora, quibus mirabiliter fa-  
vore populum tuum protexisti.  
Et annos aeternos. Hebr. Seculorum,  
ab Adam hucusque in mente habui.

7. Scopebam Spiritum meum: Di-  
ligenter excutiendo conscientiam,  
num ibi lateret culpa, quæ DE-  
UM ad vindictam provocaret.

8. Nunquid in aeternum projicit  
DEUS? Hoc meditabar, num in  
aeternum sua cura, & favore nos  
DEUS destituet.

11. Et dixi, nunc cœpi. Post lon-  
gam anxietatem, & molestam me-  
ditationem cœpi tandem respira-  
re, & meliora sperare. *Hac mu-*  
*tatio ab anxietate mentis, & pu-*  
*fillanimitate, in spem, magnani-*  
*mitem, & quietem, est dextera*  
*Excelsi.*

13. In Adinventionibus tuis. In  
consiliis, & præceptis tuis.

16. Efilos Jacob, & Joseph. No-  
minatur Joseph, quia duæ tribus  
a filiis Joseph nomen habuerunt:  
Ephraim scil. & Manasse.

17. Viderunt te aquæ DEUS. Aquæ  
maris rubri. Est descriptio Poëti-  
ca, quæ rebus inanimatis sensum  
tribuit.

18. Vocem dederunt nubes: To-  
nitrua, & fulgurationes dederunt  
ad terrorem persequentium.

19. Vox tonitrui tui in rota: in  
turbine, qui est ventus vorticulus,  
& in orbem actus instar rotæ.

20. Vestigia tua non cognoscuntur:  
Aquis iterum alveo, per quem  
ambulaveras, superfusis.

## PSALMUS LXXVII.

Propheta decantat beneficia Israëli præstata: Allegorice Ecclesia  
beneficia, & mysteria sub iis figuris deprædicat.

5. Et testimonium: Legem divi-  
nam. Suscitavit in Jacob: de novo  
dedit Israëli in monte Sinai.

7. Et mandata ejus exquirant. Stu-  
diose custodiant.

8. Non est creditus cum DEO spi-  
ritus ejus: Non fuit fidelis spiritus

populi cum DEO, quia sæpe de-  
fecit a fide, & obedientia.

9. Filii Ephrem. Israëlitæ (pars  
seu tribus numerosior, & bellico-  
sior pro toto populo) mittentes ar-  
cum, eximii licet sagittarii, tamen  
conversi sunt, in fugam se dederunt.

12. In campo Taneos. In planicie Aegypti, cuius Regia dicitur Tanis, Urbs ad Nili ostium.

13. Status aquas quasi in utre: in quo ita detinentur, ne effluant: & eodem modo aquæ maris rubri divisæ ex utraque parte detinebantur divina virtute.

17. In aquoso: in deserto aquis carentes, ubi omni humana ope destituti, debuissent ferventius ad DEUM recurrere.

18. Tentaverunt DEUM. Quasi experiri voluissent, quantum facere posset DEUS.

20. Nunquid & panem poterit dare? Escam scil. & carnes, nam manna ante percussionem petræ dederat. Ex modo loquendi autem apparet, quod non ut fideles, sed dubitantes ista protulerint.

21. Ideo audivit & distulit. Commendatur DEI mansuetudo, quia non statim punivit eorum ingratitudinem, sed primo implevit eorum petitionem, paenam distulit, debito tempore infligendam. Et ignis accensus est in Jacob. Furor Domini in posteros Jacob, seu populum Israël.

23. Januas cœli aperuit: nubes rupit, ut quasi e cella sua penaria plueret illis panem cœli in cœlo, id est in aëre confectum, qui cum rore descendebat. Dicitur autem panis angelorum, quia eorum ministerio formabatur, aut descendebat, non vero, quod angelie eo, ut cibo, uterentur.

26. Transiit Austrum de Cœlo:

Fecit, ne flaret amplius Auster, sed loco ejus Africus, oppositus Austro, ut ita commodius ex partibus trans mare rubrum circa occidentem sitis deferrentur coturnices in castra Hebraeorum.

27. Et pluit super eos sicut pukverem: valde abundantem carnes.

28. Et occiderunt in medio castrorum circa tabernacula, volabant coturnices in aëre duorum cubitorum altitudine, ut habetur Numer. 17. ita, ut sine difficultate possent eas capere.

29. Desiderium eorum attulit eis. Dedit eis, quod desideraverant.

30. Adhuc Esæ eorum erant in ore ipsorum: Nondum defecerat hujusmodi carnium cibus.

31. Occidit pingues eorum: Magnates, & viros primarios. Eleemos impeditivit: Præcipios Israélitarum, ne ingredierentur in terram promissam.

34. Cum occideret eos, quarebant eum: Cum eos DEUS plagis affligebat, & atterebat malis, convertebantur ad eum.

39. Recordatus est, quia caro sunt: fragiles, & proni ad lapsum propter somitem ex carne procedentes.

43. Misit in eos cynomiam: omne genus muscarum. 70. vertunt: cyninam, muscam, quæ impudens, & mordax erat instar canis.

46. Dedit arugini: vento urenti, qui corrumpit ségetes.

49. Immisiones per angelos malos: Vel dæmones intelligit, vel bonos

an-

angelos, hæc mala inferentes. Notatur hic etiam plaga primogenitorum occisorum.

54. In montem sanctificationis suæ: Sic appellat Iudæam, magna ex parte montosam. Sorte divisa est terra in funiculo distributionis: Quia ad dividendos agros, & eorum fines constituendos olim funiculis utebantur.

57. Convergi sunt in arcum pravum. Hieron. incurvati sunt, quasi orcus inutiles: seu dolosus ut vertunt alii, qui scopum non petit.

60. Repulit tabernaculum Silo: Tabernaculum, quod erat in Silo, in quo tabernaculo servabatur arca foederis, deseruit, & arcum in Philistæorum manus venire permisit.

61. Tradidit in captivitatem virtutem eorum. Arcam DEI, qua erat quasi vexillum, & fortitudo populi Israël.

63. Virgines eorum non sunt lamentatae: passive ponitur. Hebr. laudatae: manserunt innuptæ.

64. Vidua eorum non plorabantur: nemo eas consolabatur super morte maritorum.

65. Excitatus est: contra Philistæos tanquam potens crapulatus a viño: tanta ira, & furore vindictæ insurrexit in eos, quanta solet robustissimus miles, dum vino æstuans afficitur ab aliquo injuria. Ita August. Theodoret.

66. Percussit inimicos suos in posteriora: in secretiore parte natum ut habetur 1. Reg. 5. & cum arca remiserunt annos aureos recognoscentes plagam suam vilem. Opprobrium sempiternum dedit eis propter pudendum morbi genus.

67. Repulit tabernaculum Joseph. Noluit ultra tabernaculum suum esse in Silo, urbe tribus Ephraim, seu Joseph, qui fuit Pater Ephraim.

68. Sed elegit tribum Juda. Et in ea montem Sion ubi regni, & templi sedem constituit, idque propter Christum, qui ex illa tribu erat exiturus.

69. Et adificavit sicut unicornis sanctuarium suum. Hieron. & Chald. Sanctorium, i. e. templum. Sicut facere solent unicorns, qui præceteris animalibus magnificas sibi mansiones alto, & prærupto loco, easque stabiles struunt. Sic Deus templum in arce Sion sibi struxit excelsum, magnificum, non mobile, ut in Silo, sed stabile in æternum. Allegorice est Ecclesia Christi.

70. De post factantes accepit cum. Dum ut pastorculus foetas & prægnantes oves sequeretur.

71. Pascere Jacob. gubernare populum Israël. In innocentia cordis sui: in puritate conscientiae. In intellectibus manuum suarum: prudenti directione.

## PSALMUS LXXVIII.

**P**Saltes, & Synagoga deplorat vastationem Urbis, templi, & populi sub Nabuchodonosor, & Antiocho. Allegorice Christus DEO queritur Ecclesiæ devestationem per Hæresiarchas & Anti-Christum.

1. Posuerunt Jerusalem in pomorum custodiam: Magnam, & inclytam Jerosolymam in vile tuguriolum redegerunt, quale inhabitant custodes fructuum in hortis.

2. Posuerunt morticina, corpora occisorum, escas volatilibus cœli, quia super terram remanserunt inseputa.

6. Effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt. Hi versus, & sequentes ab Jeremia repetuntur

Cap. 15. Iique sunt prophetatis, non optantis, nisi, ut iniqui punitione ipsa corriganter; vel in exemplum aliorum cedat eorum punitio.

7. Quia comederunt Jacob: bona filiorum Israël, seu Jacob diripuerunt, multos occiderunt.

11. Posside filios mortificatorum: Conserva, vindica filios occisorum, ut ex hac sobole tibi novus populus accrescat.

## PSALMUS LXXIX.

**D**Eplorat vastationem vineæ Domini, i. e. Synagogæ; allegorice Ecclesiæ, tropologice animæ peccatricis.

2. Qui regis Israël intende: respice populum tuum, & orationem ejus audi. Qui deducis velut ovem Joseph Judæos, Josephi seu filios, seu cognatos. Nam ex quo in Ægypto sub Josepho peregrinati sunt filii Israël ab ipso, tanquam a capite familiae (cui etiam cessit jus primogeniturae) sæpe vocari solebant filii Joseph.

3. Manifestare. Osteride faciem tuam placatam, & propitiam. Coronam Ephraim, Benjamin, & Manasse. Haec tres tribus ex Rachele pro-

gnatae sunt, castrametabantur in deserto ad plagam occidentalem arcæ, id est ad Sanctum Sanctorum, ita ut arca, & consequenter Deus insidens arcæ semper versaretur immediate ante has tribus, quod erat indicium specialis favoris.

4. Converte nos ad te, per pœnitentiam nos tibi reconcilia.

6. Cibabis nos plane lacrymarum. Quousque nos largis, & diuturnis lacrymis conficies? in mensura, scilicet maxi-

maxima. Chald. tripliciter, seu multipliciter.

9. *Vineam tuam, Synagogam Hebræorum. Plantasti in terra sancta stabiles sedes ei dedisti, ejectis inde Chananaeis.*

11. *Operuit montes umbra ejus: Alludit ad Judæam, quæ fere tota montosa est, quam incolarum multitudo operuit.*

12. *Extendit palmites suos, incolas e gente Hebræorum, usque ad mare mediterraneum, & usque ad flumen Euphratrem.*

13. *Destruxisti maceriam. Cura, & tutela destituisti populum tuum. Vindemiant eam, diripiunt, ut sit in vineis, quarum sepes dissipata sunt.*

14. *Exterminavit eam aper de silva. Vel Salmanasarem intelligit, qui 10. tribus; vel Nabuchodonosorem, qui reliquas duas transtulit in Assyriam.*

16. *Et super filium hominis: Super Christum Dominum Messiam, & illius causa, qui ex hac gente nasceretur, benefac toti populo Israëlis. Quem confirmasti tibi, quem tibi in filium, & hæredem stabili-visti in æternum.*

18. *Fiat manus tua: Adsit omnipotentia tua protegens. Super virum dexteræ tuae Christum Dominum, quem detersa tua sola formasti in castissimo Virginis ute-ro.*

## PSALMUS LXXX.

**I**Nvitat omnes ad læte celebrandum festum Neomeniæ & tubarum institutum ad DEI beneficia recolenda.

4. *Buccinate in Neomenia: in festo novilunii. In insigni die solemnitatis vestrae: festo tubarum, quod incidebat in primum diem, seu novilunium mensis Tisri, seu Septembribus.*

5. *Quia præceptum in Israël est. Præceptum, testimonium, judicium idem sunt: in Jacob, & Joseph positum a DEO fuit; qui duo populum repræsentant, ille ut genitor, hic ut reparator.*

7. *Manus ejus in coprino servierunt: In canistris, & sportis, qui-*

*bus cogebantur Israëlitæ portare lateres, paleas &c.*

8. *Probavi te explorando tuam in me fidem. Apud aquam contradictionis sic dictam, quia propter illam cœpit populus Moysi contradicere, & ejus imperium detrectare.*

9. *Contestabor te. Palam, & publice te commonefaciam. Non erit in te DEUS recens idolum, falsi gentium Dii.*

11. *Dilata os tuum, aperi, & pande postulationem tuam.*

13. *Ibuni in adinventionibus suis,*

studiis, & pravis cupiditatibus suis obsequentes.

15. *Pro nihilo nullo labore, forsitan: modus loquendi ad ostendendam loquentis, vel facientis libertatem, & modestiam.*

16. *Inimici Domini: nempe Israëlitæ rebelles DEO, mentiti sunt ei, violarunt datam ei fidem, Et eris tempus eorum, quo variis ca-*

lamitatibus punientur, *in secula;* quod S. August. intelligit de sup-  
pliciis æternis.

*Cibavit eos ex adipe frumenti q. d. cum tamen DEUS ingratos cibas-  
set ex medulla frumenti, & de  
petra melle, aqua dulci instar mel-  
lis; quod contigit primo in de-  
serto Exod. 17. deinde etiam in  
ipsa terra Sancta.*

## PSALMUS LXXXI.

**I**njustis Judicibus minatur DEUS exitium.

1. *DEUS stetit in Synagoga Deorum, Judicum, qui participant de eminentia judicii Divini, arguens eos, & judicans.*

2. *Ecclies peccatorum sumitis: Personas respicitis, & in gratiam eorum fertis sententiam.*

3. *Judicate egeno. Pro egeno, & pupillo pronounceate, cuius causa est æquior.*

5. *In tenebris ambulant ignorantia, & injustitia. Movebuntur omnia fundamenta terra: Totus orbis turbabitur, si judices pravis, & corruptis moribus fuerint. Deficien-*

te enim justitia confunditur uni-  
versa ratio humanæ vitæ, & con-  
victus.

6. *Ego dixi, Dii estis: ostendit,  
quam indigna sint hæc vitia pro-  
pter sublimem honoris gradum,  
in quo DEUS judices collocavit.*

7. *Sicut homines moriemini: Meo quidem munere propemodum Dii estis, vestro autem vitio vos demittitis, & parem cum vulgo exitum habebitis.*

*Et sicut unus de Principibus tyran-  
nis, cadeatis, e vita violente extur-  
babimini, ut communiter tyran-  
nis accidit.*

## PSALMUS LXXXII.

**P**ropheta, & Synagoga hostibus prophetice exitium minatur.  
*Allegorice idem facit Ecclesia DEUM deprecans, ut incredu-  
los, & infideles conturbet, & confundat.*

2. *No razzas, neque compescaris: Ne retineas amplius vindictam.*

3. Inimici tui sonuerunt: cum fremitu armorum, & sonitu tubarum venerunt.

4. Malignaverunt consilium: maliciose consultaverunt, ut nos, si possint, perdant.

5. Disperdamus eos de gente. Ne amplius sit gens, inter homines locum ultra non habeant.

6. Disposuerunt testamentum: fœdus inierunt contra te.

7. Tabernacula Idumæorum. Hi sunt descendentes ab Esau, qui altero nomine dicebatur Edom. Et Israëli: Isti descenderunt ab Ismaël, filio Abrahæ, & odio habebant filios Israël, qui descendebant ab Isaac. Moab: fuit filius Lot, sicut & Ammon, qui postea ponitur. Et Agareni: Populi Arabiæ ab Agar, matre Ismaëlis, originem trahentes, qui postmodum, ut gloriosius nomen sibi facerent,

Saracenos se a Sara, uxore prima-  
ria Abrahæ, nominari voluerunt.

8. Gebal, & Ammon. Gebal Re-  
gio Arabica.

9. Assur venit cum illis, etiam As-  
syrii, tam procul disti.

10. Fac illis: Hic implorat vi-  
dictam contra prædictos hostes si-  
cū Madian & Sisa: quos miracu-  
loso debellavit DEUS.

11. Disperierunt in Endor. In tri-  
bu Manassis. Facti sunt ut ster-  
cera terra: Hebraismus: fuerunt con-  
culcati.

14. Pone illos ut rotam: Fac, in-  
stabilis sint, & volubiles ruant,  
ut rota in loco declivi.

15. Sicut ignis, qui comburit silvam,  
qui magna velocitate, & impetu  
silvam pervadit, & absimit. Flam-  
ma comburens montes Sylvosos, vi-  
detur enim esse repetitio ejusdem  
sententiaz.

## PSALMUS LXXXIII.

**D**AVID e loco exilii sub Absolon suspirat ad templum Domini:  
Allegorice Ecclesia, tropologice fidelis anima in tribulacione  
posita ad cœlestem patriam aspirat.

3. Concupiscit & deficit anima mea:  
præ desiderii vehementia. Cor:  
anima, & caro corpus: seu ego  
totus exulto, & gestio ad DEUM  
pervenire.

4. Etenim passer invenit sibi domum  
&c. Ego deteriore conditione  
sum, quam avicula. His enim  
patet aditus ad templum, & ad  
altaria tua, juxta quæ nidulantur.

Tropologice passer sunt contem-  
platores, turtur casti.

6. Ascensiones in corde suo disposuit.  
Nil aliud cogitat, quam, quomodo  
ad te perveniat.

7. In valle lacrymarum: Quam-  
diu est in hoc mundo flebili, &  
luctuoso. In loco, quem posuit: in  
quem homo sua culpa venit, post-  
quam e paradise excidit.

8. *Videbitur DEUS Deorum in Sion: Sistet se in Sion terrestri, aut potius cœlesti, & ibi non jam tabernaculum, aut arcum, sed ipsum DEUM videbit.*

10. *Respicere in faciem Christi tui. Fave Davidi uncto a te in Regem. Allegorice: fave nobis propter Meliam filium tuum.*

11. *Melior est dies una in atriiis tuis: in cœlesti beatitudine, super millia: plusquam mille dies, etiam*

*felicissimi extra tabernacula tua. Elegi abjectus esse in domo DDI: Malo vile aliquod ministerium obire in tabernaculo tuo, quam vivere splendide in amplis palatiis etiam Regum.*

12. *Quia misericordiam, & veritatem: i. e. justitiam diligit DEUS, Gratiam in præsenti, & gloriam in futuro dabit Dominus vere humilibus.*

## PSALMUS LXXXIV.

**O**rat, ut intuitu Christi plene reconcilietur DEUS iis, quos e captiuitate Babylonica liberaaverat. Allegorice, peccatoribus pœnitentibus.

3. *Operuisti omnia peccata eorum: Non vis ea amplius videre ad puniendum.*

7. *DEUS tu conversus vivificabis nos: Iterum e periculis eripies nos.*

8. *Salutare tuum da nobis: Salutem tuam, quam e te expectamus; Christum Salvatorem.*

9. *Audiam, quid loquatur in me Dominus: Ut certos nos reddat Propheta eorum, quæ dicturus est, monet se non loqui a se ipso, sed ex Divina revelatione. Quoniam loquetur pacem: Reconciliationem cum hominibus Christo exhibito, prospera etiam omnia, hoc enim pax apud Hebraeos significat. Super Sanctos suos Populo sibi specia-liter dilecto.*

10. *Prope timentes cum salutare ipsius: qui timent, & colunt DEUM, saluti proximi sunt.*

11. *Misericordia, & veritas obviaverunt sibi: Simul convenerunt in persona Christi: quia ex DEI misericordia Verbum assumpsit carnem ad complendam veritatem promissionis factæ Patribus veteris testamenti de incarnatione filii DEI.*

*Justitia & pax osculatae sunt: Quia Christus in sua passione satisfecit pro nobis per viam justitiae, quam justitiam statim pax fuit osculata, quia per sanguinem suum pacificavit ea, quæ sunt in Cœlis, & in terris Col. 1.*

12. *Veritas de terra orta est: Christus, qui veritas est, natus est de B. Virg.*

B. Virgine, quæ terra vocatur  
Isaïæ 45, Aperiatur terra, & ger-  
minet Salvatorem. Justitia de Cœlo  
prospexit: Pater æternus in Cœlo,

imo tota SS. Trinitas decrevit, ut  
pro peccatis hominum via justi-  
tiaz præstaretur satisfactio.

## PSALMUS LXXXV.

David, allegorice Christus, Tropologice fidelis postulant ab  
hostibus defendi, & omnes gentes ad Christum converti.

8. Quoniam sanctus sum: Ex eo-  
rum numero, qui te colunt.

7. Quia exaudiisti me Hebr. exau-  
diens: ut soles.

8. Non est secundum opera tua:  
Tuis factis, & operibus nulla ope-  
ra aliorum Deorum comparanda  
sunt.

11. Lætetur cor meum, ut ti-  
meat nomen tuum. Hæc unica sit læ-  
titia cordi meo, quod timeat, re-  
vereatur, amet, & colat te.

13. Eruisti animam meam, vitam  
meam. Ex inferno inferiori: Ex lim-

bo Patrum, qui est pars inferni,  
& eo descendit tam Christus,  
quam David. Moraliter designat  
extremas miserias, & calamitates.

16. Da imperium tuum puer tuo.  
Imperium Israëlis, quod mihi vio-  
lente eripere tentant: Hieron. &  
Chald. Da fortitudinem: nempe,  
qua imperium mihi stabiliam.

17. Fac mecum signum in bonum.  
Declara signo aliquo externo v.  
g. insigni victoria, tuum in me  
favorem.

## PSALMUS LXXXVI.

Propheta, & Synagoga laudat Jerusalem, allegorice Ecclesiam  
Christi.

1. Fundamenta ejus in montibus  
sanctis. Fundamenta templi, aut  
sanctæ Civitatis in montibus Mo-  
ria, & Sion sunt, ac sub ejus fig-  
ura Ecclesia, quæ est Civitas su-  
per montem posita.

2. Diligit Dominus portas Sion: i.  
e. approbat, & dicuntur hic por-  
te Sion illa, per quæ fit ingressus  
ad Ecclesiam militarem scil, ex-

orcismus, catechismus, baptismus.  
Super omnia tabernacula Jacob, super  
cultum veteris legis, qui fuit in  
variis tabernaculis, ut Moysis, Da-  
vidis, Salomonis.

3. Glorioſa dicta sunt de te: tam  
in novo, quam veteri testamento.  
Civitas DEI: Civitas est Civium  
unitas: In Ecclesia vero in omni-  
bus nationibus uniuntur homines  
per

per fidem & charitatem Christi;  
per quod efficiuntur cives cœlestes, juxta illud: Ephes. 2. Jam non estis hospites, & advenæ.

4. *Memor ero Rabab:* Vox Rabab non significat meretricem, de qua fit mentio Jos. 2. illud enim homen scribitur per *obel*, istud per *be.* Et significat Aegyptum, aut Regem Aegypti. Rabab enim significat superbum; unde & S. Hieron. vertit: *memor ero superbia:* Sensus ergo est: In hac Ecclesia etiam superbi Aegyptii, & Babylonii scient, agnoscent, & colent me; & ego vicissim agnoscam eos, & memor ero illorum. *Alienigenae . . . bi fuerunt illic.* Philistæ, & alii gentes erunt in Ecclesia. Ponitur hic, ut alias in prophetiis, præteritum pro futuro.

5. *Nunquid Sion dices?* (Hier. & Chald. Sioni dicitur, congratulando illi) homo & homo, seu plurimi homines nati sunt in ea, nempe, ut in Hebreo est, viri excellentes, & strenui. Alleg. in Ecclesia.

6. *Dominus narrabit in Scripturis populorum:* Hos viros insignes Cives Sionis commemorat in Scripturis sacrâs, & historiis Ecclesiasticis. Sic Apostolorum mentio fit in Evangelio & actis Apostolorum.

7. *Sicut latantium omnium: quotquot in te habitant, verissime latantur.* Sicut enim non est hic nota similitudinis, sed asseveratio-  
nis. Hoc plenissime complebitur in cœlis inquit S. August.

## PSALMUS LXXXVII.

**P**ropheta & Synagoga in afflictione; Christus in passione, fidelis in tribulatione salutem, & auxilium petit.

1. *Filiis Core in finem pro Mabelet &c.* Sensus totius tituli videtur esse: Canticum Psalmi filiis Core datum ad canendum usque in finem supet choros, vel super instrumento musico, Mabelet appellato, ad respondendum, alternatim canendo, in quo explicatur eruditio sive intelligentia, mysterio plena, Eman Ezrahitæ, sive ipse sive David in ejus persona psalmum composuerit.

4. *Vita mea inferno appropinquavit:* prope absuit a morte.

5. *Aestimatus sum cum descendantibus in lacum.* Morientibus, aur morituris annumeratus sum, qui in foveam sepulchri demittendi sunt. *Factus sum sicut homo sine adjutorio:* ab omnibus destitutus sum. Sic Christus claimavit in cruce: *DEUS meus &c.*

6. *Inter mortuos liber:* Ab his afflictionibus non appetat libera-  
tio,

tio, nisi per mortem. *Sicut vulnerati dormientes in sepulchris: Exstremabam me esse similem ceteris occisis, quorum cadavera in sepulchris jacent.*

*Quorum non es memor amplius: Ut illos nunc ad vitam revoces, licet in extremo die suscitandi sint.*

7. *Posuerunt me in lacu inferiori: Videlur dici de descensu Christi ad inferos, aut si de Davide, notat multiplices miseras, quibus ab hostibus afflatus fuit.*

8. *Omnis fluctus tuos malorum, & afflictionum induxisti super me.*

9. *Posuerunt me abominationem sibi: Noti mei meum conspectum abominantur, & horrent. Traditus sum quasi in carcerem. Hebr, inclusus sum, & non egrediebar. Licet Christus egredi, & liberari potuisset, noluit tamen, quia decretum illi erat mori pro hominum salute.*

10. *Oculi mei languerunt: dolo-*

*re, & fletu debilitati. Prae inopia, miseria, & calamitate.*

11. *Nunquid mortuis facies mirabilia? suscitando eos. Aut Medici arte sua poterunt eos ad vitam reducere.*

12. *Nunquid narrabit aliquis in sepulchro &c. Mortui non praedicabunt misericordiam tuam, sed viventes: ideoque a vivorum numero non eximas me, ut te laudare possim. In perditione: Perditio, vita amissionem hic significat.*

14. *Oratio mea præveniet te. Cito aderit, pulsans fores misericordia tua.*

16. *In laboribus a juventute mea. Christo, & Davidi convenit. Exaltatus in cruce, humiliatus usque ad mortem, conturbatus propter ruinam populi.*

18. *Circumdederunt me sicut aqua: Scut aqua tangit intrantem undeque; ita pœna tua tetigerunt me in anima, & corpore.*

## PSALMUS LXXXVIII.

**C**anit promissum Davidi in Christo ejus filio, regnum æternum: Unde miratur populum ejus tot jam malis ab hoste affligi.

1. *Ethan Extrahitæ: Viti sapientissimi 3. Reg. 4.*

3. *In æternum misericordia tua edificabitur in Cœlis. Vox Hebreæ edificabitur, significat etiam durabit; tam firma sunt promissa tua, ac status, & ordo Cœli, qui semper sibi constat.*

6. *Coufitebuntur cali mirabilia tua. Angeli, & homines praedican gloriam tuam; illi in cœlis, isti in terris.*

7. *Similis erit DEO in filiis DEI? in angelis.*

9. *Veritas tua in circuitu tuo. Nec  
Kk ate*

a te divelli potest; quasi veritate ipsa cingeris.

11. *Tu humiliaisti sicut vulneratum superbum: Pharaonem & ejus exercitum submergendo.*

13. *Thabor, & Hermon in nomine tuo exultabunt. Thabor mons ad occidentem partem Judææ, & Hermon ad orientalem, id est tota Judææ; allegorice tota Ecclesia, immo totus orbis ob multiplicia beneficia exultabit.*

15. *Justitia, & judicium preparatio sedis tuae: ipsa instruunt, & stabilunt regale solium tuum.*

16. *Beatus populus, qui scit jubilationem: Qui vere ex animo scit laudare DEUM: qui novit verum gaudium, quod est in DEO solo.*

19. *Quia Domini est assumptio nostra: Sua virtute educendo nos de Ægypto in terram promissionis.*

20. *Tunc: Cum inciperes assumere tibi nos in populum electum; nempe olim tempore Patriarcharum. Locutus es in visione: revelasti Prophetis tuis, & promisisti, quod poneres adjutorium in potente: i. e. quod provideres, ut fortis aliquis populo tuo opitularetur: & exaltares electum tuum: scil. Davidem, sed multo magis Davidis filium Christum.*

26. *Ponam in mari manum ejus: Extendam usque ad mare mediterraneum ditionem ejus, & in fluminibus dexteram ejus: usque ad flumina Mesopotamia, Euphra-*

tem scil. & Tygrin porrigam regnum ejus.

28. *Primogenitum ponam illum: Christus, qui secundum divinitatem unigenitus est, secundum humilitatem est primogenitus, quia primus est prædestinatione, primus resurrectione ad vitam immortalē: Unde dicitur: primogenitus ex mortuis ad Colos. 1.*

33. *Vistabo in virga &c. Corrigam, & corripiam castigatione paterna, ut ad bonam mentem revocem, non occidam.*

34. *Neque nocebo in veritate mea. Nihil detraham de fidei promisso semel facto.*

36. *Semel juravi in sancto meo. Per sanctum nomen meum. Semen ejus &c. Christus regnabit in æternum.*

38. *Ibronus ejus sicut Sol: Regnum ejus æternum erit, clarum, & splendidum sicut Sol. Et sicut Luna perfecta, ut Luna in plenilunio fulgens. Et testis in calo fidelis. Quemadmodum Iris jam pridem testis est promissi mei de non inducendis iterum aquis diluvii in universam terram.*

39. *Tu vero repulisti: Hæc quidem olim promisisti, & tamen nunc tanquam omnium oblitus repulisti populum tuum, & despexisti. Videtur David loqui in persona populi, in captivitate Babylonica constituti. Distulisti Christum tuum: Chald, iratus es Christo tuo: Elongasti a te Regem populi tui, Jechoniam videlicet & Se- de-*

deciam, qui captivi ducti sunt in Babylonem.

40. *Evertisti testamentum servi tui.* Promissum & pactum cum servo tuo Davide initum violasse vide-  
ris. *Profanasti in terra sanctuarium ejus:* quasi rem profanam igno-  
miniose in terram dejecisti sacrum  
diadema ejus, & regalem dignita-  
tem.

41. *Destruxisti omnes sepes ejus.* Omnia munimenta regni. *Po-  
suisti firmamentum ejus formidinem:* Fecisti, ut arces, & munimenta  
ejus essent in pavorem & formi-  
dinem: nempe ut in illis formi-  
daremus, & terreremur, nec sa-  
tis tuta esse crederemus.

45. *Destruxisti cum ab emundatio-  
ne: spoliasti eum elegantia, & pre-  
tiosio ipsius cultu regali.*

46. *Minorasti dies temporis ejus.* Tempus regni, quod sempiter-  
num fore dixeras, brevius, & con-  
tractius fecisti.

48. *Memorare, quæ mea substan-*

*tia: quam fragilis sit humana na-  
tura ad casum, & ideo semper in-  
diget tua misericordia. Nunquid  
vane constitueristi &c. an frustra crea-  
sti filios hominum?*

49. *Quis est homo, qui vivet, &  
non videbit mortem? q. d. nullus;* quia statutum *est omnibus semel  
mori.*

51. *Memor esto opprobrii &c. quod  
sustinent servi tui a multis genti-  
bus, quod continui in sinu meo: quod  
tacitus devoravi, & jam non com-  
memoro, sed prætereo.*

52. *Quod exprobaverunt commu-  
tationem Christi tui.* Exprobabant  
fidelibus: ubi manet promissus to-  
ties Christus vester? sed his bla-  
phemiiis hoc unum opponit Pro-  
pheta:

53. *Benedictus Dominus in æter-  
num. De omnibus quæ fecit no-  
bis, prosperis, & adversis secun-  
dum illud psalmi 23. benedicam Do-  
minum in omni tempore scil. prospe-  
ritatis, & adversitatis.*

## PSALMUS LXXXIX.

A quo incipit Liber IV. Psalmorum, qui fere totus est de Mes-  
sa. Hoc Psalmo deplorat Moyse vitæ humanae brevita-  
tem, & multiplices ærumnas ex peccato: oratque corrigi hæc per  
Christum.

1. *Oratio Moysei hominis DEI:*  
Non dicitur oratio Moylis, quod  
is Psalmum hunc composuerit,  
sed quia David Moysem loquen-  
tem inducit.

3. *Ne avertas hominem in humili-  
tatem: Ne sinas hominem cadere  
in æternam miseriam. Et ( pro  
quia) dixisti: convertimini: ad me,  
protestatus es te nolle mortem pec-  
cato-*

catoris, sed ut convertatur, & vivat.

4. *Quoniam mille anni.* Etsi ætas hominis essent mille anni, tamen ante oculos tuos tuo judicio, & aestimatione sunt tanquam dies hecclera, quæ pariter præteriit. Et custodia in nocte: mille isti anni sunt instar unius vigilæ nocturnæ, quæ trium horarum spatium complectitur. Quid igitur hominem ad istam ætatem non pervenientem pro peccato super mortem affliges?

6. *Mane sicut herba transeat.* Per: mane intelligitur principium humanae vitæ, per: vespere finis. Et sicut aliquando herba floret mane, & vespere desiccatur, sic etiam finis humanae vitæ ejus principio cito succedit. Quod dicitur *transeat*, & *arescat*: sunt imperative positi pro futuris indicativi.

8. *Sæculum nostrum in illuminazione vulnus tui.* Decursum vitæ nostræ ante te constituisti.

9. *Anni nostri sicut aranea meditabuntur:* passime, pro reputabuntur: Quidquid moliuntur homines toto vitæ lute tempore, tale

est, ac si aranea telam texat; nimurum rem mox peritoram magno labore agunt.

10. *Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni,* adeo breves sunt, ut in ipsis fere non plus sit quam 70. anni. Si autem in potentatibus Eccl. Si autem in potenti, & firma corporis constitutione, & valetudine fuerint, octoginta. Et amplius eorum labor, & dolor: quidquid est amplius ultra 80. est labor & dolor.

*Quoniam supervenit mansuetudo:* Particula quoniam hic non est causalis, sed idem significat, ac verum: Sensus est: ingravescente ætate mitescant affectus, & humiles redduntur, ac modesti, qui fuerunt feroce.

12. *Dexteram tuam sic notam fac:* In hac misera conditione nostra notam fac nobis potentiam, misericordiam, & opem tuam. Et eruditos corde in sapientia. Exhibe nobis eruditos Doctores, & Prophetas, ne falsis, & insipientibus nos præbeamus seducendos.

14. *Repleti sumus manu (citissime) misericordia tua.*

## PSALMUS XC.

**H**ortatur ad collocandam in DEO omnem fiduciam, tanquam in asylo tutissimo. Servit tentatis, & tribulatis.

1. *Laus Cantici David.* Idem quod Psalmus Cantici: Nota ex S. Hilario, & S. Chrysost. in prologo psalmorum: Psalmus est so-

nus organi solius sine ulla voce hominis cantantis; Canticum est vox hominis sine ulla organi modulatione. Psalmus cantici dicitur,

tur, cum canticō præcīnente psalmi sonus subsequitur; canticū psalmi, cum sono præeunte & mu-la vox canentis auditur.

3. *Ipse liberabit me - - Et a verbo aspero:* Verbum pro re molesta usurpatur.

5. *Non timebis a timore nocturno.* Horrorem, & terriculamenta spectrorum, tumultuumque nocturnorum inopinato obvenientium.

6. *A sagitta volante in die,* a sūbitis casib⁹, & periculis, quæ instar sagittæ ex improviso involant, ut sunt beneficia sagarum, vene-na hostium, gladii latronum &c.

*A negotio perambulante in tenebris.* A curis, & solitudinibus noctis, sive nox accipiatur in sensu literali, sive translato pro nocte tribulationis, & adversitatis.

*A diemōnō meridiano.* A quounque mali impetu, palam & quasi meridie nos invadente.

7. *Cadent a latere tuo mille &c.* Si adfueris in prælio inter confrētos militēs, videbis hominum milia hinc, atque illinc cadere, quin tela atque iecus inimicorum ad te usque perveniant, altior viste pro-teget.

12. *In manibus portabunt te.* Suo ministerio dirigent te in via: ne offendas ad lapidem: ne detrimen-tum, licet exiguum patiaris.

13. *Super aspidem, & basiliscum ambulabis.* Venenata animalia populo peregrinanti in deserto, ubi magna est eorum copia, non nocuerunt, dum in DÉO sper-a-vit.

## PSALMUS XCI.

**L**aus misericordiæ & veritatis Domini: Admirabilis operum illius magnitudo; Impiorum lapsus, justorum felicitas, DEI sapientia.

3. *Ad annunciandum mane misericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem.* Id est, semper & omni tempore. Alii per mane intelligunt prosperitatē, per noctem, adver-sitatem.

4. *In decachordo.* Instrumento decem chordarum.

5. *Delectasti me in factura tua.* Non factura delectare debet, sed DÉUS in factura: nam periculosum est sistere in delectatione creaturæ.

8. *Cum exorti fuerint peccatores sicut fenum:* Transit Propheta ad opus gubernationis, & providentiae divinae, in qua præcipue veritas, & justitia elucet; *Sicut fenum* quod cito arescit, & desiccatur; & apparuerint, modico tem-pore florentes temporali prospe ritate. *Ut intereant in saeculum saeculi:* Fiet, ut intereant.

11. *Exaltabitur sicut unicornis cor-nu meum.* Nempe sic altissimum,

durissimum, & pulcherrimum, erit robur, decus, & regnum meum. Et senectus mea exaltabitur in misericordia uberi, copiosa, & larga munificentia DEI.

12. *Et despexit oculus meus inimicos meos.* Non amplius timebo inimicos meos, sed eos despiciam. *Et in insurgentibus in me malignantibus.* Et de malis insurgentibus ut perdant me, audies auris mea, eos interiisse.

13. *Justus ut palma florebit.* Quæ 1. semper viret. 2. firmissima arbor est. 3. fructum dat suavissimum. 4. diutissime vivit: unde Symbolum immortalitatis est. 5. quo magis deprimitur, altius aſurgit. 6. aspera est radice in ter-

ra, sed pulchra, & alta coma sub cœlo.

*Et sicut cedrus.* Quæ 1. altissima arbor est. 2. incomputrescibilis. 3. rectissima. 4. semper foliis ornata. 5. odore est suavissimo. 6. undique copiose se multiplicat ramiſ, & foliis. 7. umbra ejus est gratissima. Opponit vero has lignes justorum proprietates fœno sterili, & instabili impiorum.

14. *Plantati in domo domini: in Ecclesia.*

15. *Multiplicabuntur adhuc in senecta uberi.* Crescent amplius in fortunæ, naturæ, & gratiæ donis, in vegeta, & fœcunda senectute. *Bene patientes erunt.* Græcisimus: bene affecti, & patientes.

## PSALMUS XCII.

**L**AUDAT DEUM ob creationem mundi. Allegorice ob fundatam Ecclesiam.

*Die ante Sabbathum, feria sexta, quando terra fundata est.* Scil. plene: vel ut alii ex Græco vertunt: *inhabitata est.* Nam die veneris creati sunt primi terræ incolæ Adam, & Eva.

1. *Indutus est Dominus fortitudinem.* Indumentum (quod erat natura humana) factum est impassibile, & immortale in resurrectione. *Et præcinxit se,* instar potentissimi Regis.

2. *Parata scaes tua ex tunc.* Ex eo tempore, quo confirmata est terra, solium etiam regni tui fir-

matum est; semper enim omnium Dominus fuisti. *A seculo tu es:* quanvis sedes regni tui parata sit a tempore creationis, tu tamen tunc non cœpisti esse, sed ab æterno sine principio es.

3. *Elevaverunt flumina vocem suam.* Describit strepitum fluminum, cum Dominus aquas, quæ prius totam terræ faciem operiebant, in suos alveos, & receptacula conclusit. Allegorice significatur motus, & bella contra regnum DEI, & Ecclesiam.

4. *Mirabilis in altis Dominus. Mirabiles elevationes maris, mirabilis altissimus, qui eas regit, & compescit.*

**PSALMUS XCIII.**

**P**recatur *DEUM* prophetice, ut superbos, & impios puniat, qui innocentes opprimunt.

1. *DEUS ultionum libere egit: nemine prohibente, cum sit omnium Dominus semper ultus, & impios, quamvis nobiles, & potentes.*

5. *Populum tuum humiliaverunt. Hebr. attenuarunt; attriverunt.*

8. *Et stulti aliquando sapientia. Vos de populo Israël, qui estis separati ab Ægyptiis, veritatem circa divinam providentiam cognoscite.*

9. *Qui plantavit aurem non audiet? Estne possibile eum, a quo omnes habent, ut videant, & audiант, non audire, nec videre.*

10. *Qui corripit gentes &c. Qui gentes etiam profanas, & alienas a sui notitia castigat, vobisne parcer?*

12. *Beatus homo, quem tu erudieris: docueris, ut se a veritate abducat, & ad bonam mentem redeat: de lege tua &c. in lege tua institueris.*

13. *Ut mitiges ei a diebus malis: Ne scil. supra vires opprimatur,*

*donec fodiatur peccatori fovea: donec illi intereant, qui ipsum vexant.*

15. *Quoadusque iustitia convertatur in judicium. Denec iustitia illius in impios animadvertat. Non significatur autem populum postea a Domino esse deserendum, sed hoc innuit, non ante, multo minus post justos a DEO esse repellendos, imo contra omnem vim semper protegendos.*

17. *Paulo minus habitasset in inferno anima mea. Si Dominus non tulisset opem, actum erat de nobis, ad sepulchrum redacti essemus.*

18. *Si dicebam in oratione, notus est pes meus: vacillant res meæ, statim DEUS opem tulit.*

20. *Nunquid adhaeret tibi sedes iniquitatis, qui singis laborem in præcepto. An instar iniquorum judicium non administrabis nobis iustiam, etiam postquam tam ardua præcepta, quæ nobis dedisti, servavimus.*

**PSALMUS XCIV.**

**E**xcitat omnes ad *DEI* cultum, laudem, obedientiam.

1. *Venite exultemus Domino: non passibus corporis, sed affectibus mentis per fidem, & devotionem.*

2. *Praeoccupemus faciem ejus.* S. Hier. & Chald. *præveniamus:* scil. antequam irascatur, & nos puniat.

7. *Nos populus pascue ejus, & oves manus ejus.* Ab illo quasi pastore deductæ ad pascua.

9. *Sicut in irritatione &c.* Ut olim fecerunt Patres nostri DEUM sua incredulitate ad iracundiam provocando.

*Tentaverunt me Patres vestri.* Periculum facere volentes potentia, & fidelitatis meæ.

10. *Quadragesima annis offensus fui*

generationi illi. Ideoque in terram promissam non introduxi toto illo tempore, sed variis malis & cladibus affixi. In psalterio Romano legitur: *Proximus fui:* illius scil. preces audiendo, per desertum deducendo, & cum peccarunt, flagellis cædendo. *Et dixi semper huius errant corde:* Et talis error erat affectibus, & sic non alleviabat, sed magis aggravabat.

11. *Si introibunt in requiem meam.* Non introibunt, aut: mendax sum, si introibunt in terram promissam. Anagogice in cœlum.

## PSALMUS XCV.

**I**Nvitat omnes ad DEUM laudandum in Sion: Allegorice nos Christiani a DEO invitamus ad DEUM celebrandum in Ecclesia propter futurum judicium. Psalmus iste in translatione arcæ cantatus fuit.

3. *Annuntiate de die in diem salutare ejus:* Celebrate quotidie salutem, quam ipsius beneficio per Christum consecuti sumus.

5. *Quoniam omnes Dii gentium demonia.* In omni idolatria est tacitus saltus cultus dæmonum.

6. *Confessio:* qua tolluntur immunditiae interiores, & pulchritudo: munditiae exteriores appositæ. In conspectu, in cultu ipsius. *Sanæmonia:* i. e. applicatio ad Divina, & magnificencia in sanctificatione: in cultu novæ legis, qui sanctificatio dicitur, eo quod sanctificet culto-

res, quod non faciebat cultus veteris legis.

7. *Afferte Domino patriæ gentium.* i. e. familia gentium Graecæ enim πατρια familiam significat.

8. *Tollite hostias:* Afferte hostias ad Sacrificia, spirituales hostiæ sunt Sacrificium cordis contriti, confessio peccatorum, oratio, elemosyna, & similia. In Hebreo est mincha, quod significat hostiam incruentam, ac præsertim ex farina confectam, id quod recte Eucharistiam interpretabitur. *Introite in atria ejus.* In Ecclesiam; aggregate vos Ecclesiæ,

10. *Quia Dominus regnavit*: Per fidem, & cultum. S. August. in hunc locum addit: *regnavit a ligno*, & urget contra Donatistas. Idem addit Tertullianus, & ita citat L. 3. contra Marcionem. Et Justinus adversus Triphonem dicit erasum fuisse a Judæis. In Hebreo tamen & Græco hodie non repudiuntur prædicta verba: *Correxit orbem terræ*: prius depravatum,

maxime idololatria. *Qui non commovebitur*: allegorice Ecclesia a vera Religione, & fide nunquam deflectet.

11. *Lætentur cœli, & exultet terra*. Excitat ad lætitiam omnes res creatas propter adventum Domini tum primum, tum secundum. *Commoveatur mare*: exultet, & gestiat; *plenitudo ejus*: Pisces, & cætera mari comprehensa.

## PSALMUS XCVI.

### Describit extremum Judicium, & Majestatem Christi.

1. *Huic David, quando terra ejus restituta est*. Forte quando post mortem Absolon regnum Davidi restitutum fuit. *Dominus regnavit*: scil. ab æterno, adeoque regnat, & regnabit in æternum.

2. *Nubes, & caligo in circuitu ejus*. Magnus DEUS majestatem suam non detegit; infirma enim mortalium oculorum acies fulgorem illius sustinere non posset; tenebrisca nube se abscondit, non secesus, ac olim in deserto. Hæc est Poëtica Divinæ Majestatis descriptio.

*Justitia & judicium correctio sedis ejus*. Thronus supremi hujus Monarchæ a justitia, & æquitate fulcitur.

3. *Ignis ante ipsum præcedet*. Ignis conflagrationis ante judicium extremum, quo omnia consumenda sunt.

4. *Vidit, & commota est terra*.

Timuerunt terræ habitatores.

5. *Montes sicut cara fluxerunt*. Terra, & montes terrore quodammodo correpti fuerunt (præteritum pro futuro) coram Omnipotente, & dissoluti sunt. Hæc loquendi rationes in Scripturis sunt familiares, & mirum in modum declarant eam reverentiam, quæ Divino aspectui debetur.

6. *Annunciaverunt Cœli &c.* Per signa in Cœlo apparentia manifestabitur adventus Judicis propinquus.

8. *Audivit, & letata est Sion, Ecclesia, & exultaverunt filii Judei*: Animæ fideles cum gaudio excipient adventantem Judicem.

11. *Lux orta est iusto*. Lux gratiae, quæ est quædam arrha gloriarum.

12. *Confitemini memorie sanctificationis ejus*. Memoriam ejus sanctam celebrate.

## PSALMUS XCVII.

**D**E Regno Christi aeterno, & renovatione mundi per Christum.

1. *Cantate Domino Canticum novum, quia mirabilia fecit. Christus innumera patravit miracula, & orbem terrarum convertit.*

*Salvavit sibi dextera ejus. Salutem peperit sua omnipotentia; nempe propria virtute resurgendo a morte, & totum mundum sibi subjugando. Allegorice, sua fidei subiiciendo.*

2. *Notum fecit Dominus. DEUS*

*Pater. Salutare suum, Filium suum pro salute mundi incarnatum, & visibilem factum.*

3. *Viderunt omnes termini terra. Per fidem cognoverunt, & per miracula coram eis facta. Salutare DEI nostri: salutem nobis per Christum partam.*

6. *In tubis ductilibus: ex laminis malleo ductis. In voce tubæ cornæ: buccinis ex cornu.*

## PSALMUS XCVIII.

**A**rea jam reposita in monte Sion, invitat omnes ad DEUM inibi colendum Sacrificiis exemplo Moysis, Aaronis, & Samuelis. Allegorice omni cultu honoranda S. Eucharistia. Item B. Virgo DEI-para.

1. *Dominus regnavit, irascantur, pro licet irascantur populi, hostes Israëlis. Qui sedet super Cherubim, quasi in curru suo triumphali, ac manifestat se Israëli dans responsa, & dona, ac beneficia. Hinc moveatur terra: Paveant, & contremiscant incolæ terræ.*

4. *Honor Regis judicium diligit. Illius magnitudo, & gloria in eo posita est, ut juste omne mortali genus dijudicet.*

5. *Adorate scabellum pedum ejus: i. e. ante scabellum. Arca testamenti dicebatur scabellum, quæ*

*erat sub propitiatorio, & hoc erat quasi sedile DEI, & arca tanquam scabellum pedum ejus. Nota hic contra hæreticos eodem sensu, & modo, quo jubentur hic Hebrei adorare arcam, Catholicos hodie adorare, hoc est, honorare, reliquias, imagines DEI, & Sanctorum.*

6. *Moyses, & Aaron in Sacerdotibus ejus, & Samuel &c. Ponit exempla trium insignium virorum, qui Dominum exaltaverunt, & adorarunt scabellum pedum ejus atque exau-*

exauditi ab eo, mirabilia patrunt.

8. Et ulciscens in omnes adventiones eorum. Summa severitate DEUS eos persecutus est, qui eos au-

debat lacessere; ut patet in Core, Dathan, Abiron, & eorum fautoribus, qui Moysis auctoritatem, & Aaronis Sacerdotium impetrabant.

## PSALMUS XCIX.

**S**nagoga: allegor. Ecclesia omnem terram ad DEI cultum, & laudem adhortatur.

4. Introite portas ejus: Scil. templi, & per portas in atria: nam templum, seu sanctuarium quod constabat Sancto, & sancto sanctorum, solis Sacerdotibus ingredilicebat, populus vero orabat in atris.

5. In eternum misericordia ejus, & usque in generationem -- veritas ejus. Scriptura ferme ubique misericordiam, & veritatem conjungit: misericordiam prævenientem, & gratias promittentem; veritatem eas perficien tem, & exequentem.

## PSALMUS C.

**D**avid boni Principis describit officium tum in seipso, tum in Josia: Allegorice, & vel maxime in Christo Rege.

1. Misericordiam, & judicium cantabo tibi. Quocunque modo me excepteris Domine, sive in judiciorum tuorum severitate, sive in suavitate tuarum misericordiarum, te laudabo, & gratias tibi agam.

2. Intelligam in via immaculata: dabo operam, ut intelligam, qua via pertingere possim ad vitam immaculatam, ut innocentem. Id vero intelligam, quando venies ad me, me illuminando, & docendo.

4. Non adbas mihi cor pravum. Nulla mihi intercessit consuetudo cum iis, qui pravo & corrupto animo sunt; nec respiciebam eos,

quorum vita a mea vivendi ratione abhorrebat.

5. Superbo oculo, & insatiabili corde: Superbum, vel pecuniarum avarum, aut cupidum honorum Cum hoc non edebam: non admittebam ad mensam, & familiaritatem meam.

6. Oculi mei ad fidèles terrae, ut sedent in eccl. Hoc mihi præcipue erat curæ, ut aulam meam fideli bus ministris replerem, eisque honores, & provincias demandarem.

7. Qui loquitur iniquitatem, non direxit in conspectu oculorum meorum.

Non apparebit in conspectu men,  
non placebit mihi.

8. In matutino interficiebam omnes  
peccatores terra. In id convertam

omne studium meum, ut sanctam  
civitatem ab omnibus flagitiis &  
expurgem, & eos investigando,  
& persequendo.

## PSALMUS CI.

**E**xtrmis miseriis obrutus opem Diuinam implorat; simulque  
ut instauretur Jerusalem, & templum a Chaldeis exustum.  
Allegorice convenit Ecclesiæ Christi, tropologice animæ afflictæ.

4. Offa mea sicut cremium aruerunt:  
Cremium est res crematu facilis,  
& apta ad ignem concipiendum  
propter ariditatem.

5. Percussus sum ut fœnum: ex ar-  
dore tribulationis Antiochi popu-  
lus magna parte deficiebat. Obli-  
tus sum comedere panem meum: Præ-  
nimia angustia, & ricorore omnem  
cibum aversatus sum.

7. Similis factus sum pelicano soli-  
tudinis. Quia ut dictum est, popu-  
lus fugerat in deserta.

Factus sum sicut nycticorax in do-  
micio. In obscuris domorum locis,  
vel in domibus incolitis. Nyctico-  
rax juxta nominis etymon signifi-  
cat corvum nocturnum.

8. Sicut passer solitarius. Hebræa  
vox Tisppor quamvis aviculam si-  
gnificat: sicut avicula solitudinem  
captans.

10. Cinerem tanquam panem man-  
ducabam &c. Haec locutiones sunt  
hyperbolæ, & figuratæ, sed apte  
exprimunt dolorem, humiliatio-  
nem, gemitusque Prophetæ.

11. Elevans alligisti me: Levasti

me, ut majori cum pondere rue-  
rem, meque in terram allideres.

13. Memorale tuum in genera-  
tionem &c. Memorabilia facta tua di-  
gna sunt æterna memoria.

15. Placuerunt servis tuis lapides  
ejus. Anima eorum ad Hierosolymita-  
na rudera suspirat, ut per te  
liceat ibi majestatem tuam adora-  
re, ubi tot a Patribus suis oblata  
sunt sacrificia.

16. Et timebunt gentes nomen tuum.  
Cum restauraveris Sion, & popu-  
lum tuum ad eam revocaveris.

17. Et videbitur in gloria sua, pri-  
stina, imo multo majore urbs Sion:  
& Christus in Sion cum splendore  
miraculorum, & doctrinæ suæ cœ-  
lestis.

21. Ut solveret filios interempto-  
rum. Loquitur de Judæis Baby-  
lone captivis.

23. In conveniendo populus in u-  
num, & Reges ut serviant Domino:  
Post redditum e captivitate nec ex-  
terni populi, nec Reges Gentium  
in Jerusalem visi sunt, ibi domi-  
num adoraturi; sed ad unguem  
hic

hæc vaticinia adimpta sunt post  
J. C. adventum, & Evangelii præ-  
dicationem.

24. Respondit ei in via virtutis sua.  
In florenti, & robusta ætate domi-  
no dixit: Paucitatem dierum meo-  
rum nuntia mihi: Indica mihi, an

futurus superstes sim, quo tempo-  
re ista perficies, tempore scil. re-  
demptionis, & salutis.

25. Ne revokes me in dimidio die-  
rum meorum: Ne finas me ex hæ-  
vita migrare, quin videam finem  
tot calamitatum populi mei, &  
diuturnæ illius captivitatis.

## PSALMUS CII.

**D**AVID seipsum, angelos, & homines invitat ad laudandum  
DEUM ob eximia beneficia ab eo obtenta.

4. Qui coronat te in misericordia:  
Qui velut corona te cingit, & cir-  
cumvallat sua misericordia.

5. Renovabitur ut aquila juventus  
tua: In resurrectione futura, qua  
resurgent in ætate virili; David  
autem mortuus fuit in ætate seni-  
li. Alii referunt ad eam tempori-  
ris periodum, qua secundum com-  
munem opinionem aquilæ pennas  
mutant.

11. Secundum altitudinem cœli a  
terra. Quanta est altitudo cœli su-  
per terram, tanta est ejus miseri-  
cordia erga timentes se.

14. Ipse cognovit figmentum no-  
strum: Fragilitatem, & somitem  
inclinantem ad peccatum.

16. Spiritus pertransibit in illo.  
Spiritus vitæ non permanebit in  
homine, sed pertransibit & rece-  
det, quo recedente homo non  
subsistit amplius. Et non cognoscet  
amplius locum suum. Non redibit ad  
hanc vitam mortalem, aut ad pos-  
sessions suas.

20. Ad audiendam vocem sermonum  
ojus. Ad obediendum jussui, & nu-  
tui DEI semper promptissimi.

21. Virtus ejus. Exercitus DEI,  
nempe angeli.

## PSALMUS CIII.

**L**AUDatur sapientia, & potentia DEI in mundi creatione. Al-  
leg. Ecclesia DEUM pro sui constitutione, & conserva-  
tione collaudat.

2. Amictus lumine: Gloria, ma-  
jestate, DEUS enim habitat lu-  
men inaccessible, Extendens cælum

sicut pellem: ex facilitate, qua quis  
extendit tentorii cortinam convo-  
luta.

*Qui tegis aquis (nubibus) superio-  
ra ejus. Propheta enim orbem hunc  
universum ut domum considerat,  
cujus tectum sunt nubes, & celi.*

4. *Qui facis Angelos tuos spiritus.  
Qui facis spiritus, angelos, nutri-  
tios tuos: angelus enim officii no-  
men est, non naturæ. Ministros  
tuos ignem urentem: Qui facis, ut  
exdein spirituales creaturæ, quæ  
charitate semper ardent, fiant mi-  
nistri tui ad efficienda celerrime,  
& efficacissime quæ jussieris.*

6. *Abyssus sicut vestimentum &c.  
Mare scil. profundissimum terram  
quasi amictum circumvestiebat, &  
omni ex parte operiebat.*

7. *Ab increpatione tua fugient. Tuo  
jussu in suos alveos se receperunt.*

8. *Ascendunt montes, & desen-  
dunt campi. Elevatio, seu altitudo  
montium, & demissio vallium a  
te est.*

9. *Neque convertentur operire ter-  
ram. Ut factum est tempore diluvii,  
propter promissionem Noë.  
mo a DEO factam.*

11. *Expectabunt onagri in sibi sua.  
i. e. asini silvestres a te expe-  
ctant lenimen sibi suæ, cum ha-  
bestiæ solitudines, & loca arida in-  
colant, adeoque præ ceteris siti  
vexentur.*

12. *De medio petrarum dabunt  
voces: scil. aves, quæ in faxi ni-  
dulantur, ut fertur de aquila.*

13. *Rigans montes de superioribus  
suis: de nubibus pluvialis super  
montes generatis, ut ibi crescat*

herba animalibus, & hominibus  
opportuna.

15. *Utexibilaret faciem in oleo. Un-  
ctiones veteribus credebantur tam  
necessariæ, ut cibus, & potus; un-  
de cum jejunabant, etiam ab un-  
ctione abstinebant.*

17. *Herodii domus, dux est eorum.  
Est nomen avis prædatriois, quæ  
nidificat in cedris, dicitur dux  
passerum, vel avium, eo modo,  
quo leo animalium quadrupedi-  
um. Domus: nidus. Dux vero  
refertur ad Herodium, non ad do-  
mum.*

19. *Fecit Lunam in tempora. Ad  
discrimina temporum, quæ suo  
motu ordinato designat.*

20. *In ipsa pertransibunt omnes be-  
stie silvae. ut securius pabulum qua-  
rant, & prædam.*

23. *Exhibit homo ad opus suum. Si-  
cut feræ discurrunt per noctem,  
ita homo cum illuxerit ad opus  
suum perficiendum se accinget,  
ubi feræ in cubilibus, seu antris  
suis commorabuntur.*

25. *Spatiosum manibus: sinibus,  
qui passim vocantur brachia, aut  
manus maris.*

26. *Draco iste: loquitur de ce-  
tis, & balenis, quem formasti ad il-  
ludendum ei, S. Hieron. ut illuderes  
ei, seu ut ei illudatur jans capto  
ab hominibus: Tropologice dia-  
bolo, totique inferno, & mundo.*

29. *Avertente autem te faciem: de-  
negando benedictionem, turbabun-  
tur: defectu nutrimenti. Auferes  
spiritum eorum: vitam.*

30. *Emittes spiritum tuum. Viam illam, qua omnia foves, & recreas. Altiori sensu intelliguntur dona Spiritus S.*

32. *Qui tangit montes: Tactu ful-*

*minis, quod frequentius fit in praetatis montibus.*

35. *Deficiant peccatores a terra: qui in malitia sua obstinati sunt, aut, deficiant ita, ut peccatores non maneat, sed convertantur.*

## PSALMUS CIV.

**I**Nvitat ad laudandum DEUM ob beneficia liberationis ex Aegypto, & inductionis in terram sanctam.

3. *Laudamini in nomine sancto ejus. Hebr. Laudate in nomine sancto ejus. i. e. gloriemini in nomine sancto ejus.*

8. *Verbi, quod mandavit in mille generationes. In aeternum, ponitur numerus certus, & definitus pro incerto.*

9. *Quod disposuit ad Abraham: Quod pepigit cum Abraham Gen.*

12. *Et juramenti sui ad Isaac. Memor fuit juramenti Isaaco Gen.*

26.

10. *Et statuit illud Jacob in praeceptum: quo obligavit se nullam aliam gentem sibi fore peculiarem, si nullum alium prater se, DEUM colerent.*

12. *Cum essent numero brevi Hier. advene in ea. Nam Abraham, Isaac, & Jacob ut exteri habitabant in terra Chanaan; Hac vero promissio Abrahæ facta non ad solos Israëlitas pertinebat; sed ad eos omnes, qui filii Abrahæ sunt secundum fidem.*

14. *Corripuit pro eis Reges. Castigavit propter eos Pharaonem, Re-*

*gem Aegypti, & Abimelech, Regem Geraræ.*

15. *Nolite tangere Christos meos. Non unctione legali, sed spiritu S. imctos: Nam ii fuerunt Prophetæ, Sacerdotes, & Reges imperio prædicti.*

16. *Omne firmamentum panis contrivit: Robur hominis, quod a pane est, defecit.*

18. *Ferrum pertransiit animam ejus: Quia ex compedibus ferreis non solum afflicitus fuit in corpore, sed etiam in mente, & tamen a virtute patientiae non deflexit.*

19. *Donec venirot verbum ejus. Donec impleretur somnium Josephi, quod olim Patri, & fratribus narraverat Gen. 37.*

22. *Ut erudiret Principes ejus. In hoc etiam expressa fuit figura Christi: Hebr. ut alligaret Principes ejus secundum animam suam: ut ad suam sententiam, & voluntatem velut illigaret sibi subjectos.*

23. *Accola fuit, peregrinatus est, in terra Chana in Aegypto: quia Aegy-*

Ægyptii ex Mestraim, filio primo-  
genito Cham prognati sunt.

25. Convertit cor eorum: scil. Æ-  
gyptiorum: ut odirent populum ejus:  
filios Israël. Permisit videlicet hoc  
DEUS, ut invidia tangerentur  
Ægyptii, cum viderent tantam  
multiplicationem Israëlitarum.

*Et dolum facerent in servos ejus.  
Rex Pharao enim præceperat ob-  
stetricibus, ut in partibus He-  
bræzarum masculos occiderent, si-  
mulando eas esse abortum passas.*

27. Posuit in eis verba signorum suo-  
rum: Ornavit eos dono patrandi  
miracula.

28. Non exacerbavit sermones suos.  
Non irrita fecit, aut immutavit

promissa sua Moyſi facta de pœ-  
nis Pharaoni, & Ægypto infli-  
gendas. De quibus vide Exod. 7.  
& seqq.

37. Et eduxit eos cum argento, &  
auro: Aureis, & argenteis vasis ab  
Ægyptiis commodato acceptis.

38. Lætata est Ægyptus in profectio-  
ne eorum: Timebant enim, ne &  
ipsi, ut primogeniti nuper, occi-  
derentur.

39. Expandit nubem &c. Inter-  
rim enim nubes castra Israëli-  
tarum præcedebat, quemadmodum  
nocte columna ignis.

40. Petierunt, & venit coturnix.  
Hic describuntur miracula facta  
in deserto, post transitum ex Æ-  
gypto.

## PSALMUS CV.

O Ratio capti-vorum Babylonis, tum DEI beneficia, tum sua,  
Patrumque suorum peccata confitentium: Dominum orant,  
ut ipsos in Patriam congreget. Allegorice orat Ecclesia, ut fiat  
unum ovile, & unus pastor.

4. In beneplacito populi tui. Pro tua  
erga nos & populum tuum, be-  
nignitate. In salutari tuo. Chald. in  
redemptione tua: Allegorice: Salva-  
tore Christo.

5. Ad videndum in bonitate: Ut  
videamus bona, quæ electis tuis  
promisisti, & præparasti.

7. Irritaverunt ascendentes in ma-  
re: Quia cum tam multa signa  
divinae protectionis in Ægypto  
vidissent, trepide, & exigua fide  
ingressi sunt.

Et increpuit mare rubrum: Loqui-  
tur de mari tanquam de re anima-  
ta per prosopopœiam Poëticam.

11. Et operuit aqua Pharaonem,  
& ejus exercitum. Vide Exod.

14.

13. Cito fecerunt, obliti sunt. He-  
braismus, Pro festinatunt obliisci.  
Non sustinuerunt consilium ejus: non  
expectaverunt exitum divini cen-  
sili, & voluntatis.

14. Tentaverunt DEUM in inquo-  
so: in deserto, in solitudine, in  
qua

qua dubitarunt de præsentia, & omnipotencia DEI.

16. Irritaverunt Moyse. Concitando schisma perniciosum, & seditionem in ipsum, & DEI Sacerdotes. Numer. 16.

17. Aperta est terra &c. Historiam habes Numer. 16. Operuit super congregationem Abiron. Cooperuit absorbens cœtum eorum, qui secuti fuerant partes Abiron.

20. Et mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli. Pro DEO vero, qui gloriose eos eduxit de Ægypto, adorarunt brutum animal.

23. Si non Moyses electus ejus stetisset in confractione. Quia conterendi erant a DEO: objecissetque velut murum medium inter populum, & DEUM ad frangendam, emolliendamque Divinam iram.

26. Et elevavit manum suam super eos. Pro ceremonia jurantis.

28. Initiantur sunt Beelphegor. Religione conjuncti sunt idola Moabitarum, & Madianitarum. Et commederunt Sacrificio mortuorum: De carnibus animalium idolis (diis mortuis) immolatorum.

30. Et sterit Phinees: Constanter contra idololatras, quia occidit

Zambri ducem tribus Simeon cum muliere Madianitide.

31. Et reputatum est ei in iustitiam. Quia propter hoc factum certior a DEO factus est, quod succederet Patri suo in summo Sacerdotio.

32. Irritaverunt eum ad aquas contradictionis. Ubi populus cum Moyse propter aquæ penuriam cœpit altercari. Vide Numer. 20.

33. Et distinxit in labiis suis: Moyses animo dubius hæsit, num possibile, & probabile esset ut petra aquam daret tam rebelli populo.

37. Immolaverunt filios &c. Idolo Moloch.

38. Sculptilibus Chanaan: Maxime vero idolo Ammonitarum Moloch. i. e. Regi, supple, Deorum omnium, Seu Jovi inquit Riberia, vel Saturno, ut plerique alii.

39. Et fornicati sunt: Idololatria fornicatio vocatur in Scriptura, quia in ea recedit anima a vero sponso scil. DEO.

44. Vedit cum tribularentur. Benigno, & misericordi oculo asperxit.

45. Et panituit. More humano loquitur: revocavit sententiam suam de perdendis Hebreis.

## PSALMUS CVI.

**A**B hoc incipit Liber V. Psalmorum. Est Psalmus Eucharisticus de liberatione Israëlitarum ex servitute Ägyptiaca: In sensu spirituali de redemptione generis humani.

2. Congregavit eos: in terram suam, scil. Iudeam ex variis exiliis, & captivitatibus.

Viam civitatis habitaculi non invenierunt: ubi possent secure habitate.

8. Confiteantur Domino misericordia ejus: laudetur Dominus propter misericordias suas.

10. Satiavit - - viuētos in mendicitate: Et ferro. Hebr. Captivos afflictionis, Et ferri. Grotius afflictionem vocat carcerem, ferrum comepedes.

11. Exacerbaverunt eloquia DEI. Imperata facere detrectarunt, & voluntates ejus nihil fecerunt.

16. Contrivit portas aeras, Et vetes ferricos Carceris, ubi clausi detinebantur.

18. Omnem escam abominata est anima eorum: propter gravissimos morbos. in quibus quoscunque cibos fastidimus.

20. Misit Verbum suum: Mandavit, & repente sanari sunt. Allegorice: misit Christum, Messiam.

23. Qui descendunt mare in navibus. - - 24. Ipsi viderunt opera Domini. Recens adhuc descriptio maiorum captivitatis sub imagine naufragii, & tempestatis: Israël erat Babylone tanquam in navi

longum iter ingressa; ipse fuit testis prodigiorum Domini, & periculorum, quæ super abyssum aquas obire contigit.

25. Dixit: jussit DEUS. Et stetit spiritus procellæ: cessavit ventus procellosus.

26. Ascendunt fluctus usque ad cœlos. Hyperbole, etiam a Poëtis usurpata.

27. Omnis sapientia eorum devorata est. Peritia rei nautica defecit, nihilque erat reliquum, quam clamare ad Dominum.

29. Et statuit procellam ejus in auram: Commutavit eam in tranquillitatem, & malaciam.

30. In portum voluntatis eorum. Reduxit illos usque in Patriam eorum, & Jerusalem, quæ erat summa votorum illorum. Quæ sequuntur, varias Israëlitarum revolutiones exhibit, parabolis involutas; simul quæ Synagogæ, & Ecclesiæ contigerunt, pulchre exprimunt. Quin etiam mutationes variis temporibus factæ in natura, referuntur, quæ sensum spirituali admittunt. Hinc concludit: *Quis sapiens, Et custodiet hæc?* Ostendit DEUM pro sua potestate, & justitia regionibus dare ubertatem, aut sterilitatem. Ponere flu-

mi-

*mina in desertum: loca irrigua per-  
petua siccitate damnare, & vici-  
sum, ponere deserta in stagna aqua-  
rum: fertilitatem locis aridis ini-  
pertire: plantare vineas, que fa-  
ciunt fructum nativitatis: fructus  
uberes. Effundere contemptionem su-  
per Principes: quod civicatibus exti-  
tum affert, cum nulla est amplius  
magistratum reverentia.*

42. *Omnis iniquitas: Omnis ho-  
mo iniquus. Oppilabit os suum: Ob-  
mutescet, ob tam singularia DEI  
judicia.*

43. *Quis sapiens, & custodiet hac?  
Quam pauci Divinæ misericordiae  
erga sanctos arcana contemplan-  
tur.*

## PSALMUS CVII.

**P**ropheta victoriam petit a DEO contra Idumeos. Allegorice Ecclesia postulat DEI auxilium contra Mahometanos, & Hereticos.

Hic Psalmus compositus est ex 66. & 59. qui superius jam sunt expositi.

## PSALMUS CVIII.

**C**ontinet imprecatio[n]es ad-versus Doëg, & Achitophel. My-  
stice in Judam, & Judeos proditoris triginta maledictiones  
prænuntiat: Quas hic aliqui recenser[unt] pro 30. argen-  
teis Judæ.

1. *DEUS laudem meam ne vacueris.  
Innocentiam meam, quam Doëg  
apud Saulem, & Judas apud Prin-  
cipes Sacerdotum calumniantur,  
& obscurant, quasi ego machiner  
insidias, & seditionem. Hanc quæ-  
so innocentiam manifesta, & tuere.*

6. *Constitue super eum peccatorem:  
Impium aliquem, & tyrannum  
constitue judicem super eum, Ju-  
dam, & Doëg: & in eo judicio  
diabolus: i. e. calumniator, fieri  
dextris ejus; accusans, opprimens,*

& perdens eum. Prophetia est sub imprecationis, & maledictionis specie. Hæc, & quæ sequun-  
tur in Judam, & Judeos prodito-  
res conveniunt; qui amissio Sacer-  
dotio extorres Religionis facti sunt.

7. *Oratio ejus fiat in peccatum:  
Preces illius rejicit DEUS, ut  
olim Antiochi, nam & hujus ora-  
tio, & Judæ, conditionibus, quæ  
ad merendum requiruntur, erat  
destituta; ab altero enim servilis  
mortis, & periculi, in quo erat,*

metus, ab altero desperatio pœnitentiam extorlit.

8. *Episcopatum ejus accipiat alter: Hebr. Praefecturam Doëg, quia Princeps erat pastorum Saulis. Allegorice, Apostolatum Judæ accipiat Mathias Act. 1.*

10. *Nutantes transferantur filii ejus: Instabiles vagentur. Ejiciantur de habitationibus suis: Convenit imprecatio Judæis: tempore excidii Jerosolymitan.*

13. *In generatione una deleatur nomen ejus: Gloria, & posteritas ejus, seu familia delebitur.*

14. *In Memoriam redcas iniquitas Patrum, si filii a malo non recesserint. Aug. illud autem, quod dictum est: reddam peccata parentum in filios, additum est, qui oderunt me.*

15. *Fiant contra Dominum semper: illas iniquitates ante oculos semper habebit Dominus, ut eas puniat.*

17. *Et compunctum corde mortificare. Animo mœstum, & tristem occidendum tradere.*

20. *Hoc opus eorum, qui detra-*

*hunt mibi. Hæc est merces pro opere malo redditæ Judæis, qui Christo multipliciter detraxerunt. Hucusque imprecatio[n]es: nunc Christus pro se, & Ecclesia orat.*

23. *Excusus sum sicut locustæ: de uno tribunali ad aliud iactatus sum, sicut locustas yilissima animalia ventus hoc illuc temere raptat. Si ad Davidem referatur, is sub Saul[e] continuo locum mutare debuit.*

24. *Genua mea infirmata sunt a jejunio. Jejunavit enim Christus 40. diebus, & 40. noctibus. Caro mea immutata est propter oleum. Ob defecatum olei, quo orientales utebantur tanquam re ad viæ sustentationem necessaria.*

25. *Viderunt me, & moverunt capita sua. Me deridendo,*

27. *Tu fecisti eam. Supple manum, & potentiam, quæ me affigit.*

29. *Operiantur sicut diploide confusione. Vox græca Διπλεῖς pallium duplex significat, quasi dicat: multiplici ignominia circumdantur.*

## PSALMUS CIX.

**C**anit, non Abrabæ, non Davidis, non Ezechiae (ut volunt Judei) sed Christi Messiae gloriam, regnum, & Sacerdotium æternum.

1. *Dixit Dominus Domino meo. Narrat David verba Patris ad filium, cum in spiritu vidi Christum ascendentem in cœlum. Se-de a dextris meis: præcipue hono-*

*ris loco cum potestate judicaria, quod utique Davidi aptari non potest. Donec ponam inimicos tuos. Iudæos, qui Christum persecuti sunt. Scabellum pedum tuorum. Tibi subiectos,*

jectos, quod videmus impletum, quia illi, qui de Judæis crediderunt, sunt Christo subjecti per fidem; illi vero qui increduli remanserunt, sunt membris Christi subjecti, quia in terris Principum Christianorum manent sicut servi, & abjecti.

2. *Virgam virtutis tuae.* Potestatem docendi in omnibus linguis, & faciendi miracula in confirmationem doctrine. *Emitte Dominus:* DEUS Pater, qui cum filio misit Spiritum S. conferentem potestatem istam Apostolis. *Ex Sion:* Quia Spiritus S. ex Sion, vel in Sion Apostolis fuit missus, ut prædictum est. Ex Sion missi sunt Apostoli ad prædicandum per universum mundum.

*Dominare.* Tu scil. Christe. In medio inimicorum tuorum: Dominaberis inimicis tuis, velint, nolint.

3. *Tecum principium.* Hic ostenditur æqualitas Christi ad Patrem, quæ convenit ei ratione Divina naturæ, quæ est eadem in Patre, & filio, & hoc est, quod dicitur: *Tecum principium:* Principium dicitur hic ipse Pater: secundum quod dicitur Joan. 1. *in principio erat verbum:* i. e. in Patre filius, qui est cum filio in quantum est unus cum eo in natura, & distinctus in persona; hoc autem importat hæc dictio tecum, scil. unionem distinctorum.

*In die virtutis tuae.* Plurimi intelligunt diem judicii, quo J. C. exercebit imperium, severitatem, justitiam suam adversus impios, cum in Majestatis sua luce in medio angelorum suorum apparebit in splendoribus Sanctorum.

*Ex uero ante Luciferum genui te:* Re enim ipsa Dominus de nocte ante ortum Luciferi natus est in carne. Communior tamen est sententia etiam S. Augustini, id dici de generatione æterna Verbi.

4. *Tu es Sacerdos in aeternum secundum ordinem, morem, & ritum sacrificandi,* non Abelis, Aarons, Samuelis, sed Melchisedech sis Sacerdos, simili modo, & ritu sacrificans, quo ipse fecit scil. in cruento sub speciebus panis, & vieni. Hinc sequitur oblationem Eucharistæ tum Christi in cœna ultima, tum nostram quotidie in missa esse vere, & proprie dictum Sacrificium: ut docet Concilium Tridentinum, & SS. PP. ac Doctores.

6. *Implebit ruinas: strage impiorum omnia implebit.* Conquassabit capita in terra multorum: Graviter damnabit tyrannos aliorum Principes, & ad malum Duces.

7. *De torrente in via bibet:* Aquam turbidam tribulationis, maxime tempore passionis, propterea exalabit caput: merebitur, ut in nomine JESU omne genu fleatur.

## PSALMUS CX.

**C**ommendat D<sup>E</sup>I magnitudinem, & beneficia in homines.

3. *Confessio*, & magnificentia opus ejus: Omnia opera Domini digna sunt humana laude, & honore.

6. *Virtutem operum suorum annunciat*: Manifestavit, cum dedit illis hereditatem gentium, seu Chananæorum: sed vera hereditas gentium, est Ecclesiæ Regnum.

9. *Redemptionem misit populo suo*. Transit ad novæ legis dona, & novum testamentum, sub quo Redemptionem accepimus, si modo hoc pactum custodiamus. Alii legunt: *Redemptorem*, quod manifeste ad Christum pertinet.

## PSALMUS CXI.

**A**rgumentum est laus viri justi: allegorice Christi, quem Ecclesia laudat, ut justum justorum.

1. *In mandatis ejus volet nimis*: Mandata ejus prona voluntate, non vi, aut metu adactus perficit.

4. *Exortum est in tenebris lumen rectis*: Justis in rebus tristibus, & adversis consolatio orta est.

5. *Jucundus homo, qui miseretur, & commodat*: Felix, & voti sui compos erit, qui misericordiani exercet in pauperes.

*Disponet sermones suos in iudicio*: Nihil temere aget, aut loquetur, non cader causa. A statu sua felicitatis nunquam excidet.

7. *Non timebit ab auditione mala*. A fama sinistra ictu optime sibi conscient. Allegorice: ab illa se-

vera sententia. *Ite maledicti &c.*

8. *Confirmatum est cor ejus*. Per habitum virtutis, & gratiae in bono.

9. *Dispergit, dedit pauperibus*. Liberaliter opes suas erogavit in pauperes, Christum representantes.

*Cornu ejus exaltabitur in gloria*. Potentia ejus in dies crescer, & augebitur.

10. *Desiderium peccatorum peribit*. Votis suis peccatores frustrabuntur: nam cum justum cupient videre eversum, videbunt florem, & bonis omnibus abundantem.

PSAL-

## PSALMUS CXII.

**M**agnitudinem, providentiam, & omnipotentiam DEI commendat.

1. *Laudate pueri Dominum: i. e. servi DEI. A Solis ortu. In omnibus loco.*

5. *Qui in altis habitat: qui cum in altissimis habitat, non abjicit providentiam rerum, sed dignatur videre, & curare non tantum ea, quæ in cœlo, sed etiam quæ in terra sunt.*

7. *Suscitans a terra inopem. Pauperem afflictum, cum inopia lugantem.*

*Et de stercore origens pauporem. De infima conditione, ut factum est Apostolis. Tropologice & sordibus peccatorum erigit DEUS peccantibus in thronos angelorum.*

9. *Qui habetare facit sterilem: Qui mulierem ob sterilitatis probrum contemptam, reddit fecundam, ut Saram, Rachelem, Annam &c. Allegorice ad Ecclesiam referendum est.*

## PSALMUS CXIII.

**R**ecolit DEI beneficia in exitu Israël de Ægypto; concludit ipsum solum verum DEUM esse, non idola, utpote qui solus juvet sperantes in se.

*Alleluia: seu Psalmus laudis.*

1. *De populo barbaro: Qui lingua ignota loquitur, barbarus dictebatur.*

2. *Factus est Iudas sanctificatio ejus. Cum eduxit populum suum ex Ægypto, Judas, seu populus Judaicus (ut in una tribu præcipua totus populus intelligatur) DEO consecratus est in populum sanctum, & peculiarem; factusque est regnum DEI, in quo coram gentibus magnitudinem potentiae suæ declararet.*

3. *Mare vidit, & fugit: Eleganti Prosopopœia hic Psalmista rebus inanimatis sensum tribuit, ut*

Poësi spiritus, & decor accederet: Mare sensit potentiam DEI, & se recepit; agnovit illum arca incidentem Jordanis, & recessit, ne illius agmen remoraretur.

4. *Montes exultaverunt ac arietes: ut latitiam suam ob adventum Domini testarentur. Alii exponunt de tremore, & terræ motu, qui iis temporibus contigit ad ostendendam DEI potentiam, & Majestatem.*

5. *Quid est tibi mare? q. d. unde venerunt ista mirabilia in mari rubro, in Jordane, & collibus, ut dictum est? respondet:*

7. *A facie Domini mota est terra.  
A divina voluntate processerunt  
ista, cui obediunt etiam insensi-  
bilia.*

8. *Qui convertit Petram &c. dan-  
do abundantiam aquæ de petra  
Exod. 7.*

1. *Non nobis Domine &c. Non  
meritis nostris, quæ nulla sunt,  
sed tibi debetur laus omnis & glo-  
ria. Hic incipit secundum He-  
breos Psal. 115.*

5. *Os habent, & non loquentur :  
Oracula, quæ idolis tribuebantur,  
non proferebantur ab simulacris,  
quæ eorum speciem referebant,  
sed ab hominibus illic abditis, ut  
populis os subliniretur. Dæmon  
animatis his utebatur instrumen-  
tis, vel alio quovis signo sortes  
suas editurus. Si tamen aliquan-  
do statuæ aliquid enunciare visæ  
sunt, hoc dæmonis virtuti acce-  
ptum referendum est, qui in aë-  
re quosdam sonos efficere potuit,  
ac fallere sensus eorum, qui eas  
loquentes sibi audire videbantur.*

8. *Similes illis fiant, qui faciunt  
ea : Æque stupidi fiant, & sensu-  
carentes, ut Praeclara eorum nu-  
mina, quæ venerantur.*

9. *Domus Isræl speravit in Domi-  
no &c. Propheta triplicem isthic  
personarum ordinem distinguit,  
quæ spem suam in Domino collo-  
carunt. Laicos nempe, vel sim-  
plices Israélitas domus Isræl ; Sa-  
cerdotes, vel dominum aaron ; & de-  
num proselytos, qui timent domi-  
num : Hoc est : alienigenas, non  
de stirpe Abraham, qui Mosaicæ  
Religioni iniciati sunt, & qui ado-  
rant Dominum.*

14. *Adjiciat Dominus super vos :  
Augeat benedictionem, & dona  
sua in vos.*

16. *Cælum cœli Domino. Quia  
ibi magis relucet gloria sua in an-  
gelis sanctis. Terram autem dedit  
filiis hominum : Habitationi eorum  
pro vita præsenti, in qua, si bene  
vivant, & DEUM colant, assu-  
muntur ad habitationem cœlestem  
ut angeli secundum illud Match.*

22. *In resurrectione erunt sicut an-  
geli DHI.*

17. *Non mortui laudabunt te : In  
hac terra, quam tradidisti nobis.*

18. *Sed nos qui vivimus, benedic-  
cimus Domino &c. Meritorie, quia  
status meriti durat usque ad mor-  
tem.*

## PSALMUS CXIV.

**D**avid afflictus orat, & simul gratias agit pro liberatione ex  
magno periculo. Mystice Christus precatur pro Ecclesia mili-  
tante, & purgante. Tropologice quivis homo justus sub pondere  
persecutionum aut malis hujus vitæ ad cœli regionem suspirat.

1. *Dilexi, quoniam exaudiet Dominus. Dilexi Dominum, quia be-  
nignus*

nignus est, & cum epus fuerit  
aderit nobis.

2. In diebus meis invocabo: Quam-  
diu vivam, illum invocabo.

3. Circumdederunt me dolores mor-  
bi: scil. imminentis, quando Saul  
præcepit custodiri domum David,  
ut mane moreretur. 1. Reg. 19.

6. Custodiens parvulos Dominus:  
Dominus custos est simplicium,  
qui candide, & sine dolo agunt.

9. Placebo Domino: Ei devote  
serviendo. In regione vivorum: in  
vita præsenti, & postea in coele-  
sti, quæ dicitur terra viventium.

## PSALMUS CXV.

**P**Ergit Da-vid gratias agere pro liberatione: Ideo Hebræi hunc  
Psalillum jungunt cum præcedenti. Christus, & Christianus  
calicem passionis offerunt pro gratiarum actione.

10. Credidi, propter quod locutus  
sum: propter quod loquor: præ-  
teritum pro præsenti, quod in  
Scripturis frequens est. Credo  
videlicet promissionibus tuis, pro-  
pter quod os meum aperui ad  
laudem tuam.

11. Ego dixi in excessu meo. Hie-  
ron. in stupore mentis meæ: scil. per-  
turbataæ tot vexationibus: omnis  
homo mendax: ab omnibus, etiam  
intimis amicis meis deseror, solus  
DEUS verax est, & fidelis.

Calicem salutaris accipiam: Atro-

citatem persecutionis, quæ in Scri-  
ptura calix dicitur, acceptando.

14. Vota mea Domino reddam  
Sacrificia, quæ vovi DEO.

16. Dirupisti vincula mea: Cala-  
mitates, & persecutions dissipasti.

19. In atriis domus Domini. Ad  
ostium tabernaculi, ante quod  
erant atria, & area, in qua altare  
holocaustorum situm erat. In me-  
dio tui Jerusalem: Extra quam non  
licebat sacrificare. Docet extra  
Ecclesiam, sive Ecclesia commu-  
nionem Sacrificia a DEO non  
probari.

## PSALMUS CXVI.

**I**Nvitat omnes, etiam gentes ad laudandum DEUM, ob exhi-  
bitum orbi Messiam, seu Redemptorem.

1. Laudate Dominum omnes gen-  
tes &c. Invitatio est Prophetica de  
conversione gentium.

2. Quoniam confirmata est super

nos misericordia ejus: Misericordia  
peculiariter quodam modo ad gen-  
tes, veritas ad Judæos pertinet;  
Abrahæ enim facta est promissio,

Nn

fore

fore, ut in semine ejus omnes factum videamus, hinc liquet promisit DEI firma esse, & inconcussa.

## PSALMUS CXVII.

**S**Olemnis congratulatio in coronatione Davidis: vel in translatione Arcæ Domini in Sion: Allegorice in resurrectione tum Christi, tum nostra.

2. *Dicat nunc Israhel, quoniam bonus:* Recenseret eos, quos excitare vult ad DEUM laudandum: Itraëlitas omnes, Laicos scil., Levitas, & Sacerdotes; tandem omnes timentes DEUM.

5. *Exaudivit me in latitudine Dominus:* Eduxit me de captivitate, sicut angusto quodam loco in vastum, & spatiolum locum. Hæc locutio frequens est in Scriptura.

10. *Circundederunt me:* Obsederunt, undique oppugnarunt. *Quis ultus sum in eos:* DEI ope eos devici, ac de eorum manibus evansi. Hoc intelligi potest vel de Philistis, vel Idumæis, aut Ammonitis. Sublimiori sensu de J. C. Sanctisque Martyribus, mortis, dæmonisque victoribus.

12. *Circundederunt me sicut apes,* & exarserunt sicut ignis in spinis. Tanto numero, ut examen apum, aculeos suos in me exeruerunt; sed eorum furor brevi desit, non secus ac ignis, qui statim quidem in spinis succenditur, & cum magno strepitu, sed momento consumitur.

13. *Eversus sum, ut caderem.* Parum absuit, quin ab eorum con-

tibus superarer; sed Dominus tandem manum suam extendit, & gressus meos confirmavit.

15. *Vox exultationis, & salutis:* Non ego tantum laudes DEO canam, sed vox gratulationis, pro salute & parte victoria auditur undique in domibus justorum.

16. *Dextera Domini fecit virtutem:* Domino refert omnem libertatis acceptæ gloriam, ac se una illius dextera salvati potuisse fatetur.

19. *Aperite mihi portas justitiae &c.* Portæ justitiae sunt templi portæ, clausæ impiis, Gentilibus & Idololatriis, patentes fidelibus, justis, Judæis, S. Joan. Chrysost. August. & Hieron. intelligunt locum hunc de coeli, & beatitudinis janua, quo nemini patet aditus, nisi per portam, quæ est J. C. per fidem, per charitatem, & per Ecclesiam, extra quam non est salus.

22. *Lapidem (Christum) quem reprobaverunt ædificantes:* Sacerdotes Judæorum, & Doctores quorum intererat populum ædificare in fide, & moribus. *Hic saeculus est in caput anguli:* Constituens unam Ec.

Ecclesiam ex Judæis, & gentibus,  
cujus ipse est caput, & pastor.

23. A Domino factum est istud :  
Non fortuito accidit, sed Divino  
consilio, & voluntate.

24. Hac est dies quam fecit Domi-  
nus. Lieet fecerit omnes dies, ta-  
men illa specialiter DEO tribui-  
tur, in qua ejus bonitas magis no-  
bis inlarescit.

25. O Domine bene prosperare :  
multiplicando Ecclesiam tuam in  
fidelibus.

26. Benediximus vobis : Vox Sa-  
cerdotum : nos de domo Domini : i.  
e. e templo bene vobis precamur  
popule DEI ! quia DEUS hucus.  
que iratus nova beneficentia luce  
illuxit nobis dato novo Rege Da-  
vide, & Messia : Constituite diem so-  
lennem. Celebrate diem hunc lxi-  
tum, & faustum, urbem, plateas,  
& præ omnibus atria templi usque  
ad cornu altaris ornantes densis fron-  
dibus, & coronis.

## PSALMUS CXVIII.

**A**Rouementum Psalmi est continua Divine Legis commendatio,  
& ad eam servandam abortatio. Legem autem, quam in  
singulis prope versibus inculcat, nunc vocat, testamentum, nunc  
testimonia, nunc judicium, justitiam, æquitatem, justificationem,  
verbum, eloquium, sermonem, ordinationem,  
præceptum, mandatum DEI, nunc viam, semitam, verita-  
tem &c. Hic Psalmus pene totus adversatur Novatorum do-  
ctrinæ de justificatione ; nam ubique docet justitiam nostram pos-  
tam esse in observatione mandatorum DEI.

1. Beati immaculati : Carentes  
macula peccati mortalis, in via:  
vitæ præsentis.

6. Tunc non confundar, sperat  
fore, ut non confundatur in ju-  
dicio DEI, quoci- ejus mandatis  
constanter adhaereat.

7. Confitebor tibi in directione cor-  
dis : Laudabo te corde recto, sin-  
cero, & minime fucato.

9. It quo corrigit adolescentior viam  
suam? Qua ratione poterit ado-

lescens puras efficere vias suas, ut  
non pecchet, & a teneris virtuti  
assuescat? In custodiendo Et c. in exe-  
quendis mandatis tuis.

10. Ne repellas me a mandatis tuis.  
Ne permittas me aberrare a via  
mandatorum tuorum sive per pra-  
vam doctrinam, sive per mores  
corruptos.

17. Retribus seruo tuo : Homini  
ad bonum conanti : Retribue gra-  
tiam tuam. Vivifica me : quia gra-  
tia

tia animam vivificat vita gratia, sicut anima corpus vita natura. Et custodiam sermones: mandata tua meritorie, quantum ad meritum condignum.

22. Aufer a me opprobrium: Quod a superbis saltineo, quod sum legum tuarum studiosus.

23. Sederunt Principes. Destinato animo maledictis me incessebant, qui tueri debuissent.

25. Adhuc est pavimento anima mea: Sum tanquam homo ad sepulchrum redactus, prostratus humili, in pulvere jacens. Vivifica me: in libertatem me vindica, in patriam revoca, ut pollicitus es: secundum verbum tuum.

28. Dormitavit anima mea praetatio: Extremo morore confectus sum: confirma me in verbis tuis: in quibus tantum solatium reperiam.

32. Cum dilatasti cor meum: per donum charitatis, que mandata tua facit levia.

39. Amputa opprobrium meum: averte probra, & convitia hostium, quod inspicatus sum: In Hebreo: quod timui.

42. Et respondebo exprobrantibus mihi verbum: dicens me in promissionibus tuis sperasse, nec inanem fuisse spem.

43. In judiciis tuis supersperavi: In tua justitia, fidelitate plurimum omnino speravi.

48. Et levavi manus meas ad mandata tua: Ea opere adimplendo, sine quo non sufficeret meditatio, ideo subditur. Et exercebar in justi-

ficationibus tuis: in operibus mandatorum tuorum, quae justificant hominem.

53. Defecito tenuit me Sc. Anim deliquum passus sum videns peccatores legem tuam deserentes.

54. Cantabiles mihi erant justificationes tuae: Impiis graves sunt leges tuae, mihi autem tam suaves, ut in praesentis vita peregrinatione velut dulci cantico illis delecterentur.

56. Hac facta est mihi: Omnia haec mihi facta sunt, quia mandata tua diligenter executus sum.

60. Paratus sum. Hebr. festina vi. non sum turbatus: territus, aut retardatus difficultate operis.

61. Funes peccatorum circumplexi sunt me. Blanditiis, fraudibus, irrationibus adnisi sunt, ut a lege tua discederem, sed omnis eorum frus in irritum abiit.

63. Particeps ego sum omnium timentium te: Syrus vertit: amicus sum timentium te.

67. Prisquam humiliarer: per tuam correctionem, ego deliquer: incurriendo culpam. Propterea eloquium tuum custodi: Ex Divina enim correctione experitur homo quantum bonum sit obedire Legi DEI.

70. Coagulatum est sicut lac cor eorum. In malitia compressum, & induratum.

79. Convertantur mihi: convertantur ad me, & mihi adjuncti legem DEI custodianter.

81. Defecit in salutare tuum anima mea:

*mea:* Anima mea præ desiderio consequendæ salutis, aut Salvatoris Christi ardet, lanquet, & deficit.

83. *Factus sum sicut ute in pruina:* Cutis mea exaruit, senio, & macie confecta est, ac obsoleta tanquam ute pruinæ expositus, & corrugatus.

84. *Quo sunt dies servi tui.* En vita mea elabitur! quando ultionem sumes de inimicis meis?

85. *Narraverunt mibi iniqui fabulationes.* Omnes enim sectæ multa fabulosa, & confusa continent. Sed non ut lex tua. Quæ ute pote a prima veritate derivata nihil falsi continere potest.

86. *Ordinatione tua perseverat dies.* Tuo nutu, & voluntate dies diei succedit, & in suo cursu perseverat.

87. *Nisi quod lex tua meditatio mea est:* Nisi fuisset occupatus in tali meditatione. Tuic forte periussem per lapsum in culpam gravem. In humilitate mea, in mea miseria, & afflictione.

88. *Omnis consummationis vidi finem:* Nihil in mundo tam perfectum est, quod aliquando non finiatur: sola lex tua Divina tam lata est, & quasi immensa, ut ad omnia locorum, & temporum spatia sese extendat, omnibus imperet.

89. *Super inimicos meos prudenter me fecisti.* Quamvis Chaldaei, & alii infideles jactent sapientiam suam in scientia astronomicâ, pe-

ritia divinandi, & somnia expōnendi, hæc omnia tamen flocci facio, præ unius legis tuæ, cui unice studeo, cogitatione.

104. *A mandatis tuis intellexi.* Faciendo mandata tua, perveni ad earum rerum notitiam, quæ sciro desideraveram.

108. *Voluntaria oris mei:* spontaneæ laudes, & oblationes meæ: beneplacita fac Domine. Acceptæ sint corani te. Tropologice intelliguntur consilia Evangelica.

109. *Anima mea in manibus meis semper.* Hac phrasí Hebræi summa pericula exprimunt. Sensus est: In maximis periculis legem tuam non sum oblitus.

111. *Hæreditato acquisivi testimonia tua:* Mea hæreditas non aurum est, non gemmæ, palatia &c., sed observatio legum tuarum.

112. *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas.* Hic locus duo dogmata hæreticorum nostri temporis destruit: Quorum alterum est, liberum arbitrium habere se mere passive in bono opere. Contra hoc dicit Propheta: *inclinavi cor meum &c.* non quidem gratiam excludens, sed liberi arbitrii vim adstruens. Alterum est, non esse bene operandum propter mercedem, sed gratis, & animo liberali: Contra hoc ait Propheta: *inclinavi cor meum &c. propter retributionem:* quæ illa sit, indicat versio S. Hieron. ex Hebræo: *inclinavi cor meum, ut facerem justicias tuas propter æternam retributionem:* servus

est, non filius, qui DEO servit propter retributionem temporalem; ita vero liberaliter DEO servit, qui aliam mercedem non querit, quam DEUM ipsum.

120. *Configo timore tuo carnes meas: motus carnales mortifica.*

121. *Feci judicium, & justitiam. En fiduciam bonorum operum contra haereticos.*

122. *Suscipe servum tuum in bonum: Hebr. opta servum tuum in bonum: auxilio gratiae tuae.*

123. *Oculi mei defecerunt in salutare tuum. Non possum ipsum subsequi virtute propria, quia transcendit naturalem hominis facultatem.*

126. *Tempus faciendi Domine: mihi opitulandi tempus est, & hostes puniendi, quia, dissipaverunt legem tuam: Haeretici, & Doctores perversi, & ideo necesse est, ut servis tuis des, & conserves verum ejus intellectum.*

128. *Ad omnia mandata tua dirigebar. Recte ambulabam in via mandatorum tuorum.*

129. *Mirabilia testimonia tua ideo scrutata est anima mea. Leges tuae Domine invias habent profunditates, atque altitudines inaccessas, ideo tanta cura, & assiduitate illis studeo.*

131. *Os meum aperui: Ingenui, suspiravi. Et atraxi spiritum Intelligentiae, qui datur desiderantibus illum.*

136. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei: Rivos aquarum, copio-*

*sissimas lacrymas profuderunt oculi mei, cum viderem, quod inimici tui, & mei legem tuam sine fronte transgredierentur. Alii referunt ad ipsum Davidem penitentem, cuius oculi non custodierunt legem DEI in contemplanda, & concupiscentia Bethsabee.*

138. *Mandasti justitiam testimonias: Præcepisti justissimas, & verissimas leges tuas omni studio observandas.*

139. *Tabescere me fecit zelus meus Sc. Conficior zelo, & indignatione, quod inimici mei verborum tuorum sint immemores.*

140. *Ignitum eloquium tuum vehementer. Quia sedulo observatum, plurimum inflamat ad amorem Divinum.*

141. *Adolescentulus sum ego Sc. Vox conditionis est, non ætatis; quamvis contemptus sim, & vilis, tamen non sum oblitus præcepta tua.*

144. *Intellectum da mibi: ad cognoscendam, & implendam voluntatem tuam. Et vivam: vita gratiae in praesenti, & gloria in futuro.*

147. *Præveni in maturitate: Septuag. nocte intempesta. in verba, promissiones tuas supersperavi.*

150. *Appropinquaverunt persequentes me iniquitati. Iniquitati adhaerent, & a lege tua longius recedunt.*

155. *Longe a peccatoribus salus: qui in malo obstinati sunt.*

160. *Principium verborum tuorum veri-*

veritas. S. August. *A veritate tua  
verba procedunt; T ideo veracia sunt,  
& neminem failunt.*

161. Principes (Saul, & ejus as-  
seclæ) persecuti sunt me gratis. Sine  
causa a me data.

164. *Septies in die laudem dixi ti-  
bi. Sæpe, numerus definitus pro  
indefinito.*

165. *Non est illis scandalum. Non*

*impingunt, aut cadunt facile.*

169. *Appropinquet deprecatio mea  
&c. per effectum exauditionis.*

176. *Erravi sicut ovis; a via recta  
mandatorum tuorum, sicut ovis  
a grege aberrans. Quare: reduc  
per gratiam prævenientem, &  
excitantem, sine qua nemo resur-  
gere potest a peccatis.*

## PSALMUS CXIX.

Psaltes petit restitui patriæ: Ecclesia orat liberari a maledicis,  
hæreticis & Mahometanis.

Canticum graduum. Communis  
est titulus quindecim sequentibus  
psalmis, qui graduales dicuntur.  
Videntur in secundi templi dedi-  
catione magna ex parte composi-  
ti aut cantati, vel certe huic so-  
lemnitati aptati fuerunt ex Theodoreto.  
Quindecim porro gra-  
dus erant in templo ex Cap. 40.  
Ezech. Spirituali vero sensu can-  
tica sunt ascensiones mentis in  
DEUM per castum amorem, quo  
velut per gradus ascendit ut do-  
cet August. in Psal. 126.

2. Libera animam meam - . a lin-  
gua dolosa Aug. Quæ est lingua dolo-  
sa? subdola, habens imaginem consu-  
lendi, & perniciem nocendi.

3. Quid apponatur tibi ad linguam  
dolosam? Quale emolumentum ca-

pies ex lingua fallaci? sane non  
aliud, quam acutas sagittas potentis:  
acres poenas, & ultiones DEI.  
cum carbonibus desolatoriis. Incendia  
tibi perniciosissima maxime in in-  
ferno. Notatur, inquit Theodo-  
ret. in sagittis celeritas poenæ, in  
carbonibus acerbitas.

5. Heu mihi! quia incolatus meus  
prolongatus est! sermo est de ca-  
ptivitate fidelium, & exilio sub  
infidelibus. Alii interpretantur de  
hac vita mortali, in qua peregrina-  
mur a Domino. Habitavi cum habitan-  
tibus cedar. Cum Cedarenis, sive Sa-  
racenis: nam Cedreni sunt Ara-  
bicæ populus a Cedar, uno ex fi-  
liis Ismaël, quos posterior ætas  
Saracenos appellavit. Habitavi  
cum barbaris captivus, vel exul.

PSAL-

## PSALMUS CXX.

**A** Solo DEO auxilium petendum, & sperandum.

1. *Levavi oculos meos in montes:  
In cœlum, vel in locum ubi si-  
tum erat tabernaculum.*

3. *Non det in commotionem pedem  
tuum: DEUS nequaquam patie-  
tur te vacillare, aut labi in ad-  
versis.*

*Neque dormitet, qui custodit te:  
Dominus, qui te, & populum  
Israël custodit, vigili cura tuebitur  
fuos.*

5. *Per diem Sol non uret te, neque  
Luna per noctem. In posteriore*

membro intelligendum est per contrarium: neque luna erit molesta nocturno frigore. *Utere* namque generaliter accipiendum est significans quamcunque gravem, & acerbam sensus molestiam, quo modo etiam vehemens frigus urere dicitur.

8. *Dominus custodiat introitum tuum  
& exitum tuum: Custodiat te Do-  
minus domi, foris, in negotiis do-  
mesticis & externis. Anagogice  
introitus est vita, exitus mors.*

## PSALMUS CXXI.

**P**rophecta Jerusalem & templum, Allegorice Ecclesiam, anago-  
gice, cœlum laudat a concordia, pietate, & justitia.

1. *In dominum Domini ibimus. In  
templum Jerosolymitanum, vel  
potius in cœlestem patriam.*

2. *Stantes erant pedes nostri. Olim  
ante captivitatem nos stetisse me-  
minimus in atris tuis Jerusalem. Al-  
legorice atria cœli sunt Ecclesia mi-  
litans in terris.*

3. *Jerusalem, qua ædificatur ut  
oivitas &c. Non eris amplius de-  
serta, restauraberis, & ædificia  
tua jugi, atque continent domo-  
rum serie sibi connexa, unum dun-  
taxat immensum civitatis coales-*

centis, frequentisque corpus effi-  
cient.

4. *Illuc enim ascenderunt tribus,  
tribus Domini &c. Omnes tribus  
Israël illuc undequaque confluent,  
Omnipotentis DEI laudes cele-  
bratur. Lex Israëlitæ omnes  
obligabat tribus saltem in anno  
festivitatibus ad templum ascen-  
dere. Mira undequaque con-  
fluentium multitudine maximam Je-  
rosolymis pulchritudinem, opes  
que maximas conferebat*

5. *Quia illuc sederunt sedes in ju-  
dicio. Altera magnitudinis, & po-  
ten-*

tentia Jerusalem ratio est, quia illa tribunalia, ut ante instituentur: Sacerdotes illic judicia exercebunt, quæ lex, & consuetudo illis reservavit. *Sedes super domum David:* Principes de domo David ibi solium suum, aulam, & judicium habebunt, ut ea, quæ ad civilia spectant iurgia, dijudicent. Duplex hæc diversa jurisdictione in Jerusalem restituta, undequaque maximam populi frequentiam evocabit.

7. *Fiat pax in virtute tua:* Longe absint bella, & in ipsis propugnaculis, quæ sunt robur, & virtus urbis, pax resideat. *Et abundantia in turribus tuis:* In arcibus, & turribus murorum sit semper abundans præsidium, & annona.

8. *Propter fratres meos &c. loqueretur pacem de te.* Idcirco fausta appetatur Jerusalem, quod in ea sit dominus Domini, eamque Israëlitæ soli incolant, non Iudeus cum Israëlitis permixti.

## PSALMUS CXXII.

**O**bsecrat liberari a ludibriis impiorum. Allegorice Ecclesia ab insultatione infidelium.

2. *Ecce sicut oculi servorum in manus dominorum suorum.* Non secus, ac utriusque sexus famuli indeſinenter in Dominorum, Dominarumque suarum os intenti, minimum quemque nutum expectant, ut imperata faciant; ita oculi nostri tibi adhærent Domine, ut ad quodlibet manus tuæ signum accurramus.

4. *Quia multum repleta est anima nostra:* Anima nostra deinceps hæc mala ferre non potest, dum Babylonii, impotentes hi divites, & superbi victores nos insolenter despiciunt, in nos certatim probra congerunt, & convitia. Redeat contemptus in caput ipsorum, erubescant, & confundantur.

## PSALMUS CXXIII.

**P**Salms est Eucharisticus. Nam Psaltes, & Synagoga, mystice Christus, & Ecclesia gratias referunt pro liberatione ab extremo periculo.

2. *Nisi quia Dominus erat in nobis.* Per adjutorium speciale, & repli- catur hoc dicendo: *nisi quia &c.* Ad ostendendam majorem gratitudinem de auxilio Divino.

3. *Forte vivos deglutiſſent nos:* non potuimus resistere eorum impe- tui, cuius vis notatur in voce de- glutiſſent, qnæ metaphoræ non est infrequens in Scriptura.

4. *Forfitan aqua*: Scil. tribulatio-  
nis, *absorbusset nos*, includendo nos  
undique, ut contingit illis, qui  
aqua absorbentur.

5. *Torrentem &c.* Maximum pe-  
riculum, quod hic torrentis nomi-  
ne significatur. *Pertransisset anima  
nostra aquam intollerabilem*: obruti  
faulsemus mole, & pondere malo-  
rum : e quibus evadere haud po-  
tuistemus.

7. *Anima nostra sicut passer crepta  
est.* De insidiis Philistinorum. *La-  
queus contritus est*: Quia exercitus  
Philistinorum a David fuit devi-  
atus virtute divina assistente. Al-  
legorice significatur Redemptio  
nostra per Christum, tropologice  
liberatio animæ a potestate dia-  
boli per pœnitentiam.

## PSALMUS CXXIV.

**Q**ui confidunt in DEO, stabiles erunt, & tutissimi: impii ve-  
ro peribunt.

1. *Qui confidunt in Domino*: non  
in idolis vanis, aut rebus munda-  
nis. *Sicut mons Sion*: ita stabiles  
erunt, & immobiles in fide, &  
omni bono.

2. *Montes in circuitu ejus*. Non  
secus ac Jerusalem montibus cir-  
cumsepta est, qui illam ab hosti-  
li vi satis tuentur; ita Dominus  
est veluti vallum circa populum  
suum, eumque protegit adversus  
hostes illius.

3. *Quia non relinquet Dominus  
virgam peccatorum*: Non permittet

Dominus pios, & fideles populos  
suos, qui fors, & hæreditas illius  
sunt, diu vexari flagello im-  
piorum, ne a pietate sua deficiant.  
*Virga* etiam pro sceptro interdum  
ponitur.

5. *Declinantes autem in obligationes*.  
A rectitudine fidei, & virtutis ad  
pravitates suas, ut habet S. Hieron.  
qui occultas vias querunt no-  
cendi justis, ut faciunt hypocri-  
tae, adducet Dominus, ad pœnam  
æternam cum operantibus iniquitatem:  
perinde puniet, ac si essent aper-  
te impii.

## PSALMUS CXXV.

**I**raelite e captivitate Babylonica reduces: Allegorice Christiani  
liberati a servitute peccati: Anagogice Beati in cœlo congra-  
tulando orant, ut residui quoque per Christum liberentur.

1. *In convertendo Dominus cap-  
titatem*: Quando convertit, seu

reduxit Dominus captivitatem.  
*Facti sumus sicut consolati*: sic lætati  
su-

sumus, ut solent, qui insperatis bonis, vel novis nuntiis recreantur.

2. *Magnificavit Dominus facere cum sis*: Magna, & admiranda sunt, quæ DEUS fecit cum populo Israel, dicent gentes.

4. *Converte Domine captivitatem nostram*: Reduc captivitatem nostram in patriam. *Sicut torrens in Austro*: ut simul plurimi magna velocitate revertamur, que mad-

modum aquæ torrentium austro flante, & nives solvente per alveum citissime decurrunt.

5. *Qui seminant in lacrymis &c.* Metaphora ab agricolis ducta, qui seminant cum labore, & dolore, quia semen projicere, & quodammodo perdere videntur, postea gaudent in messe; ita malis in captivitate vexati largam ejus consolationis, & latitiae, quam nunc messuerunt, sementem fecerunt.

## PSALMUS CXXVI.

**I**Nutiles sunt hominum curæ, & solicitudines, nisi adsit Divinum auxilium.

1. *Nisi Dominus edificaverit domum &c.* Operam ludis o popule DEI! in templi (quod antonomastice dicitur domus) restauracionem incumbens, nisi DEUS ipse suam commodaverit manum, & dominum edificaverit. *Nisi Dominus custodierit civitatem Jerusalemi*, dum a reditu a paucis adhuc incolleretur. q. d. vigilate quidem ob servandam Civitatis Jerusalem, & fratribus vestrorum in columitatem, verum ne DEI opera petere obliviscamini.

2. *Vanum est vobis ante lucem surgere*. Ad opus, & laborem, supple: DEO non juvante, vel labores prosperante. *Surgite postquam federitis*: Ne nimium sollicitis, sed tum demum surgite, & opera vestra repetite, cum corpora, quantum opus habent, curave-

ritis. *Qui manducatis panem doloris*, qui cibum vestrum in solicitudine quaesitum comeditis: qui scil. cum ærumnis conflictamini. *Cum dederit dilectis suis somnum*: Si DEUS illis propicius arriserit, non solum pacate in utramque aurem dormient, sed frequentem etiam posteritatem consequentur in præmium & mercedem, & hoc est: *ecce hereditas Domini, filii merces fructus ventris*.

4. *Sicut sagitte in manu potentis*: Filii Parentibus sunt auxilio, & voluptati, hosti vero periculo, & terrori, sicut sagittæ in manu periti sagittarii. *Filiis excusorum, vegeti, & expediti ad familiæ splendorum augendum*.

5. *Beatur vir, qui implevit desiderium suum ex ipsis*: Qui bonos filios

lios, & ad votum suum nactus fuerit.

*Nor confundetur, cum loquetur ini-*

*mics suis in porta: in judicio, quod  
in publico fiebat, in porta urbis,  
ut alias dictum est.*

## PSALMUS CXXVII.

**T**emporalis *Judeorum DEUM timentium felicitas.*

2. *Labores manuum tuarum quia  
manducabis &c.* Frueris bonis labore manuum tuarum partis, tibi sufficient, nec ab aliis cogeris emendicare.

3. *Uxor tua sicut vitis abundans:  
Uxor tua fœcunda erit, & faciet  
te multæ, & egregiæ prolis pa-*

rentem. *In lateribus domus: in pe-  
netralibus. Sicut novellæ olivarum:  
tanquam surculi, & nova germi-  
na olivarum, quæ suo tempore fru-  
ctum pollicentur. In circuitu men-  
ſæ, Vel assidentes, vel ministran-  
tes, & Patris-familias nutum ex-  
spectantes.*

## PSALMUS CXXVIII.

**I**srael, mystice Ecclesia gratias agit, quod Domini ope firma, & tuta permanerit; hostibus suis pœnas prophetice imprecatur.

1. *Sæpe expugnaverunt me: Expug-  
nare conati sunt. Nam verba  
Hebræorum sæpiissime tantum si-  
gnificant conatum, vel actum in-  
choatum. A juventute mea. A tem-  
pore priorum Patriarcharum: A-  
brahæ, Moysis &c.*

2. *Etenim non potuerunt mibi scil.  
prævalere, quia Ægyptii fuerunt  
submersi, & Amalecites debellati.*

3. *Supra dorsum meum fabricave-  
runt peccatores: Adagium hæc lo-  
cutio sapit: Inimici mei sunt ve-  
luti agricolæ, qui inclementer  
super dorsum meum araverunt:  
Qui sensus ex Hebræo eruitur,*

Transfertur hic locus ad flagella J. C. vel ad martyrum tum veteris, tum novi testamenti cruciatus.

4. *Dominus justus concidit cervices  
peccatorum. Perdet eos, qui me per-  
sequuntur, Babylonis imperium  
evertet, Babylonios sub Persarum  
jugo subjiciet, quod reapse con-  
tigit Babylone a Cyro devicta.*

6. *Fiant sicut fenum tectorum. In  
Palaestina tecta plana sunt, in qui-  
bus nonnunquam gramen crescit,  
sed propter Regionis ardorem im-  
modicum, & defectum humoris,  
cito*

cito deficit, & arescit. Hæc locutio perfecte exprimit caducitatem, & brevitatem prosperitatis impiorum.

## PSALMUS CXXIX.

**O**Rat scelerum suorum culpa, & pœna liberari.

1. *De profundis clamavi. Captivi Babylonici exitium suum, & servitutem describunt velut carcerem, abyssum, aut foveam profundam. Alii de profundis, de cordis imo interpretantur.*

3. *Si iniuriantes observaveris Domine! Si mea, aut aliorum hominum peccata examinaveris, & discusseris. Quis sustinebit? quis justitiae tuae rigorem ferre poterit?*

4. *Quia apud te propitiatio est. In misericordia tua speravi, propter legis tuae promissiones.*

6. *A custodia (Hieron. a vigilia) matutina, usque ad noctem, vigiliam vespertinam, ab excubis matutiniis seu primo mane, usque in altam noctem, id est tota die, omni hora.*

7. *Copiosa apud eum redemptio: Liberatio, & salvatio: Allegorice Hieron. Redemit nos Christus non auro, sed sanguine suo, non paucos homines, sed universum mundum: non ad paucos annos, sed pro tota æternitate, nec ad exiguum emolumendum, sed immensum gloriae pondus.*

## PSALMUS CXXX.

**P**rofunda humilitas, qua tibi diffidas, & uni DEO fidas, praesentem a DEO opem meretur.

1. *Neque ambulavi in mirabilibus super me: non sum scrutatus arcana DEI consilia, vim ingenii mei transcendentia.*

2. *Si non humiliter sentiebam: for-*

*mula jurandi: nisi ita sit. Sic ablatatus: A quo Mater subtrahit mamillam, sic a DEO subtrahatur mihi omnis favor, & consolationis dulcedo. Ita retributio, fiat punitio in propria persona.*

## PSALMUS CXXXI.

**S**alomon arcam transferens, per merita Davidis orat, ut DEUS templum inhabitet. Allegorice Ecclesia per merita Christi DEUM obtestatur, ut se, tropologice, ut animas fideles inhabitet. Psalmus est historicus, & propheticus.

1. Memento Domine David, & omnis manfactudinis ejus: Ne resperceris peccata nostra Domine, sed memineris meritorum David. Memento eorum, quæ ipsi pollicitus es, & quæ ipse pro tua gloria perpessus est.

2. Votum votit DEO Jacob: Votum suum implevit David, cum locum templo designavit, & ad ædificandum res necessarias comparavit.

3. Si introiero in tabernaculum domus mea: Formula jurandi, & superiore Psalmo: Si quievero, donec reperero aream tabernaculo DEO Jacob ædificando, hoc aut illud mihi eveniat: Hæc mibi faciat DEUS, & bac addat; frequens est in scripturis.

6. Ecce audivimus eam in Euphrata: A Patribus nostris audivimus tabernaculum tuum olim in Euphrate, in Silo, in tribu Ephraim diutius constitisse. Ex historiis liquet, illud in campis silva. sive in Cariath-iarim stetisse: Exinde illud: Domine collocasti in Jerusalem, & promisisti nomen tuum ibi in æternum esse permansum, & hunc esse locum quem elegisti. Nihilominus Jerusalem subversa

est, & suis in ruderibus jacer. Consurge ergo Domine, redi in locum quietis tuae tu, & arca sanctitatis tuae. Hæc explicatio inter alias Calmeto simplicissima, & verosimillima videtur.

9. Sacerdotes tui induantur justitiam. Induant vestes Sacerdotales, quæ mentis puritatem designabant, vel sanctiorem vitam.

11. Non frustrabitur eam: non retractabit promissum.

12. Si custodierint filii tui testamentum meum: Vox Hebræa Berith בְּרִית etiam pactum significat: utrumque designat, & pactum cum operis conditione; & testamentum, cum sit firmatum morte testatoris.

16. Sacerdotes ejus induam salutari. Salvabo eos undique, sicut vestimentum circumdat hominem circum quaque.

17. Illuc producam cornu David: Dignitatem regiam ipsius prolongabo in filiis suis propter ipsum. Paravi lucernam Christo meo: Paravi uncto meo Davidi posteritatem, quæ sua claritate, & gloria quasi lampas late fulgens ipsum etiam Davidis nomen illustrabit. S. Hieron. & August. Allegorice di-

dicunt lucernam hanc fuisse Joannem Baptis tam, ardentem, & lumen tem.

18. *Super ipsum autem effloredit sanctificatio mea. Benedictio mea.*

Hieron. & Chald. *Diadema, & corona, qua Davidem ejusque posteros in reges coronavi, & sic mihi sanctificavi, & consecravi.*

## PSALMUS CXXXII.

**S**Tnagoga, & pariter Ecclesia, pacem, & concordiam sub uno Rege, Christo, Principe & Sacerdote commendant. Psalmus iste cantatus fuit in reditu e captivitate.

2. *Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam &c. Sacerdotum ac Levitarum unctio in domo Domini & que dulcis est, & que jucunda, ac suaviter olens, ac unguentum, quo Aaron in sua consecratione fuit delibutus. Unguentum illud, quod Moyses effudit super caput Summii Sacerdotis in tanta copia, ut non solum comæ, & barba illius maduerint, verum etiam usque ad fimbriam, vel collare ejus defluxerit.*

3. *Sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion. Hermon mons*

est in tribu Issachar multo altior monte Sion. Sensus est: concordia fratrum rori similis est, nam ut ros aestivis mensibus hominibus, & agris gratissimus est, praesertim montanis, qui humorem magni desiderant, utilissimus etiam, & iis fecundandis aptissimus; ita animorum consensio præter voluptatem, multas in familiis utilitates infert.

*Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem. In locum concordie destinat Dominus bonorum omnium abundantiam, & felicitatem,*

## PSALMUS CXXXIII.

**U**Ltimus est inter graduales: Hortatur Sacerdotes, & Levitas, ut exstructo, dedicatoque templo diuinæ laudes studiosius celebrent.

1. *Qui statis in domo Domini, in atriis domus DEI nostri. Laicis noctu in templo morari nefas erat, Sacerdotes, & Levæ, qui tunc ibi aderant in præsidio soli immora-*

bantur, & agebant excubias. Liquet duo proprie fuisse atria in templo: Sacerdotale videlicet, & atrium Israël, sed in hoc quædam pro mulieribus erat divisio, & for-

fortasse etiam in altero ad Sacerdotes a Levitis sejungendos.

2. In noctibus extollite manus vestras in sancta. Vos, qui noctem

in templo agitis, Dominum rogate, ut misereatur Israël.

3. Benedicat te Dominus ex Sion: Verba sunt David bene precantis iis, qui suo consilio paruerint,

### PSALMUS CXXXIV.

**I**Nvitat omnes ad laudandum DEUM ob beneficia praestita Israéli, & orbi Uni-verso.

7. Educens nubes ab extremo terrae.  
Ab ultimis terrarum oris sublevans vapores, & in nubes cogens.  
Fulgura in pluviam fecit. Quia frequenter in dictis nubibus generantur tonitrua, & inde procedunt coruscationes, & fulgura.  
De thesauris suis, de locis absconditis, & homini ignotis.

11. Omnia regna Chanaan: quoniam numerantur 31. Josue 12.

14. In servis suis deprecabitur: A servis suis exorabitur, placabitur illis, si quando in ipsum peccaverint.

15. Simulacra gentium &c. Vide Psalm. 113.

### PSALMUS CXXXV.

**E**Jusdem est argumenti cum præcedente.

1. Confitemini Domino: laude soli DEO debita.

2. Confitemini DEO Deorum: Divorum, Angelorum, Cœlitum;  
Vel DEO, qui eorum, qui Dii appellantur, DEUS est.

5. Qui fecit cœlos in intellectu: Cum infinita sapientia.

6. Qui firmavit terram super aquas. Terram superiorem aquis constituit, dum eam super aquas late, & ample apparere fecit.

8. Solem in potestatem diei: Ut præcesset diei.

9. Lunam, & stellas in potestatem noctis: ut præsent nocti, illam illuminent.

PSAL-

## PSALMUS CXXXVI.

**L**lagent Judæi captivitatem in Babylonia. Inscrabitur Jeremias,  
quia hos threnos latius prosecutus est.

1. Super flumina Babylonis: Juxta Tygrim & Euphratrem illic sedimus: Populus in captivitate gemens, & Christiani in hoc sæculo, suam utriusque Jerusalem desiderant: nam ex S. August. flumina Babylonis sunt omnia, quæ hic amantur, & transeunt.

2. In salicibus &c. Ad salices iuta marginem ripæ suspendimus cytharas, & instrumenta musica.

3. Illic interrogaverunt nos -- verba cantorum. Ut cantaremus cantica, tum respondimus: Quomodo cantabimus canticum? In terra indolatriæ subdita.

5. Oblivioni detur dextera mea: Vatabil. obliviscatur nempe artem tractandi instrumenta.

6. Adhuc lingua mea fauibus meis: Elinguis siam, ne canere possim, aut loqui. Si non proponero Jerusalem in principio latitiae: Si canticum laudis ullum canam, nisi ob restitutam Jerusalem.

7. Memor esto Domine filiorum Edom in die Jerusalem: Qualiter se gesserint in vastatione Jerusalem, cum immemores humanitatis concitarunt Babylonios contra Jerusalem.

8. Filia Babylonis: Gens Babylonica. Misera Hebr. devastata. i. e. devastanda, præteritum pro futuro.

9. Beatus, qui tenebit, & allidet parvulos tuos ad petram. Bene verat DEUS Cyro, qui tibi vicissim rependet vastitatem, quam Jerusalem intulisti, & pari modo parvulos tuos allidet ad petram, ut tu nostros allisisti. Quod optat ex affectu non vindicta, sed justitia, ut impii parentes puniantur in suis prolibus. S. August. Quando nascitur cupiditas, antequam robur faciat adversum te mala consuetudo, dum adhuc parvula est, allide ad petram, petra autem erat Christus.

## PSALMUS CXXXVII.

**E**st Psalmus Eucharisticus, quo Synagoga & Ecclesia gratias agit DEO pro beneficiis, Messiae gloria, & conversione gentium.

1. In conspectu angelorum: Hebrews: coram Diis, ut Hieron. seu

Judicibus, ut Chaldaeus vertit: quanquam Hebreum nomen

P p

אלהים

בָּרוּךְ אֱלֹהִים, etiam angelis ap-  
proprietur, quos certum est pio-  
rum precibus interesse.

2. Adorabo ad templum sanctum  
tuum: versa facie ad ipsum.

3. Confitebor nomini tuo super mi-  
sericordia tua: Annuntiabo univer-  
sa terræ, Te DEUM esse miseri-  
cordem, & in exequendis pro-  
missis tuis fidelem. Multiplicabis in

anima mea virtutem: Vires, & ani-  
mos mihi addes.

4. Audierunt omnia verba oris tui,  
promissa tua vere, & re ipsa esse  
impleta.

8. Dominus retribuet pro me: ho-  
stibus meis vindictam.

Opera manuum tuarum ne despicias.  
Ne derelinquas populum tuum,  
qui est opus manuum tuarum.

## PSALMUS CXXXVIII.

**M**oralis est Psalmus, quo Synagoga, & Ecclesia homines ad-  
monet DEUM scientia sua cuncta, vel occultissima penetra-  
re, eumque ut Judicem opera nostra in omni æquitate remunerari,  
aut punire.

1. Domine probasti me, & cognovisti  
me: Nihil est in me tam occultum,  
quod te fugiat.

2. Tu cognovisti sessionem meam &c.  
Nulla vita meæ actio te latet.

3. Intellexisti cogitationes meas de  
longe: antequam illas conciperem.  
Semitam meam, & funiculum meum  
investigasti: cognovisti omnes actio-  
nes meas, earumque rectitudinem.

Semita, vita rationem designat,  
funiculus vero actionum cum divi-  
na lege conformitatem.

4. Non est sermo in lingua mea:  
quem tu non noveris, quorsum ten-  
dat, aut qua mente proferatur.

5. Posuisti super me manum tuam:  
Conservatricem, & gubernatri-  
cem.

6. Mirabilis facta est scientia tua  
ex me: Major est scientia tua, qua  
me formasti, quam animo conse-

qui possim. Non potero ad eam per-  
venire.

7. Quo ibo spiritu tuo? Spiritus  
tuus replet universam terram,  
omnia vivificat, in creata qualis-  
bet effusus est. Ipse est velut  
oculus infinitæ Majestatis tuz.

Si ascendero in Cœlum tu illic es, si  
descendero in infernum, ades. DEUS  
per potentiam suam est ubique,  
Majestas ejus, & misericordia efful-  
get in cœlo, justitia vero ac seve-  
ritas manifestatur in inferno. In  
omni loco mihi obvius occurrit.

9. Si sumpero pennas meas dilucu-  
lo, & habitavero in extremis maris:  
Sine te non ibo. Si illuc me pro-  
ripuero, inde me auferes; quo-  
cunque pergam, semper ero in  
manibus tuis.

11. Foritan tenebre conculcabunt  
me, Densa caligo me involvet, &  
ocu-

oculis tuis subducet. Quod in terra pedibus calcatur, oculis subtrahitur. *Nox illuminatio mea in deliciis meis:* Si tenebras captavero, & voluptati indulsero, oculos tuos non fugiam.

12. *Quia tenebrae non obscurabuntur a te:* Objectioni v. 11. factæ occurrit, & responderet nullas esse tenebras, quæ impedian, quo minus DEUS cuncta intueatur.

13. *Suscepisti me de utero &c.* Protectisti me a mei origine. Possediti renes meos: Nostri affectus meos, studia, & consilia.

14. *Terribiliter magnificatus es.* Magnus & terribilis apparuisti in strætura hominis. Miro quodam modo formatus sum. Anima mea cognovit nimis vim supremi opificis.

15. *Non est occultatum os meum a te.* Nullum ex ossibus meis te latet.

16. *Imperfectum meum viderunt oculi tui.* Hieron. informem adhuc me, foetum rudem in utero.

*In libro tuo:* In notitia tua, omnes scribentur: notitia prædestinatorum dicitur liber vitæ, in quo soli electi scripti sunt; notitia autem præscientiæ, sive reprobationis, dici potest liber mortis, in quo repro-

bi adnotati sunt. Sed notitia DEI generalis, ut hic accipitur, extendit se ad omnes.

17. *Mibi autem nimis honorificati sunt amici tui DEUS.* Quam gloriosa, & præstans mihi videtur amicorum tuorum conditio! quam frequens eorum numerus! felicitatem eorum omnibus iis censeo anteferendam, quæ hic studiosissime conqueruntur, & magni fiunt.

18. *Dinumerabo eos &c.* Si vellem eos numerare, non possem. Sicut nec maris arenam. *Exsurrei per gratiam tuam a peccatis adulterii, & homicidii;* & adhuc sum tecum. In præsenti per gratiam, in futuro per gloriam.

19. *Si occideris DEUS peccatores:* Si, ut sanctos tuos honorificas, ita peccatores puniveris; *Viri sanguinum:* impii omnes declinate a me.

20. *Quia dicitis in cogitatione: cogitatis intra vos,* & dicitis: *Accipient in vanitate Civitates tuas:* Frustra accipient civitates tuas justi, & amici tui, quia brevi eos inde exturbabimus.

22. *Perfecto odio oderam illos:* August. hoc est perfecto odio odire, ut nec propter vitia homines oderis, nec vitia propter homines diligas.

## PSALMUS CXXXIX.

O Rat liberari ab insidiis Saulis, & Doëg, vel ut alii, Achitophel: eorumque punitionem prædicit.

3. *Tora die constituebant prælia:* Nihil nisi rixas, & bella cogitabant.

P p 2

4. *Acerunt linguas suas sicut serpentis:* Doëg, & alii detractores in-

incitabant maligne Saulem ad persequendum David inique.

6. *Juxta iter scandalum posuerunt  
mibi: vanis insidiis me illaqueare  
conabantur, ut a via mandatorum  
DEI deflesterem.*

8. *Domine virtus salutis meæ: i.  
e. per cuius virtutem sum salvatus.  
Obumbrasti super caput meum: Pro-  
texisti me quasi clypeo.*

9. *Non tradas me Domine a deside-  
rio meo peccatori. Ne concupiscen-  
tia me pertrahat in malum.*

10. *Caput circuitus eorum &c.  
Summa insidiarum suarum, qui-  
bus me circumvenire student:*

nempe afflictio illa, & pernicies,  
quam labiis suis mihi afferre pa-  
rant, eos involvet, obruet, & per-  
det.

11. *Cadent super eos carbones: Ul-  
trices flammæ, quibus olim Pen-  
tagolis conflagravit. In ignem (in-  
fernî) dejicies eos.*

12. *Vir linguosus: Maledicus,  
mendax, calumniator, non dirige-  
tur in terra: non prosperabitur.*

14. *Habitabunt recticu[m] vulu[m] tuo:  
Scil. cum favore, & gratia tua:  
Anagogice, cum clara visione  
DEI.*

## PSALMUS CXL.

**P**Saltes cum Synagoga, Christus cum Ecclesia patientiam in affli-  
tione, & securitatem ab hostibus postulant.

2. *Dirigatur oratio mea sicut incen-  
sum: Oratio, & manuum eleva-  
tio isthic unum, & idem signifi-  
cant. Hebræi manibus in cœlum  
elatis vulgo preces suas effunde-  
bant. Quotidie bis, mane scil.  
& vespere ponebatur thus super  
altari aureo ante velum Sanctuarii.*

3. *Pone Domine custodiam ori meo:  
Nam tanta est lingua volubilitas,  
ut solo DEI timore, & amore in  
officio contineri possit.*

4. *Non declines cor meum &c. Ne  
permittas cor meum inclinari, aut  
labi in verba mala, aut inconsulta.  
Ad excusandas excusationes: ut  
peccata mea excusare velim, aut  
minuere. Fecit hoc David, cum*

reprehensus a Nathan sine excu-  
satione humiliiter delictum suum  
confessus est.

5. *Corripet me justus: Lubens  
hoc feram, ut me justus miseri-  
corditer corripiat, cum peccave-  
ro. Oleum autem peccatoris, non im-  
pinguet caput meum: adulatio, &  
blandiloquentia non demulcent,  
aut decipiunt me persuadendo, qua-  
si, dum perperam ago, bene agam.  
Quoniam adhuc modicum temporis  
superest, & exaudiatur oratio mea,  
qua versatur, in, id est circa, be-  
neplacitis eorum, ut scil. DEUS ali-  
quando deliciis, & petulantii eorum  
finem imponat.*

6. *Absorptisunt, pro absorbebu-  
tur,*

tur, & interibunt juncti peers: al-lili saxis, vel e rupe præcipitati, *Judices*: Principes eorum. Ita fa-ctum Idumæis 2. Paralip. 25. Au-dient, pro audiant verba, quoniam potuerunt se corriger ad monitio-nem verborum meorum.

7. *Sicut crassitudo terræ erupta est:* Sicut terra aratro discissa rumpitur, & glebz hinc inde in proximos

sulcos ab agricola sparguntur: sic ossa, id est vires nostræ ab hostibus confringuntur, & dissipantur.

10. *Cadent in retiaculo:* Suismet laqueis illaqueentur: Singulariter sum ego: semotus, & ita tutus a laqueis eorum, donec transeam illæ-sus, vel donec migrem ad vitam feliciorem.

## PSALMUS CXLI.

**S**icut David obfessus a Saule 2. Reg. 24. Ita Christus in mon-te Oliveti ad DEUM se recipit, ejusque opem implorat.

4. *In defiendo ex me Spiritum meum:* Cum video me præ affli-tione ita deficere, ut semianimis pene jaceam, ego ad te oro.

5. *Non erat, qui cognosceret me:* mihi undique hostibus cincto o-mnis effugiendi facultas erepta est. Non est, qui requirat animam meam: nemio est, qui vitam meam salva-re velit.

7. *Humiliatus sum nimis:* Admo-dum afflictus sum.

8. *Edue de custodia, & speluncæ hujus, in qua metu Saulis inclu-dor, carcere animam meam.* Justi: non tam Angeli, quam quotquot Judæorum bene de Religione, & DEO sentiunt; Donec retribuas mi-bi: pro omni persecutionis æru-mna, quam patientissime sustineo, Israëlis regnum.

## PSALMUS CXLII.

**A** persecutione Absolonis, licet juste promerita, rogat liberari. Tropologice pœnitens a via peccati optat deduci in viam virtutum, & salutis.

1. *Exaudi me in tua justitia.* S. Chrysost. habet: in tua misericor-dia: & sane in Scripturis s̄æpe u-num pro altero usurpatur.

2. *Non intres in judicium cum servo tuo:* Non punias me secundum ri-

gorem iustitiaz tuæ: scivit enim David, quod propter peccata sua mortem esset meritus.

3. *Collocavit me in obscuris:* Sum velus clausus in sepulchro; ita late-re cogor ob persecutionem filii

Ab,

**Absolon.** *Sicut mortuos seculi, qui jam pridem fato functi sunt, quorum nomina oblivio obruit.*

**5.** *Memor sui dierum antiquorum: temporum illorum, quibus pro populo tuo tot, tantaque prodigia operabar, ut tempore Abrahā mi, Moysis &c.*

**6.** *Animas meas sicut terra sine aqua ti-*

**bi:** *Tuum auxilium operior quem adinodum arestens terra solis radiis exusta pluviam expectat.*

**7.** *Similis ero descendētibus in lacum: Si orationem meam rejicis, jam descendō in sepulchrum.*

**8.** *Auditam fac mihi mane: Accelerā, ut mihi opem feras,*

### PSALMUS CXLIII.

**D**avid pro victoria contra Goliath. Christus, & Ecclesia pro victoria contra Luciferum gratias agunt; & orant ab inimicis defendi.

*affabre, situante*

**3.** *Domine quid est homo, quia innotuisti ei? Cui te manifestum fecisti in mysterio incarnationis; quia reputas eum. Cogitas de eo, & curam ejus geris.*

**5.** *Domine inclina Caelos tuos, & descendē: Factum est hoc, quando natura humana cum divina coniuncta fuit in persona verbi.*

**6.** *emitte sagittas tuas: Vulnerentur male fani, ut sanentur bene vulnerati.*

**7.** *Libera me de aquis multis: de confluxu multarum afflictionum, & calamitatum, quae me quasi aquae obruunt, & suffocant. Et de manu filiorum alienorum: de manu Philistinorum, qui dicuntur filii alieni, quia idololatriæ dediti.*

**8.** *Et dextra eorum. i. e. virtus ad bellandum. Dextra iniquitatis: quia contra Israël habebant injarium bellum.*

**12.** *Quorum filii sicut novella plantations: seu plantulae, scil. pulcherimæ, florentissimæ, oculis gratissimæ. Filia eorum composite, circumnata, ut similitudo templi: ad instar templi & statuarum affabre sculptarum & ornatarum. Tropologice sunt hæreses inquit S. Hieron. & artes meretriciæ, ut ait Theodoret.*

**13.** *Promptuaria eorum plena, eructantia &c. redundantia videlicet, prænimia copia inclusarum opum, ut sepe oporteat eas ex uno promptuario in aliud transferre.*

**14.** *Non est ruina maceria: Tuta sunt omnia in tectis & urbibus, nulla labes in stabulis, neque clamor tumultuantium, nullus fit clamor luctuosus.*

**15.** *Beatum dixerunt populum, cui haec sunt: Ii scil. qui felicitatem ex rerum fluxarum copia metientes, de æternis non cogitant. Verum bea-*

*beatus populus, cuius est Dominus DEUS ejus: Ille solus populus vere beatus est, qui verum DEUM* colit, qualis tum solus fuit populus Judaicus: et si in cæteris defectum patiatur.

## PSALMUS CXLIV.

**L**audes Domini. Magnitudo illius, potentia, providentia, misericordia erga suos, & omnia creata celebratur; hæc autem omnia ad DEUM laudandum invitantur.

7. *Et iustitia tua exultabunt: Quia Chananaeos de terra promissionis ejecesti, & filios Israël ibi habitare fecisti.*

14. *Allevat Dominus omnes, qui coruunt: Quia coruentes in culpam semper paratus est relevare, quantum est in se, licet aliqui renuant.*

15. *Tu das escam illorum: Hunc locum fideles referunt ad Eucharistiam.*

16. *Aperis manum tuam: Per tuz bonitatis diffusionem.*

18. *Prope est Dominus omnibus invocantibus eum in veritate, non sufficit Dominum invocare, sed in veritate, i. e. recto, & sincero corde. Nam non omnis, qui dicit Domine Domine Ec.*

19. *Voluntatem timentium se facies. Eos voti damnabit, & eorum desideriis quodam modo obtemperabit, ut fecit Moysi, Josue, & aliis.*

## PSALMUS CXLV.

**F**iducia nequaquam collocanda est in principibus, neque in filiis hominum, sed in uno DEO, cuius potentia, & bonitas sunt infinitæ.

3. *In quibus non est laus: Qui salutem afferre non possunt.*

4. *Exibit spiritus ejus: Princeps non minus ac novissimus de populo morietur; anima ejus de corpore recedet. Et revertetur in terram suam. Scil. corpus unde originem habuit. Tunc peribunt omnes cogitationes: Evanescunt omnia consilia, concident omnes machina-*

tiones, quas statuerat exequi in vita sua.

7. *Dominus solvit compeditos: de captivitate, ubi tanquam in horribili carcere detinebamur, nos eruit. Tropologice: solvit vincula concupiscentiarum, & alios pravos animi affectus. Anagogice solvit ærumnas carnis per mortem, & resurrectionem.*

PSAL.

## PSALMUS CXLVI.

**L**AUDAT DEUM, quod populum Israëlitarn sub Judicibus olim per terras gentium dispersum jam collegerit in Jerusalem, quodque omnibus liberaliter provideat; allegorice quod gentes collectæ sint in Ecclasiam Christi.

1. Quoniam bonus est psalmus: Psalmi decantatio non solum utilis est, & impetratoria, sed etiam in se bona, & honesta.

2. Dispersiones Israël congregabitur. Per Zorobabel, & Jesum filium Josedech primo, & postea per Esdras, & Nehemiam.

3. Sanat contritos corde: consolatur eos, qui afflito sunt animo: sensu sublimiori, a peccatis absolvit eos, quos peccasse poenitet ex corde. Alligat contritiones eorum. Instar periti chirurgi curat confractiones, & vulnera eorum. Allegorice, per Sacra menta curat vulnera, morbos animæ.

4. Qui numerat multitudinem stel-

larum: Qui infinita sua scientia, innumerabilem stellarum multitudinem ita cognoscit, ut, si velit, omnibus nomina possit imponere.

6. Humilians autem (deprimens) peccatores usque ad terram.

9. Qui dat escam - pullis corvorum: Quos parentes negligunt, donec incipient nigrescere. Invocantibus eum, suo modo DEUM invocant, quasi nutritorem, dum attollunt vocem, & caput in cœlum.

10. Non in fortitudine equi; non in robore equitum, voluntatem habebit, delectabitur. Nec in tibiis viri, nec in velocibus cursoribus, aut in pedum suorum labore confidentibus magis, quam in DEO.

## PSALMUS CXLVII.

**S**TNAGOGA, & Ecclesia iterum omnes ad laudes DEI adhortantur. Hic psalmus apud Hebreos est pars precedentis, qui illis est 147. Psalmus, & ita cum latinis rursum conveniunt in numero psalmorum, a quibus Psalmo nono detixerant.

12. Lauda Jerusalem Dominum: Jerusalem instaurata, quod utique ad Ecclesiam facile transferri potest.

13. Confortavit seras portarum tuarum. Ita ut nihil metuat ab hostibus. Ecclesiam virtute crucis adversus portas inferi munivit.

14. *Adipe frumenti: medulla tritici, & farina puriore satiat te. Allegorice doctrina Christi, & S. Eucharistia.*

15. *Qui emitte eloquium suum terrae: Verbum Evangelicum, quod præcepit publicari per orbem terrarum.*

*Qui dat nivem sicut lanam: ad modum lanæ albam, & molleam.*

16. *Nebulam sicut cinerem spargit: Hebr. pruinam: nam & colore, & copia, & virtute similis est pruina cineri, exurens, & absumens nimium humorem terræ.*

17. *Mittit crystallum suum sicut*

*buccellas: Hieron. & Chaldæus: projicit glaciem suam: Vel potius grandinem conglaciatam, quæ similis est buccellis, hoc est bolis, descendit enim in globos compatta.*

18. *Emitte verbum suum, & liquefaciet ea: solo suo iussu solvet glaciem, & pruinam. Elabit spiritus ejus: ventus calidus, fluent aquæ: solventur in aquas.*

20. *Non fecit taliter omni nationi: Revelationes enim Propheticæ non sic factæ fuerunt aliis gentibus.*

## PSALMUS CXLVIII.

**O**mnes creaturas invitat ad laudandum DEUM.

*Laudate Dominum de Cœlis: A perfectioribus, & sublimioribus creaturis incipit. Primum cœlestes alloquitur spiritus, mox astra, & corpora lucentia, quæ sua pulchritudine, & fulgore secundum capacitatem naturæ suæ DEI omnipotentiam, & sapientiam celebrant. Per virtutes vulgo intelliguntur astra: alii tamen hoc loco intelligunt agmina cœlestium spirituum.*

4. *Laudate eum cœli celorum. Cœlum altissimum, seu empyreum, quod est beatorum sedes.*

6. *Statuit ea in aeternum: Videl. Angelos, Solem, Lunam, stellas &c. Præceptum posuit; Certam le-*

*gem statuit & ordinem circa sistemum, & motum corporum cœlestium.*

7. *Laudate Dominum de terra dracones, & omnes abyssi. Nunc ad terram descendit, omniaque in ea contenta ad laudem DEI invitat. Dracones: scil. marini, seu ceti, quæ omnibus animantibus magnitudine præstant.*

8. *Ignis grando - - spiritus procellarum: venti procellas excitantes, seu turbines, hæc omnia, etiam dum nobis flagella sunt, non nisi illo jubente agunt.*

9. *Omnes Cedri: species progeneri, cedrus pro omni arbore.*

14. Confessio ejus super cœlum, & terram: Confessio laudis ipsius fiat ab inhabitantibus cœlum, & terram.

Exaltavit cornu: potentiam, gloriam, regnum populi sui Israëli-

tici, ut mox subjungit, Hymnus omnibus Sanctis ejus, & quum est, ut omnis Israël hymnum DEO suo decantet.

Populo appropinquanti sibi: per veram fidem, & Religionem.

## PSALMUS CXLIX.

**I**Nvitat Israëlem ad laudandum DEUM ob victoriam partam ex omnibus hostibus; allegorice Christianos Victores dæmonum, mundi, & carnis, ideoque Judices futuros in die judicii.

1. Cantate Domino canticum novum. Ob nova beneficia collata.

5. Letabuntur in cubilibus suis: in locis maximæ quietis, qualis est cœlestis patria.

6. Exaltationes (laudes) DEI in gutture eorum, & gladii anticipites in manibus eorum: utrinque acuti: scil: qui serviant vindictæ de impiis sumenda, ut fecit Moyses, Josue &c. Allegorice potestas, & iurisdictio Ecclesiæ in quoslibet rebelles, Anagogice potestas

judiciaria Christi, & sanctorum in extremo judicio.

8. Ad alligandos Reges eorum in competibus: Cum scil. Principes infideles, & Ecclesiæ persecutores ligatis manibus, & pedibus jubebit Dominus projici in tenebras exteriores.

9. Ut faciant in eis judicium conscriptum. Præscriptum, & decreta a DEO. Gloria hac in omnibus Sanctis ejus. Nimirum potestas judiciaria, quam exercebunt in damnatos in die judicii.

## PSALMUS CL.

Est ejusdem Argumenti.

1. Laudate Dominum in Sanctis ejus. Symachus, & Aquila: in Sanctuario, seu sancto templo. Anagogice in Cœlo. In firmamento virtutis ejus: Ob suam eminentem virtutem, & potentiam

firmatam super omnes creaturas, Allegorice, ob firmissime stabilem Ecclesiam,

6. Omnis Spiritus: Quidquid uspiam spirat, cumprimit autem homo: laudet Dominum.

# LIBER PROVERBIORUM.

**O**MNIA, quotquot unquam scripta fuerunt, operum elegantissimum, ac majoris momenti proverbia Salomonis censenda sunt; Continet enim Liber thesaurum omnem Divinæ illius sapientiæ, qua eximus hic Scriptor, affatim ditatus fuit. Ultero namque de seipso fatetur, lucubrationes has fructum esse consummatæ prudentiæ suæ, & altissimarum cogitationum.

Quinque sequentes libri *sapientiae* nomine communiter insigniri solet. Trium priorum Auctorem esse Salomonem inter omnes convenit, qui etiam in Canonem Hebræorum recepti sunt. Reliquos duos Ecclesia pariter Canonicos agnoscit. Proverbiorum nomen alio, quam vulgari sensu usurpandum est. Designat enim sententias, axiomata, & lectiones quasdam breves ad mores informandos aptas, & in sententiæ morem vibratas. Fuere quidem sapientissimi Regis parabolæ multo his plures; nam ad tria millia ab ipso fuisse pronuntiatas constat, e quibus tamen nonnisi haec pauculae velut e naufragio reliquæ nobis manserunt. Sunt vero haec sententiæ sine certo ordine congestæ, quædam Ethicæ, quædam Oeconomicæ, quædam Politicæ, quædam Theologicæ. Rursus quædam didascalicæ, quædam consolatoriæ, quædam pareneticæ. Ut docet S. Hieron. hic in proemio: In proverbiis parvulos, & incipientes docet Salomon, eos de officio suo clare erudiens vitia relinquere, virtutes complecti. In libro Ecclesiastæ virum maturæ ætatis, & proficientem docet caduca desplicere, & virtutibus se dare. In Cantico Cant. consummatum, & perfectum virum, Seculo superiorem in persona sponsæ jungit amplexibus sponsi.

In his libris Salomonis septuag. Interpretes sæpe ab Hebræo, & Latino interprete discrepant, idque ob voces Hebraicas, quæ ut plurimum variæ significationis sunt. Omnia tamen, quæ his libris continentur esse Canonica Concilium Tridentinum definivit.

## CAPUT I.

**M**onet querere sapientiam: fugere peccatorum blanditias, eo quod sapientia ad sui amplexum invitet, & contemptoribus minetur exitium.

2. *Ad sciendam sapientiam, & disciplinam:* Sapientia ad perfectiores, disciplina ad rudiores pertinet videtur. Vox tum Hebræa, cum Græca eruditionem cum correptione significat.

4. *Ut detur parvulis astutia:* Simplicibus circumspetio.

5. *Intelligens gubernacula possidebit.* Quia non solum sciet regere se ipsum, sed etiam alios.

6. *Anigmata eorum.* Differt ænigma a parabola, quod hæc sit aperta, illud vero obscura narratio, sub qua occultum quid latet.

9. *Ut addatur gratia capiti tuo &c.* Ut apud DEUM, & homines gratiam, & favorem consequaris; quod futurum est, si Patis, & Matris pia monita ad aures, & animum admiseris, & per omnem vitam custodieris.

10. *Si te lactaverint peccatores:* Si tibi fucum facere voluerint, & velut inexpertum in suas partes pertrahere, cave, illis assentiari.

11. *Insidiemur sanguini:* Quia hac via facilius diteſcemus. *Fruſtra:* sine causa, nulla re ab eo violati, aut provocati.

12. *Deglutiamus sicut infernus vi-*

*ventem:* Subito illum, & nullo resistente perdemus.

14. *Sortem mitte vobiscum:* Habeamus bona omnia communia, quod nostrum est, tuum sit, & tuum nostrum.

17. *Fruſtra autem jacitur rete ante oculos pennatorum.* Sicut aves, dum vident sibi tendi retia, mox avolant; ita tu retibus & insidiis impiorum, simul atque adverteris, te expedi, & avola cœlestibus aliis, nempe timore, & amore DEL.

19. *Sic semita omnis avari.* i. e. cogitationes ejus, & machinationes ad rapiendum alienum. *Rapiunt animas possidentium:* exitium æternum Dominis suis adferunt.

20. *Sapientia foris predicit:* Predicavit in mundi creatione, & regimine, per Scripturam, per Ecclesiam, & omnes vitæ hujus eventus.

24. *Extendi manum meam:* Deus semper paratus est hominem juvare, modo faciat, quod est in se.

27. *Cum irruerit repentina calamitas:* Hæc videmus in Judæis impleta, qui sapientiam ipsam incarnatam ad se venientem audire noluerunt.

30. *Et detraxerint Correctioni meæ.* Dicentes eam esse injustam.

31. Comedent fructus vie sue: secundum opera sua mala punientur. Suisque consiliis saturabuntur, quia displicebunt illis, sed nimis sero.

32. Avercio parvolorum Sc. a sapientia perdit insipientes, sicut & prosperitas flitorum dementat eos, quia difficilis toleratur, quam adversitas.

## C A P U T II.

Sapientia multa bona confert, & multa mala avertit.

4. Si -- sicut thesauros effoderis illam: S. Greg. L. 5. Moral. C. 5. Sapientia in superficie non jacet: Eo mentis ardore querenda est, quo avari pecuniam querunt.

5. Tunc intelliges timorem Domini, & scientiam DEI: Veram sapientiam, quae in cognitione DEI, & illius sincero cultu consistit.

7. Custodit rectorum salutem: Hebr. Dominus protegit, quidquid ad justos attinet; est clypeus eorum, qui in perfectione graduntur.

9. Intelliges justitiam, judicium Sc. Non sunt haec inter se curiosius distinguenda, nam est Synonymorum coacervatio.

13. Qui relinquunt iter rectum: i. e. Legem naturalem, & divinam. Et ambulant per vias tenebrosas: scil. in tenebris errorum, quia de uno errore procedunt ad alium.

16. A muliere aliena: Quæ alteri viro nupsit; quæ uxor tua non est.

17. Reliquit ducem pubertatis sue: Maritum suum, qui eam virginem duxit, cum adhuc puella esset annis pubertatis.

18. Et pauci DEI sui oblita: Sacramenti matrimonii, & sponsionis nuptialis a DEO sanctæ: Inclinata est domus ejus ad mortem: Adulteræ scil. quæ instar viæ declivis dicit recta in præceps, in vicinum barathrum mortis, & gehennæ.

19. Omnes, qui ingrediuntur ad eam, non revertentur. Ad pristinum vigorem, salutem, vitam. Rare quoque revertuntur ad mentem, & ad pœnitentiam.

21. Recti habitabunt in terra: cum omni felicitate: Anagogice in terra viventium, seu patria cœlesti, quo impii non pervenient.

## C A P U T III.

Sapientia vitam producit; Fiduciam in DEUM, & timorem DEI; ideo impios perditio, pios benedictio manet.

3. Misericordia, & veritas non te deserant: Passim in Scripturis inve-

nitur haec loquendi ratio: Misericordia, & veritas, cum de DEO

sermo est: significat illius clementiam, & prævenientem misericordiam, ac summam fidem, qua ea, quæ promisit, adimplet. Circumda eas gutturi tuo: firmiter, & omni ex parte tibi adsint, pro ornamento eximio ea habeas.

7. Ne sis sapiens apud temetipsum: Omnibus nervis contendit Salomon, ne prudentia nostræ nimium fidamus, sed aliorum consilia exquiramus.

8. Sanitas quippe erit umbilio tuo &c. Viscera tua sana erunt, & ossa tua plena medulla, qua irrigentur. Umbilicus pro omnibus partibus internis corporis sumitur, a quibus prospera, aut adversa valetudo pendet.

16. Longitudo dierum in dextera ejus &c. Sapientia ambabus manibus ostentat parata cuique præmia tum temporalia, cum æterna. Rabbi Levi, Lyran &c. per dextram intelligunt fontem primarii boni: per sinistram fontem secundarii, & accessorii boni.

17. Via ejus, via pulchra: Quocunque sapientia graditur, ibi dulces, & innocentes voluptates occurunt.

18. Lignum vita est his &c. Ta-

lis est sapientia, qualis virtutis in paradiſo fuit lignum vite: servat diuturnam, & felicem vitam in mundo, & in altera vita illis felicem comparat æternitatem.

20. Sapientia illius eruperunt abyssi. Cum DEUS divisit aquas ab aquis, & dispescuit in maria, flumina, lacus, & rivos.

21. Fili mi, ne effluant haec ab oculis tuis: scil. mentalibus, quia sunt jugiter attendenda.

22. Erit gratia faucibus tuis: Eloquium tuum omnibus gratum erit.

24. Si dormieris, non timebis: Quia obdormies in DEO, & statu salutis.

30. Ne contendas adversus hominem frustra: Noli esse litigatori: Periculosa contentio cum iis, qui sunt ditiores, dubia cum æqualibus, turpis cum inferioribus.

31. Abominatio est Domino omnis illusor: astutus, & psevdo-politicus, quem capiet in sua astutia. Cum simplicibus sermocinatio ejus: cum justis, & sinceris familiariter agit.

35. Stultorum exaltatio ignominia: Tolluntur enim in altum, ut lapsu graviore ruant. Id docuit Saul, Achitophel, Aman, & tot alii nostro saeculo.

## C A P U T IV.

**S**apiens exemplo suo hortatur ad querendam sapientiam propter eximios ejus fructus; item ad custodiam cordis, oris, & gressuum.

3. Unigenitus coram Matre mea. Sic dilectus, quasi unigenitus es-

sem. Vide 1. Paralip. 3. §.

7. Posside sapientiam: Hebr. eme? Acqui-

Acquisitio sapientiam quavis pretio, & labore; hic est enim modus acquirendi sapientiam, nulli parcere labori.

9. Corona inclita proeget te. Veteres sapientibus dabant coronas in signum, quod ab aliis honorari, & in periculis juvari debeant.

12. Non arctabuntur gressus tui. In principio enim via virtutis videretur arcta; quia difficile est tenere medium; sed per consuetudinem dilatatur, & redditur facilis.

16. Non enim dormiunt, nisi cum male fecerint. Quietem capere non possunt, nisi cum malum, quod omnino conceperunt, perpetraverint.

17. Comedunt panem iniquitatis, inique partum ex furto, & rapinis.

18. Iustorum autem semita quasi lux splendens; Vita iustorum semper in virtutibus capit incrementum, & aliis lucet, ut sol in meridie.

22. Et universæ carni sanitas: In Hebreo est: omnibus hominibus melalem afferunt.

26. Dirige semitam pedibus tuis Affectibus tuis, quibus anima incedat.

27. Vias, quæ a dextris sunt: bona, & rectæ, quæ ad dexteram DEI deducunt, novit Dominus: nempe scientia approbationis. Dextrum pro fausto, sinistrum pro infasto communiter usurpatur.

## CAPUT V.

**A** Scortatione, & adulterio cavendum monet.

3. Favus enim distillans labia meretricis: Illecebræ ejus; atque affentiunculae primum quidem melle dulciores sunt; at e vestigio absynthio amariorem amaritudinem cognoscunt. Mulier (ajebat quidam Philosophus) est naufragium hominis, familiæ procella, vita captivitas, animal nequitiam refertissimum, malum necessarium.

5. Pedes ejus descendunt in mortem. Actiones ejus ad mortem ducent.

9. Ne des alienis honorem tuum. Ne in periculum adducas honorem tuum communicando cum meretrice, quæ tibi adulatur, ut ad interitum vocet. Et annos tuos crudeli: Meretrici, vel adulteriæ!

10. Ne impleantur extranei virtibus tuis: Opibus, labore tuo partis, vel etiam viribus corporis tui, quas exauris vacando libidini.

15. Bibe aquam de cisterna tua. Vive cum uxore tua, & licito coniubii jure fruere,

16. Deriventur fontes tui foras: E-grediatur de domo tua speciosa, & frequens progenies.

18. Sit vena tua (uxor tua) benedicta a DEO, ut scil. multas tibi & validas, ac vegetas proles partiat.

19. Cerva charissima, & gratissi-

mus binnulus: Sit tibi uxor tua instar amabilis cervæ, chara, in deliciis unica, blanda marito, pudica &c.

23. In multitudine stultitia sua decipitur: Quia sapiens sibi videtur, quæ est maxima stultitia.

## C A P U T VI.

**S**Alomon, & sapientia, mystice Christus, & Ecclesia hortatur fugere temerariam sponzionem, otium, apostasiam, superbiam, fornicationem, præcipue spiritualem.

1. Si spoponderis pro amico tuo: Non omnes fide-jussiones damnat Salomon; sed vult, ne temere & præcipitanter fiant, & ut ab iis quam possumus citissime nos expediamus. Defixisti manum: Indicat modum, & ritum dandæ fidei creditori per contactum mutuum dexteræ.

3. Incidisti in manum proximi tui: obligationem contraxisti. Suscita amicum tuum: Urge, officii admonitione, ut ipse satisfaciat creditori, ne tu ejus loco præstare cogaris.

5. Bruere: Eripe te de manu illius, & de obligatione te libera, sicut damula, quæ timida est, & nequaquam teneri patitur: vel sicut avis.

6. Vade ad formicam o piger! Ex hac bestiola disce præcepta cœconomia, & quid agendum tibi sit, nisi egestatis miserrimæ fôrdibus squallere velis.

7. Quæ cum non babeat ducem. Si-

cut apes, in quibus forma est Monarchia: In formicis natura videatur designasse formam democratiæ, seu popularis regiminis.

10. Conferes manus ad quietem, quas laborantes extendunt ad opus.

11. Veniet ubi quasi viator egestas. Ex improviso, & quasi vir armatus, tibi prævalebit, & inermem obruet.

12. Graditur ore perverso. Alia loquitur, alia sentit; gestus, qui sequuntur sunt hominis arrogantis, aliorum facta fastidientis, discordias seminantis.

16. Sex sunt, quæ odit Dominus: Modus loquendi frequens in Scripturis, quo tamen non semper significatur illud esse têrrium, quod ultimo loco ponitur. In Hebreo: imo septem.

19. Qui seminat discordias inter fratres: Cum enim fraterna caritas maxime DEO placeat, ideo spe.

specialiter odit eum, qui istam dolose auferre conatur.

21. Et circumda gutturi tuo. Loquendo de eis. Liga ea in corde tuo: alte impressa in corde tuo.

22. Cum dormieris custodient te. Voluptas, quam dat meretrix, vix æquivalet pretio, quo panis emitur, & pro ea confert animam.

32. Qui autem adulter est: Excusabilis quodam modo est fur, qui a necessitate inducitur: Adulter vero levitate, insania, & stultitia mentis.

34. Non parcer in die vindictæ. Cum maritus occasionem nactus fuerit se vindicandi de adultero.

## C A P U T VII.

**H**ortatur adolescentem ad sapientie amplexum, & mandatorum custodiam, ut scortorum blanditias evitet, & mala inferorum.

6. De fenestra -- per cancellos prospexi: Loquitur Salomon de se, ostendens, quomodo superior ali quando occulite debeat observare subditos.

14. Victimæ pro salute voti: Habeo domi convivium paratum ex victimâ pacifica hodie oblata; ex hac enim pars cedebat offerenti, quæ adhibebatur in epulum.

16. Intexui funibus lectulum meum. Fasciis, sive funibus, quibus culcitrae, vel lectisternia superimponuntur, quæque asserum vicem impletent, ut mollius cubent, qui in lectulis suis quieti se dant.

18. Inebriemur uberius. Impleamur amoribus.

19. Non est enim vir: sive maritus meus domi.

20. In die luna plena. Alii legendum putant: in novilunio. quia in hoc Judæi festivitates celebrabant.

22. Donec transfigat sagitta divinæ ultiionis.

26. Multos enim vulneratos dejicit: Salomon quin longe peteret exempla, domestica ob oculos habuit documenta tristum carnalis amoris effectuum in David Patre suo, Amon fratre; imo scipium eorum, quæ hic dicuntur, tristissimum præbuit exemplum.

## C A P U T VIII.

**S**apientia nos ad sui amplexum invitat: cœlestem suam doctrinam multis modis commendat: beatos pronunciat, quotquot sibi obedierint; qui vero spreverint, miseros, & infelices.

1. Sapientia clamitat &c. Per Pro-

sive cognitionem & qui, & boni; quæ undique innotescit de verticibus, & collibus, quales dicuntur ab Homero, & in Scripturis sidera cœli. *Supra viam in mediis semitis.* i. e. ex rebus etiam in terra, & per corporea tum elementa, tum mixta conspicuit. *Fuxa portas:* ex tribunalibus, & sapientum responsis passim declaratur. *Mystice tamen quoque intelligitur sapientia incarnata,* quæ ipsa inculcat viam DEI personaliter, & per Apostoles, Angelos, Doctores. Quæ vero dicuntur de Christo, sepe quoque intelliguntur de illius corpore mystico, cuius primatum membrum est Deipara: Quæ proinde etiam ipsa nomine sapientia hic a Patribus intelligitur, cui & sapientia invenientia singulariter plane se communicavit.

4. *O Viri, ad vos clamito:* Per viros intelliguntur Principes; per filios hominum plebei.

12. *Habito in consilio:* & recto usu intellectus, & præsideo magistribus, tribunalibus, & curiis.

13. *Timor Domini edidit malum.* Qui sapientiam querit, debet odire malum.

15. *Per me Reges regnant.* Omnis auctoritas, & potestas a DEO est Auctore sapientiae.

17. *Qui mane vigilent ad me.* Qui me sollicite querunt. *Opes superbae (excelsæ, & eminentes) & justitia:* Hic pollicetur Salomon la-

pientibus divitias, atque justitiam, raras dotes, & quæ diu simul esse non possent, nisi sapientia, & virtus dominarentur.

22. *Dominus possedit me in initio viarum suarum.* Hæc omnia respi- ciunt sapientiam æternam, Verbum Patris. Dominus per omnem æternitatem possedit filium suum, eo, quod in principio erat Verbum, & Verbum erat apud DEUM. Septuag. vertunt: *Dominus creavit me:* In quantum videlicet æterna sapientia caro facta est, & habitavit in nobis, eratque Princeps omnium creaturarum.

24. *Ego jam concepta eram.* Subsistebam in sinu Patris, antequam fuerint creature: Eram veluti con- cepta, & clausa, cum nihil abhuc extrinsecus produxissem.

30. *Ludens coram eo omni tempore.* Hæc locutio innuit facilitatem, voluptatem, peritiam artificis omnipotentis, & sapientiae, cum qua, & per quam quæcumque creat, nec non miram operum naturæ varietatem; ubi Creatoris sapientia lusisse videtur, cum omnia tali ordine disponeret, & tali pulchritudine exornaret.

31. *Delicia meæ esse cum filiis hominum:* DEI sapientia se communivit homini præ ceteris omnibus creaturis sensibilibus, illi soli tribuens rationis usum, & animam, quæ omnibus prudentiae luminibus, omnibusque virtutum exercitationibus possit præfulgere.

34. Vigilat ad fores meas quotidie. me querit, mihi adharet, me audiit ubique, & omni occasione.  
Qui instar vigilantium discipuli

## C A P U T   I X.

**D**omus sapientiae; ejus convivium, ad quod simplices invitati, non autem irrisores: Meretrix invitat insipientes ad convivium suum: infelicitas eorum, qui ad illam accedunt.

1. Sapientia edificavit sibi domum. Ecclesiam in terris, ab initio mundi, usque ad finem duraturam. S. Bernard. allegorice id exponit de B. Virgine DELpara; Tropologice de anima hominis justi.

Exscidit columnas septem. i. e. multas, per has intelligi possunt vel septem Sacraenta, quibus Ecclesia quasi innititur, vel septem dona Spiritus S. aut deinceps Doctores, Prophetæ.

2. Immolavit victimas: Quarum prima est ipsa Christi humanitas, sociata tamen innumeris martyrum, Virginum, Confessorum holitiis. Misericordia vinum: divinitatem humanitati copulavit. Proposuit mensam: Præparavit doctrinam sacram. Item aram, in qua vinum Eucharisticum aqua miscetur.

3. Misit ancillas suas. Apostolos,

Concionatores, & Doctores, qui universos populos ad sapientiae studium, ad J. C. fidem, ad virtutem, ejusque exercitium invitent.

4. Si quis est parvulus. Invitat simplices, qui parvulorum innocentiam habent, non vero sapientes hujus saeculi.

6. Relinque infantiam: Vana, & inutilia.

7. Qui erudit derisorem, sibi injuriam facit. Hominem perditum, qui monita sapientiae contemnit. Hi derisores ad unguem haereticorum ingenium exprimunt.

17. Aquæ furtivæ dulciores sunt: Hæc est adagialis locutio, quæ innuit illicitas voluptates esse licitis suaviores.

18. Et ignoravit: scil. Juvenis vecors, quod ibi lateant gigantes, sive demones, eum ad interitum raptari.

# C A P U T   X .

## Parabolæ Salomonis.

**A**lternat sermonem de filio sapiente & stulto, justo, & impio, operante, & otioso, simplici, & pravu; de charitate, & odio, de bonis, & damnis linguae.

3. Non affliget DEUS fame, inopia, animam justi: Insidias autem impiorum, quibus collegerunt opes, evertet.

4. Qui nititur mendacis pascit, venos: Quia non consequitur, quod vult, & mendacia nihil habent firmi, nec quidquam prosunt. Sequitur aves volantes: frustra laboret.

6. Benedictio super caput justi: Dominus cumulabit justos benedictionibus suis, & permitteret, ut improbi pudore, & ignominia suffundantur in poenam impietatis suæ.

7. Nomen impiorum putrefacet: Graviter olebit. Hoc pacto adversam nominis existimationem exprimunt Hebrei.

8. Stultus cæditur labiis: Inconsultorum sermonum suorum, quos effutit, poenam sustinet.

9. Qui ambulat simpliciter. Qui candide, sincere, & innocenter agit. Pravus autem manifestus erit. Patefient fraudes ejus.

10. Qui annuit oculo: Signum impudicitiaz ostendens mulieri alienz.

11. Vena vitae os justi. Qui sancta loquitur: Improbus vero intus retinet malitiam, etiamsi recta interdum loqui cogatur.

13. Qui indiget corde. Intellectu.

19. In multiloquio non deerit peccatum: Ferme impossibile est, ut plurima effutias, quin pecces, seu vanitate, seu levitate, seu contra charitatem, aut bonam famam proximi.

20. Argentum electum lingua justi: Quia profert verba munda, & sic comparatur argento, quod est sonorum, & mundum.

25. Quasi tempestas transiens &c. Impius est hominibus terribilis ad breve tempus, ut tempestates, & procellæ, quæ non multo post, quam excitatae sunt, solvuntur in nihilum.

26. Sicut acetum dentibus &c. quos obstupefacit, & ad mandendos cibos parum idoneos reddit; sic homo ignavus est iis, quorum negotia suscepit.

32. Labia justi considerant placita: Justus cæver, ne quem verbis suis lædat, & impius pravis sermonibus suis cordis iniquitatem detegit.

CA-

## C A P U T X I .

**J**ustorum, & Sapientum bona collata malis impiorum, & insipientium. Veræ, ac false diuītiæ.

4. *Iustitia autem liberabit a morte: æterna.*

8. *Tradetur impius pro eo: In eandem calamitatem succedet impius.*

9. *Justi autem liberabuntur scientia. DEUS illis tribuet scientiam, aperietque insidias, ut verum a falso discernant.*

12. *Vir autem prudens rasebit: amici vitia.*

13. *Qui ambulat fraudulenter: sub amici specie alterius animum explorat, revelat arcana.*

15. *Affligetur malo, qui fidem facit pro extraneo: Molestiam experietur, qui pro altero spondet.*

21. *Manus in manu non erit: Licet addatur; sive etsi multorum manibus, & adjumentis fulciantur crimina impii, tamen non erit immunis a poena.*

22. *Circulus aureus in naribus suis: Ut monile pretiosum non congruit porco; ita forma corporis*

non ornat, sed deturpat meretricem.

23. *Præstolatio impiorum furor: non nisi furorem spirant, & perniciem aliorum.*

25. *Qui inebriat: Qui benignus est, & alios egentes bonis suis implet, DEUM benignum, & liberalem experietur.*

26. *Qui abscondit frumenta. Qui fruges abscondunt, dum caritas ingruit, a DEO maledicentur.*

29. *Qui conturbat domum suam. Qui bona sua dilapidat, possidebit ventos: pauperem se deprehendet,*

30. *Fructus justi lignum vite. Opus justi deducit ad esum ligni vite, qui est Christus in beata fruitione. Qui suscipit animas: Qui fovet, juvat, & necessitates illorum sublevat.*

31. *Si justus hic punitur propter parva delicta, quanto magis impius, & peccator?*

## C A P U T X I I .

**C**ommendat eum, qui diligit disciplinam, & pietatem: reprehendit, qui odit, & negligit. Exponit fructus oppositos iusti, & impii, diligentis, & otiosi, sapientis, & stulti, linguae bonæ, & male.

2. *Qui confidit in cogitationibus suis. Qui neglegta DEI lege, & voluntate, suum tantum judicium superbe sequitur, impie agit.*

4. *Mulier diligens corona est viro suo: est ei causa honoris. Et pater in officiis ejus. Improba vero, impudica intimum animi ejus, subinde & corporis exedit robur, & absumit praeterea dolore infamia.*

7. *Verte impios, Et non erunt. Ad quemcunque levem perturbationem impiū decident, & non erunt.*

10. *Novit iustus jumentorum suorum animas: Eciam jumenta sua benignè tractat, & servis benefacit.*

11. *Qui suavis est in vini demotionibus: Miles convivator amittit arcus, & potator malam famam relinquit.*

12. *Deficiunt impii. Cogitat impius machinis fraudulentis expugnare arcas iustorum; sed horum possessio in DEO radicata proficit.*

18. *Est, qui promittit: Qui falsa promittit, & ideo loquendo titubat, similis est ei, qui gladio conscientie pungitur.*

23. *Homo versus celas scientiam: Sapiens, ut serpens, qui a fibilo cessat, dum hostis propinquus est.*

27. *Substantia hominis. Possessio hominis non dolos erit preiosa.*

## C A P U T    X I I I .

**S**Apientia agit de oris custodia, de paupere divite, de substantia festinata, seu male partis, de maturo consilio, de correptione.

1. *Filius sapiens doctrina Patris: Probat, & manifestat in se suisque moribus doctrinam, & institutum probam Patris sui.*

2. *De fructu oris sui: quo alios instruit, & sancte tractat, satiabitur consolatione divina, & ope humana.*

4. *Vult, Et non vult piger: Piger nequamquam constans est in consiliis suis, neque patiens in coepitis suis, vellet aliquid agere, sed labore timet; incipit, sed statim cessat.*

7. *Est quasi dives, cum nihil habet: sunt quidam in omnium rerum penuria divites, quia medi-*

*co quod habent, contenti sunt, animo tranquillo vivunt: Sunt & alii, qui cum multas opes habeant pauperes tamen sunt animo, & usu, juxta illud: tam deest avaro, quod habet, quam quod non habet.*

8. *Redemptio anima viri divitiae sue: Divites apibus suis se facile liberant a multis adversis, pauper autem sub illis fatiscit, & deficit.*

9. *Lux iustorum Sc. Prosperitas eorum, quæ per lucem designatur, sicut adversitas per tenebras, latifat, quia prosperitate bene uititur. Lucerna impiorum extinguitur: Prosperitas finietur, vel in-*

*mor-*

morte, vel in vita per casum, etiam non raro cum infamia.

11. *Substantia festinata: quibusvis artibus parta, minuetur.*

12. *Spes, qua differtur, affligit animam. Nihil magis affigit quam cunctatio rei, qua ardenter expectatur, & summa solicitudine expectatur. Lignum vita: Res jucundissima, & suavissima. Desiderium veniens: Res desiderata, tandem obtenta.*

13. *Qui derabit alicui rci: Quicunque alicui labem adsperserit, tenetur probare, quod alterit, vel palinodiam canere, vel mendax haberi.*

15. *In itinere contemporum: bona doctrina. Vorago: quia ruunt de peccato in peccatum.*

17. *Nuntius impii caderet in malum. Hebr. nuntius impius: vel qui impii mandata exequitur, caderet in malum.*

22. *Custoditur iusto substantia peccatoris: Divina providentia sepe malis adimit, qua bonis largiatur.*

23. *Multi cibi in novalibus Patrum. Qui colit agrum, sibi a Patribus suis relictum, ibi affluent inveniet, unde alatur; si autem absque judicio & attentione id egerit, fructus, quos iudee percipier, absument alii.*

## C A P U T   X I V .

**V**arie morum sententiae. Antithesis inter sapientiam, & stultitiam, ac variis utriusque effectus.

3. *In ore fulti virgo superbia. Verba superba, & injuriosa, quibus alios flagellat, erunt vicissim ipsi met virga, & instrumentum, quo vapulet.*

4. *Ubi non sunt boves, praeseppe vacuum est. Ubi non laboratur, neque ager colitur, neque fructus percipi potest. Hæc sententia ad Evangelicos operarios passim referatur, cuius figura sunt boves agris excolendis destinati. Nisi agrum DEI ( Ecclesiam ) excoluerint, omnia sterilescunt.*

7. *Vide contra virum stultum. Resistete illi, te illi oponere, & statim insuinitatem illius agnosces.*

10. *In gaudio ejus non miscetur extranus: Homo solus suum gaudium, suumque dolorem sentit; nemo extraneus cor illius scrutari potest, ut ejus cognoscat affectus, quibus vel ad tristitiam, vel ad letitiam ipse quoque tangatur.*

12. *Est via, qua videtur homini justa. Falsa sapientia, falsa virtus, falsa pietas, falsus zelus, falsa poenitentia quasdam habent hallucinationes, qua ad vitam ducere videntur; at reipsa omnia hæc tandem deducunt ad mortem.*

13. *Risus dolore miscetur. Nulla est perfecta in terris latitia, nulla voluptas sine doloris admixtione.*

20. *Etiam proximo suo pauper odiosus erit. Amicos res optimae parunt, adversae probant; pauci sunt, qui in utraque fortuna æque fideles persistunt.*

23. *In omni opere erit abundantia. Nullus honestus labor est, qui utilitatem non adferat.*

24. *Corona sapientium, divitiae eorum: Quia eis recte utuntur, stulti stultitiam augent propter malum usum.*

28. *In multitudine populi dignitas Regis: Quo plures sunt Principis subditi, eo major est ejus gloria.*

30. *Vita carnium sanitas cordis. Cor sanum a passionibus, maxime ira, & livore, facit totum corpus vividum, & vegetum; sed invidia, & ira, & reliqua passiones exorbitantes, tabefaciunt etiam ipsa ossa, id est omne robur corporis, & animi.*

## C A P U T X V.

**S**Apientiae monita de bono, ♂ malo usu linguae; de vero gaudio, ♂ thesauro; de Cœlo, ♂ inferno; de timore Domini, ♂ humilitate.

4. *Lingua placabilis lignum vite. Mansueta lingua placat animos, quos turbulenta inquietat.*

5. *In abundanti justitia ſc. Qui sanctitate pollet, stat firme robe re nixus, qui autem in terra radices figit, evelletur.*

6. *Domus justi. Sive familia stat firma; improborum opes disperreunt.*

7. *Cor stultorum dissimile erit: In eo erit lucta affectuum.*

11. *Infernum ♂ perditio coram Dominis. Poenæ damnatorum perse cte introspiciuntur, & taxantur a DEO; ergo etiam novit secreta cordium.*

17. *Melius est vocari ad olera cum charitate ſc. Melius est cum piis velci vilibus, quam cum impiis lautissime epulari.*

19. *Icer pigrorum, quasi sepes spinarum. Pigri ubique difficultates inveniunt; nihil facile, nihil possibile est, si iis fidem habueritis.*

23. *Lætatur homo in sententia oris sui. In consilio suo; attamen ſepe consultius est alienum sequi.*

24. *Semita vita super cruditum. Via virtutis est ardua, per eam autem ab inferno receditur.*

30. *Lux oculorum letificat animam. Non secus ac sensibilis lux sanum oculum recreat, & immittit gaudium in animam; ita bona forma voluptatem adfert, neque parum prodest ad rectam corporis valitudinem.*

33. *Gloriam precedit humilitas: Ita ſemper egit divina sapientia juxta illud Matth. 23. Qui ſe humiliat, exaltabitur.*

## C A P U T   X V I .

Variæ viæ , & effectus diuinæ providentiae ; cui omnia , quantumvis fortuita videantur , subjecta sunt.

1. Hominis est animam preparare : Non tamen ( ut volebat Pelagius ) sine concursu DEI per gratiam in rebus , quæ ad salutem pertinent . Et Domini gubernare linguam . Nova gratia requiritur , ut ea , quæ concepimus , recte eloquamur .

3. Revela Domino opera tua : Petendo ab eo auxilium , & successum .

4. Impium quoque ad diem malum : Ad severum judicium expectat , & relinquit eum suæ voluntati , sic tamen ut justo judicio suam inde gloriam reparet .

5. Etiam si manus ad manum fuerit &c. Licet in signum innocentiae utramque manum levaverit , non est innocens .

10. Divinatio in labiis Regis : Quasi prophetica locutio est , quæ procedit de ore Regis , cum ista a DEO dirigatur .

11. Pondus & statera judicia Domini sunt : Judicia , & opera DEI omnia justissima sunt , & omnibus momentis ponderata . Omnes lapides sacculi : Olim lapidibus , quos sacculis inclusos habebant , merces ponderabantur .

14. Indignatio Regis nuntii mortis . Iratus Rex vultu suo omnibus terrorem incutit , etiam mortis , quam irati Reges saepe inferri minime opinantibus jusserunt .

16. Quasi imber serotinus ; diu expectatus , ideoque gratissimus .

26. Quia compulit eum os suum : Nisi comedendi urgeret necessitas , nunquam laboraret ; non enim laborat , nisi fame coactus . Paupertas , & necessitas admirabiles sunt magistræ ; mentem acidunt , industriam excitant , artes perficiunt .

27. Vir impius fodit malum : Cum labore , & attentione operatur malum , sicut qui thesaurum fodit .

30. Qui attonitis oculis cogitat præva : sic gestus vulgo notæ sunt prava habitudinis cordis .

33. Sortes mittuntur in finum : Nihil in mundo accedit non jubente , vel permittente DEO . Quod fortuito & casu factum videtur , nequaquam tale est . Sortes ipsæ invisibili , sapientique manu diriguntur .

## C A P U T   X V I I .

**S**Apientia declarat varias conditiones, & effectus prudentiae, & stultitiae, pietatis, inpietatis.

1. *Melior est buccella : Eucharistica Ecclesia, quam omnes victimae Synagogæ.*

2. *Servus sapiens dominabitur filii stultis : Ita nunc Ecclesia gentium dominatur Judæis.*

4. *Malus obedit linguae iniquæ : Qui per linguam peccat, etiam per linguam punietur.*

7. *Non decent stultum verba composita : Ficta, mendacia ; quanto magis dedecent Principem.*

8. *Gemma gratissima exspectatio præstolantis : Merces, quam exspectat operarius, est ei instar gemmarum, cuius spe & desiderio opus suum circumspete, solicieteque perficit.*

9. *Qui celat delictum : Semper terno illud silentio sepeliens, firmat amicitiam : Qui vero commemorat male ab altero facta, disolvit.*

11. *Angelus autem crudelis mittitur contra eum : Daemon, vel immitis superior congruit illi.*

14. *Qui dimittit aquam : Qui dat initium jurgiis, est similis qui rumpit aggerem, cui magna vis aquæ incumbit. Deserit : Si sapit, cœptam causam deserit coram judice.*

19. *Qui exaltat ostium : Qui limen suum ita elevat, ut extra nei difficulter ingredi possint : si ve qui miseris negat accessum ad se, quærit ipsorum interitum.*

20. *Qui vertit linguam : variat, mutatque sermonem.*

22. *Munera de finu : clam.*

24. *Oculi stultorum in finibus terræ : Cogitat solum de regnis, provinciis, agris amplificandis.*

27. *Prestiosi spiritus vir eruditus. Qui raro, & rara loquitur.*

## C A P U T   X V I I I .

**N**On facile deflectendum a semel stabilita amicitia, charitate, justitia, aliisque virtutibus.

4. *Aqua profunda verba viri : Sapientis non omnia, quæ recondita habet, profundit : sed ex abundantia stillat ea, quæ audienti profint.*

7. *Os stulti contritio ejus : Ruina est sibi metipsi.*

8. *Verba bilinguis quasi simplicia : Videntur simplicia, bilinguis enim*

enim se simulat amicum, ut tanto certius noceat.

10. *Turris fortissima nomen Domini*: Nomen Domini pro ipso Domino sumitur, ejusque præsidio ac protectione.

14. *Spiritus viri*: Hominis cordati, & magnanimi, fert æquanimiter mala corporis sui : Spiritus vero pusillus qualem habent, qui facile irascuntur, & murmurant, sibi aliisque gravis est.

16. *Donum hominis dilatat viam ejus*: Munera nobis apud Optimates & Principes viam sternalunt.

17. *Justus prior accusator est sui*: Justus habens litem, in principio ultiro fatetur, quæ sunt contra se; unde si adversarius postea

aliud adjiciat, facile cum calumnia convinet.

18. *Contradiciones comprimit fors*: Difficiles litigationes optime dirimet iudex per sortem, cui etiam potentes acquiescent.

19. *Frater, qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma*: Sive, duo simul resistentes hosti, æquivalent integræ civitati. Et justitiae in judiciis recte administratæ conservant Rempublicam.

20. *De fructu oris viri replebitur venter ejus*: Verba illius erunt ei fons bonorum, vel malorum, prout bene, vel secus lingua suam noverit moderari.

21. *Mors & vita in manu lingua*: Ut quis lingua sua utitur, ita ei bona vel mala contingunt.

## C A P U T X I X.

**S**Apientiae documenta de simplicitate, mansuetudine, patientia, misericordia, & correptione admittenda.

1. *Quam dives torquens labia*: Alios contemnendo, non solum in corde interius, sed etiam exteriorius.

8. *Qui possessor est mentis*: Qui sua consilia celat.

10. *Non decent stultum delicia*: Servus non est indulgenter habendus, ne ipsum imperium affectet servitute excussa.

11. *Doctrina viri per patientiam nascitur*: Sapientia regentium

ostenditur in eo, si norint differre iram, & poenam, & prætergredi, sive dissimulare delicta subditorum usque ad opportunum tempus.

12. *Sicut fremitus Leonis*: Proprium Regis est terrere ira malos subditos, bonos clementia fovere.

13. *Tecta jugiter persillantia mulier litigiosa*: Quia ejus lites, murmurata,

mura , fictæ lacrymæ , clamores  
nunquam cessant.

15. *Anima dissoluta esuriet.* Qui  
a vinculo legis solutus est, pigri-  
tia vacat , ad paupertatem de-  
volveretur.

17. *Fæneratur Domino:* Dat mu-  
tuum pro usura , qui miseretur pau-  
peris.

18. *Ad interfectionem:* Noli opta-  
re mortem filii , & multo minus  
hanc ei procurare desperatione  
emendationis.

19. *Cum rapuerit , aliud apponet:*  
Qui paupertatis impatientia fu-  
ratur , majus malum incurrit.

23. *Timor Domini ad vitam:* Ti-  
mens DEUM ad vitam proficit :  
& rerum copia cum securitate  
fruetur.

24. *Abscondit piger manum suam,*  
non extendentio eam ad labores :  
unde nec ori eam admovebit ,  
quia non habebit , quod rodat.

25. *Pestilente flagellato:* Si eum ,  
qui scandalose vivit , scutica ca-  
stigaveris , etiam stultus alieno  
malo emendabitur. Sapiens au-  
tem sola verbali correptione cor-  
rigitur.

## C A P U T   X X .

DE carvenda ebrietate , offensione Magistratum , contentio-  
ne , otio.

4. *Propter frigus piger arare no-  
luit :* Allegorice in vita præsen-  
te homo tepidus non seminat  
pauperibus largiendo ; in altera  
ergo vita mendicabit ipse sicut  
dives epulo , & nihil obtinebit.

5. *Sapiens exbauriet illud :* Sapi-  
entia sua vestigabit , & cognoscet  
intima consilia aliorum , con-  
jecturam ex vultu signis & mori-  
bus faciendo.

8. *Rex - - dissipat omne malum  
inuitu suo.* Si ipse per se rebus  
attendant , non contentus commis-  
sisse servis suis. Mystice Judex  
ille Christus est , venturus judica-  
re sæculum per ignem.

10. *Pondus & pondus &c.* Di-  
versa pondera ad fallendum abo-  
minatu ~~DEUS~~ DEUS.

11. *Si munda & recta sit opera:*  
Præfigia sunt , quid sperari de  
eo posuit.

12. *Dominus fecit utrumque :* Scil.  
aurem , & oculum : iis ergo be-  
ne utendum , & ob eum finem ,  
ad quem hi sensus nostri institu-  
ti sunt. Quamobrem pueri a  
prima ætate videant , & audiant  
honesta , non turpia.

13. *Aperi oculus tuos :* Evigila  
ad laborem , & satiaberis.

16. *Tolle vestimentum &c.* Ab  
eo , qui facile spondet : Exagge-  
rat

rat levitatem sponsoris, quod fo-  
veat pigritiam creditorum, ideo-  
que mereatur privari omnibus  
rebus loco pignoris.

17. *Suavis est homini panis men-  
daciæ : malis dolis, & injustitiis  
acquisitus. Sed postea implebitur os  
eius calculo, tam durius, & adver-  
sus erit, ac si arenam, aut calcu-  
los manducaret, qui dentes per-  
fringunt.*

19. *Ei, qui revelat mysteria : Tres  
insignes defectus, qui reddunt  
hominum amicitia indignum : Se-  
cretum non tegere, dolose age-  
re, inanes effutire sermones.*

20. *Extinguetur lucerna ejus, in  
maximas quasque calamitates de-  
cidet.*

21. *Benedictione carebit : Quia  
dilapidavit hæreditatem in juven-  
tute.*

25. *Ruina est homini devorare  
Sanctos : Væ illis, qui Sanctos, fi-  
delesque viros laceſſunt ; DEUS  
enim ſuſcipiet amicorum ſuorum  
cauſam. Væ item illis, qui vota  
ſua non exſolvunt ; DEO enim  
non eſt illudendum.*

26. *Incurvat ſuper eos fornicem :  
Dejicit eorum ædes, Mausolæa,  
ſepulchra, memoriam eorum tol-  
lit.*

27. *Lucerna Domini ſpiraculum  
hominis : Hominis anima eſt velut  
ardens lucerna, quam DEUS in-  
tra nos ſuccendit, quæ regit  
quidquid ibi eſt.*

30. *Livor vulneris abſtergit mala :  
Stulti poenit corriguntur, insipi-  
ens non emendabitur niſi ſeve-  
ris objurgationibus & ſævis ſup-  
pliciis.*

## C A P U T      X X I .

**S**Apientia docet hominem DEO obsequi, misericordiæ, iustitiæ, aliisque virtutibus ſtudere, os ſuum custodire, ſedulo, & prudenter agere.

1. *Sicut divisiones aquarum : Non  
ſecus, ac agricolæ ritorum aquas.  
quo iplis lubet, immittunt, Ita  
Dominus cor Regis moderatur.*

4. *Exaltatio oculorum : Superbia,  
ac vanitas impiorum hunc illis  
fastum pariunt. Omnis proſpe-  
ritas impiis eſt occasio ad pec-  
candum.*

5. *Cogitationes robusti ſemper in  
abundantia : Labor & ſedulitas co-  
piam gignunt : inertia & pigri-  
tia hominem in egeſtate relin-  
guunt.*

6. *Qui congregat theſauros linguo  
mendaciæ : Bona male parta laque-  
us mortis ſunt poſſidentibus illa.*

9. *Melius eſt ſedere in angulo do-  
matis : In extrema parte domus*

sub dio in pluviis , quam cum muliere litigiosa in domo optime instructa. *Doma* erat suprema pars & tectum domus horizontali planum , quod relinquebatur servis, & pauperibus habitandum sub dio.

11. *Mulctato pestilente*: Pestilens homo ille est , qui aliis est scandalum . & occasio peccandi.

12. *Excogitat justus de domo impii*: Speculator & despicit , quomodo eum convertat.

14. *Munus absconditum extinguit iras*: Quod clam offertur , placat eos , qui vehementer in nos excanduerunt.

16. *In cætu gigantum commorabitur*: Vide supra Cap. 9. v. 18.

18. *Pro justo (oppresso) datur impius ad pœnam*.

20. *Oleum in habitaculo justi*: Misericordia in pauperes auget opes.

22. *Civitatem fortium ascendit sapiens*: Forti & munita Civitate sapere potitur Legatus sapiens prius , quam Dux belli per strepitum armorum.

25. *Desideria occidunt pigrum*: Flagrat cupiditate colligendi opes , aut perveniendi ad dignitatem ; sed id nunquam assequi potest.

26. *Tribuci & non cessabit a dando*: quia semper habebit.

28. *Vir obediens loquetur victorias*: Qui DEO , Legi , rationi , & Præpositis suis obtemperat , de hostibus suis triumphabit. Obedientiæ suæ merito debent victorias Moyses , Josue , Gedeon , David &c.

## C A P U T   XXII.

**S**Apientiae monita de cura boni nominis , de munditia cordis , pia sedulitate , benignitate in pauperes , bona institutione , fiducia in DEUM &c.

2. *Dives & pauper obviaverunt sibi*. Simul eodem loco , & tempore vivunt , ordinante DEO.

4. *Finis modestiae timor Domini*: Submissio animi parit DEI timorem , & gloriam , & vitam , sive bona hujus vitæ & futuræ.

5. *Arma & gladii in via perverfi*: Impiis semper circum undi-

que imminent pericula , semper in timore versantur.

6. *Adolescens juxta viam suam &c.* Sequitur adolescens primam consuetudinem suam , illa rudimenta , quæ a parentibus & præceptoribus hauit.

8. *Virga ira sue consummabitur*: Impius eadem cædetur virga , qua alios cæcidit. Vel potius iræ Di-

vina

vinæ virga eum conteret , & extermi-  
nabit.

9. *Animam ausert accipientium :*  
Favores hominum lucrantur , &  
corda eorum sibi devinciunt, qui  
munera largiuntur.

13. *Leo est foris :* Inanes præ-  
textus inertium hominum , qui  
volunt simul & nolunt , & sibi  
terrores , ac difficultates fingunt,  
ubi nullæ adsunt.

14. *Fovea profunda os alienæ :*  
Oscula scil. & colloquia mere-  
tricis.

18. *Cum servaveris eam in ventre  
tuo :* Tunc agnosces pulchritudi-  
nem doctrinæ , cum eam in cor-  
de tuo custodieris.

20. *Descripsi eam tibi tripliciter :*  
Ter jam : hoc est , pluries inculca-  
vi tibi præcepta mea , consilia  
mea , doctrinam meam.

22. *Neque conteras egenum in por-  
ta :* In judicio.

26. *Qui defigunt manus suas in  
signum fidei iustitionis.*

28. *Ne transgrediaris terminos an-  
tiquos :* Ne agrorum tuorum li-  
mites transgrediaris.

## C A P U T    XXIII.

**I**nter epulas invigilandum linguae : vitanda invidorum con-  
sortia : non imbiandum nimiis opibus ; cavenda crapula , &  
luxuria.

2. *Statue cultrum in gutture tuo :*  
Duo maximi defectus in mensa  
Principum sunt vitandi : primus  
quidem nimia verbositas , alter  
nimia edacitas , quorum utrum-  
que ut evitemus , hortatur sapi-  
ens , ut statuamus cultrum in guttu-  
re , nimiam aviditatem coercem-  
imus. Allegorice potest refeiri  
ad cœnam Eucharisticaam.

3. *Panis mendacii :* Omnia , quæ  
apponuntur , considera tanquam  
escam dolosam ; Cave ergo ne  
limites temperantiae excedas.

5. *Quas non potes habere Sine  
peccato ; quia hæc non durant ,*

sed dilabuntur , & ut aquilæ avo-  
lant , ut revocari non possint.

7. *In similitudinem arioli , & con-  
jectoris assimilat , quod ignorat . Ar-  
cana tua , & cogitationes tuas vult  
penetrare , omnia tua in pravum  
sensus detorquet.*

8. *Cibos , quos comedebas , evomes .*  
Sordidissimam illius avaritiam  
abominaberis ; evomuisse voles ,  
quidquid apud ipsum comedisti.

21. *Vestietur pannis dormitatio :*  
Dormitator , nec habebit , quo  
honeste vestiatur , eo quod somno-  
lentia & otium commissationi  
sit comes.

27. Puteus angustus aliena : Ex cuius illicito amore difficulter te eripies.

29. Cui va? Cuinam impendet calamitas ? Suffuso oculorum : morbus , oculorum rubor.

## C A P U T   XXIV.

**S**Apientia docet consortia malorum fugere ; sapientiae studere ; tueri, & juvare proximum, DEUM & Regem timere, juste judicare, non gaudere de inimici casu, nec otio indulgere.

5. *Vir sapiens fortis est* : Sapientia supplet fortitudinis defectum, etiam si vires corporis desint , tamen fortiora aliis praestat , maxime in bello.

7. *Excelsa stulta sapientia* : Supra captum ejus.

9. *Cogitatio stulti peccatum est* : Non nisi mala cogitat , & quomodo noceat aliis.

10. *Si desperaveris laetus* : Si semel animum desponderis , amittes omnem fortitudinem : ergo tu ne cede malis. &c.

15. *Ne -- queras impietatem in domo justi* : Ne observes , aut curiose explores , quid justus agat , nam & ipse quandoque labitur.

16. *Septies enim cadet justus* : Ad di solet : septies in die , sed nus-

quam reperitur. Justus nimis impudicus cadit leviter peccando , & resurgit : Impius autem ita cadit , ut non resurgat.

18. *Ne -- auferat ab eo iram suam* , & in te transferat.

20. *Lucerna impiorum* : Splendor ille dignitatis , & potentiae extinguetur.

26. *Labia osculabitur Rex* , si opportune judicet ; seu placebit aequum , ac si oscula omnibus figeret , quod olim erat moris.

30. *Per agrum hominis pigri transivi* : Inspexi vitam ignavi &c. Juxta S. Gregor. moral. 30. Cap.

20. *Quæ sequuntur desint in Hebrao* : Certe transumpta huc videntur ex Cap. 6. v. 10.

## C A P U T   XXV.

**S**Apientiae documenta de gloria DEI , & Regum ; pietate , mansuetudine , humilitate , quæ variis metaphoris adumbrantur.

1. *Quas transtulerunt* : Parabolæ , quas alias Salomon seorsim ediderat , viri Ezechiæ conjunxerunt huic libro.

2. *Glo-*

2. *Gloria DEI est celare verbum :* Non reddere causam legum suarum : Regis autem est eandem exequi, & scrutari.

3. *Cælum sursum, & terra deorsum &c.* Curandum est Regi, ut ejus consilia nemo sciat, æque ac profunda terræ & alta cœli.

11. *Mala aurea in lectis argenteis :* Nihil æque pretiosum est, atque verba opportune sapienter prolatæ; sunt enim velut aurea mala argenteis lecti fulcris imposita, quod tempore Salomonis, in tanta auri, & argenti abundantia, usitatum fuit.

12. *Inauris aurea :* Sicut inauris aurem condecorat, ita obedientia Sapientem, qui prompte excipit correctionem a Sapiente.

13. *Sicut frigus nivis in die mesis :* Tempore calidissimo refrigerium adfert messoribus; ita Legatus rediens & bona nuntians.

14. *Nubes & ventus :* Dum pluviam promittunt, at non praestant, similitudinem exhibent vi-

ri multa promittentis, & pauca servantis.

16. *Mel invenisti : Sive gratiam Principum : sive alias delicias ; utere, non abutere.*

*Acetum in nitro :* Evadit in medicinam variis morbis idoneam; Ita reprehensio moderata, & dulcorata sanat cor triste. Varias alias interpretationes dat Salazar.

22. *Prunas congregabis super caput ejus :* Beneficia tua erunt prunarum instar, quibus ejus frigus emollias, & eum ad ruborem, & pœnitentia affectum commoveas.

26. *Eons turbatus pede &c.* Magistratus corruptelis locum faciens similis est venæ, seu aqueductui a prætereuntibus calcato, ac diffracto, qui aquam perducere non potest.

27. *Qui scrutator est majestatis omnipotens a gloria :* DEUS perit a nobis submissionem humillimam, unde qui curiosius scrutatur fidei mysteria; in varios errores incidet.

## C A P U T   XXVI.

**S**apientia tradit regulas prudentiae : scilicet ne stultum exalte, ne cures calumniam, ne indulges otio, ne inepto conferas honores, ne tibi sapias, ne sis bilinguis, fallax in verbis, adulatoribus auscultans.

1. *Indecens est stulto gloria :* Non subsistens, sed fugit, liquefcitque ab ardoribus passionum ejus, ut nix æstivo tempore.

2. *Sicut avis ad alia transvolans :* & migrans instantे hyeme, æstate redit, ita convitum temere prolatum redit ad proferentem,

dum

dum affectum amicabilem erga alterum resumit, & quasi apud se consumnit.

4. *Ne respondeas stulto juxta stultitiam suam*: Stulte & insipienter respondens conviciando.

5. *Responde stulto juxta stultitiam suam*: Solidis rationibus, & gravibus verbis arguendo. Interdum stulto respondendum, ne sibi sapiens videatur: Sunt quædam sententiae in speciem pugnantes, sed adhibita temporum discrezione facile conciliantur.

6. *Claudus pedibus &c.* Qui stultum mitrit, idem facit, ac si mitteret claudum, & improbum: quia vel plane non, vel perverse rem facit.

7. *Quomodo pulchras tibias frnstra habet claudus*: Quia tamen claudicat: ita insigni parabola male utitur stultus, cum eam bene non applicat.

8. *Sicut qui lapidem mittit in acerum Mercurii*: Qui homini stupido, ac imperito magistratum confert, rem &que absurdam facit, sicut is, qui pretiosum lapi-

dem in acervum communium lapidum projiceret, quales cumuli ad statuas Mercurii in biviis juxta veterum consuetudinem passim cernebantur, quos cumulos transiuntes augebant accessione lapidis alicujus, quem in eum conjiciebant. Mercurius enim erat viarum, & viatorum Praeses, & DEUS.

12. *Vidisti hominem sapientem sibi videri &c.* Facilius est curare stultum, quam superbum.

17. *Sicut qui apprehendit auribus canem*: Irascentem, ut eum abstrahat, avertit furorem canis in se, ita qui in fervore iræ corripit vexantem.

23. *Quomodo se argento sordido*: Cor improbum est velut vas fictile, ac tumentia verba sunt velut sordidum argentum, quibus vas hoc est exornandum; hæc omnia simul commixta pessimum opus component; Ita impius qualem qualem personam induat, semper erit vas perperam exornatum, & male tectum.

## C A P U T   XXVII.

**N**E procrastines, ne vane te laudes: iram fuge: amicitiam sove: adulationem de vita. mansuetudine iram compesce: curam tuorum gere.

1. *Ne glorieris in crastinum*: Ne tibi blandiaris, atque de futuro tempore aliquid promittas, sal-

tem ne certum putas, quod futurum est.

8. *Sicut avis transvolans de nido suo*

*suo Sc. Qui relinquit patriam, & sedet in suam simili est aviculae nido suum deserenti, multis videlicet periculis expeditus.*

**12.** *Parvuli transeuntes sustinuerunt dispensia : Simplices incaute incredentes capiuntur insidiis fraudulentorum.*

**14.** *Qui benedicit proximo suo voce grandi : Qui laudes adulatoriis coacervat, & exaggerat, maledicenti similis erit.*

**16.** *Quasi qui ventum teneat. Volens mulierem litigiosam domi corrigeret, frustra laborat, sicut qui ventum tenere vellet. Et ut impossibile est unguentum contrectare, quin odor se diffundat ; ita inutile est tegere pravas affe-*

*ctiones hujus mulieris, quas nihilominus prodet.*

**22.** *Si contuderis stultum in pila. Olim ante inventas molas contundebant milium, triticum &c. in grandibus pilis marmoreis. quasi pisanas : sunt grana hordei decorticata.*

**24.** *Non enim habebis jugiter potestatem : Sub allegoria Pastoris monet Regem, ut saluti publicae consulat, non sive commoditat, quia breve sit regimen, & ab uno ad alium identidem transferatur.*

**25.** *Aperta sunt prata Sc. Subditi tibi abunde serviunt, ad de-liciose vivendum, tu autem eo-rum commodum fac procures.*

## C A P U T   XXVIII.

**S**apientia tradit regulas justitiae : scil. non pavere citra rationem, non opprimere pauperem : usuris, & malis artibus opes non augere : homicidis & furibus non misceri.

**2.** *Propter peccata terra multi Principes : Ubi multi Principes dominantur, & vexant populos : transferuntur imperia de familia in familiam, per seditiones & cades, ut saepe evenit in decem tribubus.*

**5.** *Vir pauper calumnians pauperes, quos potius juvare deberet, hunc sequitur certa calamitas, sicut imber, qui segetes opprimit.*

**7.** *Qui commissatores pafit : In-tempestivis indulgens conviviis,*

*confundit Patrem suum. Quia ma-lum, quod inde oritur, apprehen-dit ut suum.*

**8.** *Liberali in pauperes congregat eas : Quia enim ipse congregat avare, aliis liberaliter erogabit in pauperes.*

**11.** *Pauper autem prudens scruta-bitur cum : Observabit illius infirmitatem, & vitia, eaque dam-nabit.*

**14.** *Beatus homo, qui semper est pavidus : Qui periculum timet, &*

& semper intendit animum, ut omnes gressus suos dirigat, vitat peccatum.

17. *Hominem, qui calumniatur anima sanguinem:* Qui per calumniam sanguinem fudit, sive ad necem deduxit, et si innocentia, vel expiationis causa fugerit ad cisternam, & ibi se totum laverit, nemo tamen illum tolerandum putat.

24. *Particeps est homicide.* Hebr. Qui rapuit Patri suo vel Matri sue, & dixit se non peccasse, ligatus est cum homine destructore: æque noxius est, ac fur, & homicida.

28. *Abscondentur justi.* Cum impii ad honoris, & dignitatis apicem ascenderint, justi delitescent, neque prodire audebunt.

## C A P U T   XXIX.

**S**Apientia tradit signa veræ prudentiæ: scil. correptionem diligere, justitiam curare, iram, & adulationem cavere, pauperes non spernere, Religionem fovere, cum stultis non contendere, pueros, & servos rite instituere &c.

7. *Novit justus causam pauperum:* Justus judex non judicat causam incognitam, sicut improbus saepe facit.

11. *Totum spiritum suum profert stultus:* Effundit uno spiritu quidquid habet in corde, & temere secretum commissum pandit.

13. *Pauper & creditor obviaverunt sibi:* Uterque convenit in contractu usurario, utrumque au-

tem scrutatur DEUS; nam etiam qui accipit peccare solet.

18. *Cum Prophetia desecrit:* Cum Religio, & doctrina fidei defecerit, populus dissipatur, & insolescit: qui autem legem DEI veram custodit, feliciter gubernabitur.

20. *Stultitia magis speranda est:* Hebr. Spes stulti, præ illo: Facilius corrigitur stultus, quam ille.

## C A P U T   XXX.

**F**Undamentum sapientiæ scire se nihil scire; eo quod scientia Sanctorum occulta sit, & DEI majestas inscrutabilis. Insuper, quia fere ignoratur, quæ virtus sunt pessima, quæ insatiabilia, quæ cito transeant, quæ orbem conturbent, quæ maxime cavenda &c.

1. *Verba congregantis, filii videntis: viso, quam locutus est vir,* cum quo est DEUS, & qui, DEO secum commemorante, consoritus, ait. Illatenus

Etens Salomon docuit sub ficto nomine Sapientia: Hoc capite facit plures loquentes, qui sunt Agur: congregans. Ben-jake filius uomens, Ithiel: mecum DEUS, vel cum quo DEUS. Et Vehal Robustus. Sub his tamen nominibus occulta seipsum intelligit. Vocat se congregantem, partim quia divinitus collegerat ingentem sapientiae & gratiae divinæ copiam, quam pleno ore, velut cibum sumperat; partim quia omni genere divitiarum, deliciarum, voluptatumque sese ingurgitarat. Vomentum se appellat, quia easdem gratias perverse vivendo amiserat: sed &, quia abusus opibus, gaudia, scelera, pertæsus denique & pœnitens expuerat; idque DEO eum confortante, & adjuvante.

2. *Stultissimus sum virorum.* Rabbinus, Lyranus & alii volunt hæc verba esse Salomonis jam pœnitentis, & ex libidinum, atque idolatriæ voragine reducti. Sed potuit etiam ante lapsum istud ex vera humilitate pronunciare, si ea quæ ex se habet, consideret, non quæ ex speciali dono DEI. Item stultissimus fuit, quod hac sua sapientia, non ut alii in salutem animæ suæ usus fuerit.

4. *Quis ascendit in cœlum?* Quis ad scientiam Sanctorum perveniet? nemo enim in cœlum valet ascendere, & inde eam deducere. *Quis continuuit spiritum in manibus suis?* & que difficile est ho-

mini propriis viribus ad cognitiones supernaturales ascendere, ac ventum manibus suis contine-re. *Quod nomen est ejus?* Quis nobis dixerit nomen entis hujus omnipotentis, qui tot mirabilia operatur? & quis docebit nos filii ipsius nomen? multo rectius intelligimus, quid ipse non sit, quam quid sit.

6. *Ne addas quidquam:* de tuo, pro verbo DEI. Insinuat ea, quæ hactenus docet, esse divinitus inspirata.

15. *Sanguisugæ due sunt filiæ:* Sanguisugam appellat iram, filias, luxuriam, & avaritiam, quæ sunt tria, & quartum accedit, ambitio: quæ insaturabilia sunt: Iram, seu appetitum vindictæ exprimit per infernum, sive diabolum; Luxuriam per os vulvæ; & est meretrix: avaritiam per tellurem nunquam satiandam imbris: Subjicit ignem, qui est ambitio.

17. *Despicit partum matris sua:* Matrem suam non reveretur, cui plurimum debet, cum in ejus utero sit conceptus, & ab ea cum dolore in lucem editus, ac educatus.

18. *Tria sunt difficultia mibi, & quartum penitus ignoro Hebr. quatuor:* Tria, imo quatuor admirabilia sunt. *Viam aquilæ in cœlo:* Allegorice hanc Christus tenuit in sua ascensione.

19. *Viam navis in medio mari:* Hanc Christus tenuit, in sua con-

versatione, quia in hoc mundo, tanquam in mari procelloso ex-politus fuit multis tribulationibus.

*Viam colubri super petram: Quæ via tortuosa est, & inter saxa, ut eam investigare difficile sit. Mystice designatur Christus resurgens illæso lapide sepulchri. Viam viri: scil. perfecti in adolescentia, quæ vaga est, & instabilis. Hebr. in adolescentia: Quibus verbis prophetice admirabilis Christi conceptio in utero Virginis, & ejusdem nativitas indicari videntur.*

20. *Talis est: Similiter latet via adulteræ: turpes ejus actiones, quæ comedit &c. rem turpem honeste & prudenter exprimit.*

21. *Per tria, imo quatuor, mouetur terra: per quæ turbæ, & commotiones cidentur: Servus dominans: qui sua sorte in bonum uti nescit, ut patet in Jeroboam, servo Salomonis: Stultus satiatus, & vino repletus; mulier prava in familia, quæ totam domum turbat; & ancilla facta Domina, cujus exemplum est in Agar respectu Saræ.*

24. *Quatuor sunt minima terræ: Animalcula, & tamen ipsa sunt sapientiora sapientibus: Vult Salomon his quatuor animalculis instruere quatuor status hominum, quibus Respublica constat: Primo formicis agricolas & rusticanos homines, ut assiduo & indefesso labore comparent, quæ victui*

sunt necessaria. Secundo lepus, seu cuniculo cives in urbe degentes, opificio, vel mercaturæ intentos, & a bello abhorrentes, ut insident domui suæ firmandæ instar cuniculorum, qui teste Plinio leporum nomine designari solent. Tertio Locusta milites instruit; nam & locustarum formam galeatos milites referre docet Marcellinus; & quamvis duce, & rege careant, nihilominus instructis agminibus, & aciebus catervatim ad agros depopulando convolant; atque etiam contra scorpiones, aliosque serpentes bellum feliciter gerere dicuntur. Quarto: *Stellio* instar parvæ lacertæ habitat in rimis, & angulis domorum, & vescitur araneis, muscis, & vermiculis; denotat aulicos Dominis suis solite servientes.

29. *Tria sunt, que fortiter graduntur: Leo, gallus, & aries, & quartum, quod incedit feliciter: Rex. Optimus ille Rex est, qui magnitudinem Leonis, militarem galli peritiam, cicuris arietis mansuetudinem in se adumbrat: cui si adjungat justitiam, evadet insuperabilis.*

31. *Est qui stultus apparuit: Quidam summus, egregiusque vir habebatur, dum in mediocri dignitatis gradu consistit, sed ad sublimiorem dignitatem evectus vere minor apparuit. Si intellectus, ori suo imposuisset manum, neque sibi pudorem, neque iis ignoriam*

miniam incusisset, qui promotores erant.

32. *Qui autem fortiter premit ubera:* In exigendis tributis: qui

*vehementer emungit vitia castigando, facile seditionem populi contra se excitat.* Docet Salomon hoc loco, in omnibus modum esse servandum.

## C A P U T XXXI.

**S**alomon refert monita matris sue de cavenda luxuria & cra-pula, & de justitia administranda. Subnectit encomium mulieris fortis, & excellentis. Allegorice B. V. Mariæ & Ecclesiae.

1. *Verba Lamuelis Regis:* Hebrei intelligunt Salomonem (*Lamuel*, id est: *cum ipso DEUS*) quo regnante prospera fuerunt omnia. *Mater.* Salomon solet inducere Matrem loquentem.

3. *Ne dederis mulieribus substantiam tuam:* Ne Meretriciis illecebribus & amoribus impliceris, ut intemperante Veneris usu vires animi, & corporis perdas. *Et divitias tuas ad delendos Reges:* seu bello conterendo tibi vicinos Principes: sed paci stude, & quieti, ut verus *Salomon*, id est pacificus audias.

4. *Noli Regibus dare vinum:* Vini immodicus usus Regem decet, cuius verba oracula, & cor impenetrabile esse debet.

5. *Mutent causam:* Ne opprimant pauperes injustam ferendo sententiam.

9. *Aperi os tuum muto:* allegando pro eo justitiam, quam nescit proponere in causa sua, quia

simplex, & ignarus est. *Filiorum*, qui portantur: Extraneorum, qui sape neminem inventiunt, qui causam eorum defendat.

10. *Mulierem fortem quis inveniet:* Hic Salomon Matri sue texit elogium: nomine fortitudinis intelligitur hoc loco omnis virtus, quæ mulierem ornat: pietas, pudicitia, industria &c. Allegorice est Ecclesia, Tropologice anima sancta, sed speciatim Beatissima Virgo.

11. *Spoliis non indigebit:* Dominus ejus referta est civitiis perinde ac si ex hoste devicto manubias retulisset.

13. *Consilio manuum suarum: arte & industria.*

14. *Facta est quasi navis inflitoris:* Mulier œconomiae vacans est viro suo velut navis ex remotis littoribus adveniens, ditissimis mercibus referta.

15. *De*

15. De nocte surrexit : Horis antelucanis, dedit cibaria domesticis, & etiam iumentis in demenso ; ancillis præscripsit opus de die faciendum.

17. Accinxit fortitudine lumbos : Virilem animum induit.

18. Non extingueatur in nocte lucerna ejus : Etiam noctu aliquot horis cum ancillis suis labori insisteret.

19. Manum suam misit ad fortia : En qua in re fortitudinem & gloriam suam collocet, vacando utilibus, & sexui suo convenientibus operibus.

22. Stragulatam vestem : Tapetes, aulæa, fecit sibi, non pretio comparavit.

24. Syndonem fecit, & vendidit Tela, & pretiosa cingula Phœnicia mercatoribus vendidit : Mercatura tum temporis nec vilis erat, nec turpis, unde etiam a nobilibus exercebatur.

25. Ridebit in die novissimo : Gaudet in morte, aut senectute.

26. Lex clementiae in lingua ejus : non est litigiosa.

28. Surrexerunt filii ejus : Non tantum extranei, sed & maritus & filii eam laudant in publicis confessibus.

## LIBER ECCLESIASTES.

**I**ta Græce inscribitur. Hebraice כההלה חוה Coheleth id est *Convocator*, vel *Concionator*. Nam toto hoc libro concionatur Salomon de mundi mundanarumque rerum vanitate, ut quæ nec solidæ sint, nec constantes, nec animam satient, sed distractant, affligant, & crucient, quia plena defecūtibus, molestiis, & curis. Itaque suadet omnium contemptum, & unius DEI assiduum cultum. S. Hieron. docet hunc librum esse conscriptum a Salomone post tot libidines, & idolatrias jam resipidente, & pœnitente. In quam sententiam præter Hebræos citat Pineda 24. gravissimos Auctores, & variis pulchrisque rationibus confirmat. Quandoquidem sententiaz inter se pugnare videntur, Lectori curandum est, ut argumenta ad sua revocet principia, quo Salomonis mentem assequatur, sedulouque distinguat, quæ ipse per se, quæ in persona impiorum loquatur.

## C A P U T I.

**V**anitas omnium rerum mundi; nihil sub sole novum. Difficultas, atque inutilitas studiorum, atque perquisitionum nostrarum.

2. *Vanitas vanitatum*: i. e. vanissima vanitas occupat res humanae.

4. *Generatio præterit, & generatio advenit*: Hominum alii moriuntur, alii nascuntur. Unde Seneca: *In orbem nexa sunt omnia, fugiunt, & sequuntur.*

*Terra autem in æternum stat*: Manet, non corruptitur.

7. *Omnia flumina intrant in mare*: Hebræi teste S. Hieron. per flumina hic intelligunt homines, qui per mortem in eam terram revertuntur, ex qua compacti sunt. *Et mare non redundat*: eo quod terra tanta cadaverum, quæ sinu suo excipit, copia, non repletur.

8. *Cunctæ res difficiles*: Sunt enim artes & scientiæ variaz, & multiplices, quæ exacte sine magno

studio percipi, & intelligi non possunt.

10. *Nihil sub sole novum*: Scil. quod non in specie, vel in simili jam ante prioribus sæculis præcesserit.

13. *Hanc occupationem pessimam dedit DEUS*: Nulla vita laboriosior, quam studentium.

15. *Perversi difficile corriguntur*: Hæc quoque pars est miseriae eorumdem, quod cum studeant docendi causa, paucos reperiunt, qui amantes sint veri, vel capaces.

*Stultorum*: peccantium, de rebus perverse judicantium, *infinitus est numerus*.

18. *Eo quod in multa sapientia multa sit indignatio*. Sapientia enim non in molli lecto cubat; & tandem acquisita magno labore, ostendit plura semper esse, quæ nescias.

## C A P U T II.

**V**anitas voluptatum, di-vitiarum, ædificiorum, & bona colligendi, quæ ignoto hæredi relinquuntur.

1. *Dixi ergo in corde meo*. Cum in possessione scientiæ non possim assequi felicitatem, exploravi, utrum eam deprehendam in fruitione voluptatum.

2. *Risum reputavi errorem*: In risu, & gudio nihil præter errorem, dementiam, & vanitatem inveni.

3. *Cogitavi in corde meo abstrahere*

Uu

a vi-

*a vino. Voluptatem, commessationemque pertensus, ratus sum me forte sapientiam & felicitatem quam quarebam, in vini abstinentia & sobrietate reperturum. Donec vidarem quid esset utile. Quid agendum sit hominibus toto vita*

*suæ tempore.*

8. *Delicias filiorum hominum: Multiplicando mihi uxores, & concubinas, quæ præ aliis dicuntur esse deliciæ filiorum hominum.*

9. *Sapientia quoque perseveravit necum: Profuit mihi, ut in inanibus hisce cupiditatibus errorem meum intelligerem.*

10. *Hanc ratus sum partem meam: Pars in Scripturis frequenter pro charissimis bonis sumitur.*

12. *Transivi ad contemplandum sapientiam: significat se alternantibus animi cogitationibus dubium, ad sapientiæ studium revocasse, & curasse illam adipisci, ut errores, & stultitiam agnoscere, & vitare posset.*

*Quid est homo: Quam stultus est, quantum errat! quam sibi persuadet, se posse DEUM Creatorem suum, & rerum omnium Con-*

*ditorem esse qui in obtainenda hic plena, & perfecta beatitudine.*

14. *Sapientis oculi in capite: Sapientis velut ex loco altissimo prævidet procul, quid agendum, quo eundum, quid sequendum, quid fugiendum, & sic universum vitæ suæ cursum moderatur. Stultus in tenebris non modo versatur, destitutus internæ lucis beneficio, sed ambulat actus variis cupiditatibus, & vanis desideriis, nunc amoris, nunc odii, nunc iræ, nunc aliis, ubique impingit. Unus utriusque interitus: ut ut in aliis sint valde dissimiles sapiens & stultus, ita in humanis eventibus, maxime in morte sunt prorsus pareres.*

15. *Animadverte quod hoc quoque est vanitas. Scil. laborare in acquisitione sapientiæ, quia totum perit in morte.*

24. *Nunc melius est comedere & bibere. Decenter vivere de bonis acquisitis. Et hoc de manu DEI est. Bonum a DEO concessum, non tamen tantum bonum, ut sit felicitas hominis.*

25. *Quis ita devorabit: Quis iustius partis magno labore fruetur, quam qui ea comparavit, ut ego?*

### C A P U T III.

**O**stendit, & queritur, quod nulla sit in rebus creatis felicitas, cum cuncta sint mutationi obnoxia: ergo vita tranquille agenda, & præposterae curæ abicienda sunt.

1. *Omnis tempus habent. Res humani mundi, negotia, quæ in par-*

*tes curas nostras trahunt, præterreunt, ac ipsa sibi interpolatis spatiis,*

tiis, ac proprio tempore succidunt. Non semper pueri sumus, nec senes semper. Nascimur, deinde morimur, omnia vices habent, ac perenni fluxu variantur. Itaque nihil certum, nihil stabile; hæc est generalis propositio, quam Salomon in sermone suo est probaturus.

3. *Tempus occidendi, & tempus sanandi:* cæduntur & belli hostes, & domi nefarii illi, qui propter scelera capite damnantur; ex rotantibus vero, & vulneratis medela adfertur.

5. *Tempus spargendi lapides,* in destructione munitionum, in quibus hostes habitant. *Tempus amplexandi &c.* Dandi operam generationi; a quo tamen olim etiam conjuges sub poena mortis certis temporibus abstinere debebant, ut tempore menstruorum, & aliquo tempore post partum.

11. *Mundum tradidit disputationi eorum:* ut divini hujus operis causas, effectus, proprietates ab initio usque ad finem, hoc est perfecte assequi non posset. Itaque etiam in harum rerum curiosa per-

vestigatione vanitas est, & afflictio spiritus.

15. *Quod factum est, ipsum permanet:* Quoad genus & speciem.

18. *Ut probaret DEUS homines:* An spem reponerent in futuro iudicio DEI, ideo permittit judicia corrumpi, & eos bestiarum more tumultuari.

19. *Unus est interitus hominis, & jumentorum.* Quoad corpus, & animales functiones. Unde Hebraeus habet: Ipsum evenit filiis hominum, & bestiis, casus iidem utrisque accidunt.

20. *Omnia pergunt ad unum locum,* Homines & bruta ad mortem tendunt, hic est finis itineris utrorumque.

21. *Quis novit, si spiritus filiorum Adam ascendat sursum.* Difficile est demonstrare differentiam si abstractur a fide: & lumine naturali vix satis potest ostendi hominem a brutis differre; ut per Philosophiam Manichæi errarunt.

22. *Quis enim eum adducet?* ac reducit hominem mortuum ad vitam, ut videat quid post se futurum sit de opibus suis.

## CAPUT IV.

**P**ergit demonstrare rerum humanarum vanitatem maxime in bonorum, & primatus ambitione, in qua multa sunt, quæ tranquillitatem animi perturbant, puta calumniae egenorum, tyrannis potentiorum, aliorum invidia, infida amicitia, & id genus alia, quibus medetur Divine providentiae timor, & religiosus cultus cum precibus ad DEUM.

5. *Stultus (piger) complicat manus suas:* tanquam otiosus. Co-  
Uu 2 me-

*medit carnes suas: seipsum consumit extrema inopia, & fame.*

6. *Melior est pugillus &c. Veram sententiam plus justo pusillanimes sive pigritiae & inertiae prætendunt. Nam Salomon Proverb. 17. ait: melior est buccella secca cum gaudio, quam domus plena victimis cum iurario. Sed in medio consistit virtus, ab utroque oportet recedere ejus cultorem.*

8. *Unus est -- non satiantur ocu- li ejus divitias. Imaginem hominis avari hic depingit; qui omnem amicitiam refugit, ne oporteat ipsum quidquam expendere.*

9. *Melius est ergo duos esse simul: Ita enim mutuis auxiliis juvantur, sicut duo simul dormientes mu- tuu calefiunt.*

12. *Funiculus triplex difficile rum- pitur: Adagium est: si duorum societas suavior est & fortior soli- tudine; societas trium longe magis jucunda erit, & valida. Alii*

*hunc locum exponunt de tribus personis in natura Divina. Alii de tribus virtutibus Theologicis. De Christo, in quo est corpus, anima, & verbum; Alii demum de tribus Religiosorum votis.*

15. *Vidi cunctos viventes -- cum adolescenti secundo. Qui est secun- dus, & proximus post Regem Rex, regni haeres. Vidi ergo in- quic omnes sub sole, seu in hac vita ambulare cum juvene Rege, & solem orientem adorare. Hac autem gloria vana est; quid enim sunt pauci illi assentatores ad illos infinitos, qui ante fuerunt, & post erunt, qui non neverunt superbum illum juvenem?*

17. *Custodi pedem tuum ingrediens domum Domini: Non superciliosè in- cede, sed demissu vultu audi sa- cras exhortationes, & psalmos: nam stultorum victimæ DEO non placent.*

## C A P U T V.

**E**xpli cat quatuor veræ Religionis Capita: scil. multiloquium fu- giendum; vota solvenda; di-vina providentia imprimis co- lenda: partis utendum cum moderatione, & frugalitate.

1. *Ne temere quid loquaris: Pau- ca loquaris coram Domino: ne credas ipsum a te prolixos sermo- nes petere. Purum duntaxat cor, summaque reverentiam efflagi- tat. Cum ad illum accedis, me- mento quinam tu sis, quis ille,*

*Ille quidem in coelo, tu in terra, scrutatur cogitationes tuas, ac toto coelo te sublimior est.*

5. *Ne dederis os tuum, ut peccare facias carnem tuam. Te, per Sy- necdochen. Ne dicas coram ange- lo tuo custode, qui tibi adest,*

&

& testimonium; contra te dicere potest: non est providentia DEI: ne DEUS suam providentiam ostensurus rebus tuis omnibus malos successus immittat.

7. Quia excuso excelsior est alius. Qui supplet defectum inferioris.

12. Divitiae conservatae in malum Domini sui: Nam multis exitio fue-

re divitix, quæ invidiis, & latrociniis causam dederunt.

16. Comedit in tenebris. Qui domi, & solus agit, intentus curis, & lucrosis contractibus (quos vocat justicias) implicatus.

17. Ut comedat quis & bibat. Non modo, & sensu Epicuræ; sed cum mediocritate, & honestate.

## C A P U T VI.

**I**Nfelix avari conditio: verus usus bonorum fortunæ.

3. Melior illo abortivus. Quia saltem non frustra laboravit, nec virio suo proprio caruit bonis.

5. Neque cognovit distantiam boni, & mali. Quia bonis nunquam est fructus, avaritia prohibente.

6. Nonne ad unum locum propriant omnia? Hic locus est sepulchrum.

7. Omnis labor hominis in ore ejus. Avarus prætendit necessitatem laborandi, & opes congregandi, ut sibi, & familiæ victum comparet. Sed anima ejus non implebitur: Animus ad majora natus his expleri non potest.

8. Nisi ut perget illuc ubi est vita: Facit ea, per quæ vitam præsen-

tem honeste agat, & futuram præparet.

9. Melius est videre quod cupias: dispicere, quid recte desideres ad usum, & illud procurare, quam in incertum congerere superflua. Praesumptio spiritus h. e. spontanea afflictio.

10. Jam vocatum est nomen ejus. DEUS destinavit ei suam fortunam, contra quem non potest pugnare: frustra ergo homo suam fortem nautatam cupit.

11. Verba sunt plurima: Multi multa disputant de modo felicitatis acquirendæ: sed in his ipsis tam diversis sententiis deprehenditur vanitas.

## C A P U T VII.

**B**revitatem vitæ humanae inculcat: quæ bona settanda, ac præ aliis feligenda docet: denique ad bonam, & felicem mortem disponit.

1. Majora se querere: Non expe-

dit homini quærere de decretis Divinis, vel quomodo se ad alio-

rem statum transferat.

2. *Melius est nomen bonum, quam unguenta pretiosa.* Nam bona fama suavissimum odorem virtutis spargit. *Et dies mortis die nativitatis:* Quia in illa ingredimur inevitabilia mala, in ista finimus.

4. *Melior est ira risu:* Præstat sincerum invenire amicum, vel austерum præceptorem, qui nos pro erratis corripiat, quam nimis convenientem, qui etiam cum delinquimus, facta nostra commendat.

7. *Sicut sonitus spinarum:* Quæ faciunt magnum strepitum, & inutili ad sui consumptionem. *Sic risus stulti:* puta adulatoris.

8. *Calumnia:* gravis injuria illata, conturbat sapientem: moerorem illi afferit, & tristitiam. *Et perdet robur cordis:* constantiam in agendo, si multum invalescat, ut de negotiis relinquendis cogitet.

9. *Melior est finis orationis, quam principium:* Hebr. cuiusvis negotii, quia finis coronat opus.

11. *Stulta est hujusmodi cogitatio:* Quia indicat ignorantem historiæ; omni enim tempore fuere mores corrupti.

12. *Utilior est sapientia cum divitiis.* Sapientia potior, aut utilior dicitur, non melior: nisi cum bene utitur divitiis, ut suadet sapientia, ac multis deest.

14. *Quem ille despicerit, negando gratias efficaces.*

16. *In diebus vanitatis meæ.* In

hac vita fallace, quando vivebam juxta vanitates. *Justus perit in justitia sua,* etsi vita dignus sit.

17. *Noli esse justus multum.* Aut supersticiosus, aut rigidior, quam par sit, semper stricto jure utens. S. Aug. Tract. 95. in Joan. Quoniam & illud legimus divinitus dictum: noli effici justus nimium, non est notata justitia sapientis, sed superbia præsumentis; qui ergo sit multum justus, ipso nimio sit injustus.

18. *Noli esse stultus:* obliviscendo providentia DEI, quam aliquin disces in morte improvisa.

20. *Sapientia confortavit sapientem &c.* Vir sapiens in civitate melius eam regere potest, & tueri, quam decem Principes: Consilium enim, & sapientia præstat fortitudini.

24. *Ipsa longius recessit a me.* Vidi me plurimum distare ab ea, quamvis me proximum crederem.

27. *Et inveni amariorem morte mulierem:* Salomon concludit ex omnibus malis perniciössimum esse amorem turpem in mulieres, quod non temere afferit; nemo enim, ut ipse, istud expertus est.

28. *Ecce hoc inveni:* Postquam omnia in examen vocavi, censui omnia sub sole esse vanitatem.

29. *Virum de mille unum repéri.* Hac hyperbole innuit summam difficultatem inveniendi viros sapientes, & mulieres non pernicioſas.

## C A P U T    V I I I .

**E**micat sapientia in facie sapientis. Mandata Regis; quæ erga illum deceat reverentia; Justi in obliuione: Vir nequam, & impius sœpe in hoc mundo confusus. Via DEI incomprehensibiles.

2. Ego os Regis obseruo, & præcepta juramenti DEI. Salomon in persona sapientis dicit, Regis imperata facienda esse, & ea, quæ jurejurando DEO promisit.

3. Non festines recedere a facie ejus. Constantia, & perseverantia opus est in Regum servitio; non enim nisi iugi assiduitate præmia, aut favor obtinentur. Utinam servi DEI in hoc imitarentur perseverantiam amatorum mundi.

5. Tempus, & responsonem cor sapientis intelligit: Novit opportunitum invenire tempus, ac cor Regis flestere: in omnibus enim negotiis hoc primum est, ut idoneum tempus invenias.

8. Non est in hominis potestate prohibere spiritum: retinere animam suam, ne de corpore egrediatur.

9. Interdum dominatur homo homini in malum suum. Hic in magna politus dignitate infelix est, qui beatam tranquillamque vitam ageret in mediocri positus conditione.

10. Vidi impios sepultos: honorfice. In loco sancto erant: Colebantur pro Sanctis, & eorum con-

sortio digni putabantur. Sed & hoc vanitas est: nempe retributio in hac vita.

12. Attamen peccator sicut eo &c. Attamen ego cognovi, quod erit bonum timentibus DEUM; non autem erit bonum peccatori: quia vita præsens brevis est, & ei adhuc decurabitur.

14. Est & alia vanitas: Seu vulgi deceptio, quod ex iis, quæ certnit, judicat, nec DEI providentiam in hac inæqualitate agnoscit; cum nimirum inipiis in prosperitate, justi in afflictione vivunt.

15. Laudavi igitur letitiam: Non expectans aliud in futuro. Ex quo etiam patet eum loqui in persona hominis carnalis, non secundum sensum proprium.

16. Ut intelligerem distensionem: Videre volui, quid tantum hominis negotii facellat, cui rei tanto studio vacent.

17. Et intellexi quod homo - nullam possit invenire rationem: Exacte scil. cognoscere: sunt enim arcana divinae providentiae, quæ nos DEUS vult potius venerari, quam scrutari.

## CAPUT IX.

**V**arii rerum humanarum eventus, ratione quorum ad DEI potentiam, providentiamque recurrendum, eique acquiescendum: de reliquo honestæ jucunditati, studio sapientiæ, licet vulgo despectæ, & piis operibus sedulo incumbendum.

1. Sunt justi &c. & tamen nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit. Sensus apertus est contra Novatores hujus temporis; qui assertunt hominem certum esse, & credere debere se esse amicum DEI. Docet enim sapiens: licet opera justorum sint DEO cognita, & probata, eos tamen in hac vita scire non posse utrum amore, vel odio digni sint, nisi probabili conjectura.

2. *Eo quod universa aequa eveniant justo, & impio:* Rationem dat, licet non prorsus adæquatam, cur nemo ordinaria via certus esse possit, maxime id constaret ex divinis erga eum beneficiis, aliisque eventibus, seu prosperis, seu adversis, sed ex his nihil certi colligi potest, utpote quæ tam justis, quam injustis communia sunt. Sinit enim DEUS crescere zizania cum tritico juxta parabolam Matth. 13.

3. *Hoc est pessimum: Difficillimum captu. Impletur malitia, & contemptu:* Impii videntes bonos, & malos iisdem promiscue malis affici, in scelere indurantur, & ad mortem usque perseverant.

4. *Melior est canis vivus Leone mor-*

*tuo.* Proverbium est, quo designatur vitam meliorem esse morte, & vitæ commoditates ad resipiscendum, & promerendum anteponi statui mortuorum, in quo nulla amplius facultas est mutandi consilii.

5. *Non habent ultra mercedem:* Quia extra statum viæ sunt, nihil amplius merentur.

7. *Omnis tempore sunt vestimenta tua candida:* Vestis candida est signum lxxitiae, & etiam caput oleo, id est odorato unguento perfusum; itaque sensus est: hilaris esto, non male cultus, sordidatus, tristis.

10. *Quocunque facere potest manus tua &c.* Operibus meritoriis insiste, quamdiu facultas suppetit in hac vita.

11. *Tempus casusque in omnibus:* Non optimi & præstantissimi quique semper referunt prima præmia honoris, gratiarum, aut lucri; sed voluit supremus rerum arbiter ea pendere saepe a variis fortunæ, & subitorum eventuum casibus. Ut noverimus: non esse volentis, neque currentis, sed DEI miserenis, cuius providentia fortunæ Domina est, & omnium eventuum moderatrix.

18. Et qui in uno peccavit, multa bona perdet. Sicut enim in bellis ex modico defectu in primo con-gressu, debellatur aliquando to-tus exercitus: sic ex uno pecca-tato gravi perditur totus cumu-lus præcedentium meritorum.

## C A P U T X.

**P**ergit laudare sapientiam, & detestari stultitiam, præsertim am-bitiosi ignavi, desidis, detrahentis Regi, aut Magistratui.

1. Muscae morientes perdunt suavi-tatem unguenti: Sic stultitia parva, non diu durans perdit sapientiam, quæ pretiosior est unguento.

3. Cor sapientis in dextera ejus: in honestis occupatur, stulti in vi-tiis.

4. Si spiritus potestatem habentis: Hebr. Spiritus dominans, vel domi-nantis dæmonis, aut Principis ascen-dent super te: Ne movearis de gra-du virtutis; quia curatio: sanitas, seu integritas animi impediet ejus in te s̄avitiā.

5. Quasi per errorem egrediens a facie Principis. Principes nonnun-quam per errorem; alias etiam ex privato affectu cum præjudi-cio boni publici ineptos ad di-gnitates evehunt.

6. Divites: Præstantes doctrina, virtute, meritis, sedere deorsum. Interdum scil. evenit, ut Princi-pibus suspecti sint, qui excellunt sapientia, aut nobilitate; unde his neglectis inhabiles præficiunt.

8. Qui fodit foveam: Qui nocet aliis, nocet & sibi. Qui dissipat se-pem, mordebit eum coluber. Qui le-ges Regionis violat, Reipublicæ

regimen, vel ordinem Religionis immutare vult, in maxima peri-cula se adducit.

9. Qui transfert lapides: positos in terminos & limites agrorum. Qui scindit ligna in silva aliena, non ex his dilabitur, sed nocumen-tum sibi ipsi adferet.

10. Si retusum fuerit ferrum -- multo labore exacuetur. Sapientis est perpolire animum, ut terendo politur ferrum. Nam ut securis, aut gladius neglectus rubiginem contrahit, & vim secandi amittit; ita ingenium doctrinis excultum, si sapientiæ studium intermittatur, hebescit.

15. Qui nesciunt in urbem pergere. Proverbiū est: multi quæstionib-uis arduis se fatigant, cum ea non noverint, quæ sunt magis obvia, & necessaria.

16. Væ tibi terra cuius Rex puer est: Aetate, moribus, aut sapien-tia, cuius consilii imbecillitas Rei-publicæ gubernandæ par esse non potest: quia ex hoc subditi inso-lescunt, & vitia multiplicantur. Et cuius Principes mane comedunt: quod puerorum est. Aut signifi-can-

cantur tales Principes, qui commissationibus, & ebrietatibus addicti sunt.

17. *Beata terra cuius Rex nobilis est: & generis prosapia, & proba educatione. Opponitur hæc nobilitas pueritiae Regiæ non ætatis, sed morum.*

18. *In pigritiis humiliabitur cognitio: Monitum contra desidiam, & procrastinationem in remedii adhibendis. Si domus sarta tecta negligantur, corrumpuntur paulatim stillicidiis tecta, tra-*

*bes, parietes, quibus debilitatis, sequitur ruina, qua ædes humiliantur, & concidunt. Recte quoque de interiore animæ dono interpretari potest locus.*

20. *In cogitatione tua Regi ne detrabas - - quia & aves cœli portabunt vocem tuam: Hyperbolicae hæloquendi rationes satis docent, quam caute de Principibus loquendum sit, licet ex numero eorum forent, qui superius descripsi sunt, pueri, aut inertes.*

## C A P U T XI.

**S**Apientia hortatur ad misericordiam, eleemosynam, & bona opera, ac fiduciam in DEI providentia.

1. *Mitte panem tuum super transeuntes aquas: Da eleemosynas sine ulla spe modo recipiendi. Nam in aquam transeuntem quod projicitur, vix aut nunquam recuperatur.*

2. *Da partem septem, nec non & octo: Plurimam eleemosynam, & pluribus: numerus definitus pro indefinito. Quia ignoras quid futurum sit: Forte enim re tua non opus habebis ingruente morte: forte imminet tibi malum, a quo præservabit te charitas;*

3. *Si repletæ sunt nubes. Imitare nubes, ne nimis caute eligens illos, quibus gratificeris, eos rejicias, qui egent, & Pater ac Patronus pauperum DEUS sibi illatam injuriam putet ab electione tua,*

*Si ceciderit lignum ad austrum, aut ad aquilonem. Utuntur hoc loco hæretici contra purgatorium, sed nil evincunt. Nam duo loca, quæ hic constituit Ecclesiastes, austus, & aquilo exponente S. Augustino Epist. 120. ad Honoratum Cap. 22. intelliguntur nempe *Auster* locus electorum, seu justorum. *Aquilo* vero reproborum: atque adeo cum in purgatorio non constituantur nisi boni, sed nondum plane purgati; sunt illi jam in Austro, & semper manebunt in Austro, quo etiam nomine olim comprehendebatur limbus SS. Patrum. Atque hoc sensu intelligenda sunt etiam verba S. Hieron. in hunc locum Ecclesiasta. Purgatorium proinde non est considerandum tan-*

tanquam medium quoddam separatum inter Austrum, & Aquilonem, inter damnationem, & salutem; sed est status salutis parumper suspensa quoad suum effectum.

4. *Qui observat ventum non seminat.* Perstringit avaros, qui semper aliquid prætexunt, ne dent eleemosynam.

5. *Quomodo ignoras, quæ sit via spiritibus -- ita nescis opera DEI:* Quemadmodum nescis quomodo anima in corpus humanum veniat, & illud animet, & quomodo formetur fœtus in utero matris; ita nescis quam solers sit, & benigna

providentia Divina omnium fabricatrix, & moderatrix, quæ bona tibi, quæ largiaris suggerere potest modis plane occultis.

6. *Mane semina semen tuum. Mane, & vespera accipiuntur pro omni tempore.*

8. *Meminisse debet tenebriosi temporis: Mortis,* quod tempus in scriptura frequenter vocatur nox.

*Vanitatis arguentur præterita:* Tunc enim apparebit, quam stulte egerint, qui æterna bona brevissimæ voluptati, aut levissimo lucro posthabuerunt.

9. *Lætare ergo juvenis: Hæc usque & scito:* ironice dicuntur.

## CAPUT XII.

**S**Apientiae præcepta: *DEUM præ oculis habe; vitæ emendationem ne differas in senectutem, quia corpus ad terram, spiritus ad DEUM revertetur; scientiæ, & vitæ summa est: DEUM time, & mandata ejus observa: cuncta enim quæ sunt, adducet DEUS in judicium.*

1. *Tempus afflictionis:* Senectutis, quam pergit graphicè depingere. 2. *Antequam tenebrescat sol.* Priusquam oculi caligent. Revertantur nubes post pluviam: Alia & alia incommoda senectutis sibi succedant.

*Quando commovebuntur custodes domus:* Manus, & brachia; viri fortissimi sunt crura, & femora, quæ in senibus labascunt. *Otiose erunt molentes:* Dentes rari erunt, & debiles ad cibos mandendos. *Videntes*

*tes per foramina: Pupillæ, quæ per corneam tunicam fenestratam prospiciunt: Vel simplicius anima per oculos propisciens tenebrescit defectu spirituum, qui cum lucidi sint, si absint, squalidum & sine splendore obtutum relinquunt, ut dicebat Hypocrates. Succi ad hæc apud senes spissantur, & membranæ ac tunicae corrugantur.*

4. *Claudent ostia in placca.* Labia sunt, quæ senes comedentes claudunt

dunt introrsum coacti maxillas, & inermes gingivas ob carentiam dentium collidere, ut his cibum comminuant. *In platea: in facie.*

*In humilitate vocis molentis: demissio & exili sono molarum, seu dentium, qui reliqui sunt; nam cum nutent dentes, non possunt dura conterere, ut juvenes.*

5. *Excelsa quoque timebunt. Montes, aut clivos gressu tremulo convergent. Florebit amygdalus: Canescet, & florentis amygdali speciem referet.*

*Inpinguabitur locusta: Crura tumebunt, quin & corpus totum, pituita, & aqua intercute, & chiragras, & podagræ tumoribus inflatum erit instar ventrosæ locustæ. Ita Chald. & S. Hieron.*

*Dissipabitur capparis: Appetitus cibi & veneris; nam utrumque excitat capparis; est autem arbor, cuius fructus similis est oliva. in domum aeternitatis sepulchri; vel potius vitæ futuræ. In platea planentes: Amici, vel præficæ publice, & solenniter lugentes.*

6. *Antequam rumpatur funiculus argenteus: Designat spiritualis dorsi medullam, quæ ex cerebri substantia argenteo splendidoque colore producta per decem, & octo vertebrales, seu juncturas porrigitur. Sunt qui putent hunc funi-*

culum omnibus morientibus rumpi.

*Et recurvat vitta aurea. Est membrana crebri, pia mater appellata; hæc recurrit, sive retrahitur, aut corrugatur imminuto cerebro, quod apud senes contingit. Dicitur vitta, quod totum cerebrum ambiat; aurea, non ob colorem, sed utilitatem, quasi dicat: pretiosa. Conteratur hydria super somum: Renes intelligit, & vesicam, meatusque urinarios qui in lenibus fere collapsi, & in angustum contracti non præstant officium.*

11. *Verba sapientum quasi stimuli: ad excitandum pigros ad opera virtutis. Et quasi clavi in altum. i. e. profundum, defixi: Qui redundunt hominem constantem, & immotum adversus infortunia, & voluptatis illecebras.*

*Quæ per Magistrum consiliorum &c. Intelligit sacras Scripturas, & traditiones, quæ a pastore uno, DEO, Scripturarum auctore præcipuo per successionem continuam data & communicata sunt fidelibus.*

12. *Faciendi plures libros nullus est finis: Præstat ista opere exequi, quam plura pervestigare.*

13. *DEUM time, & mandata ejus observa; hoc est enim omnis homo: In hoc tota hominis perfectio consistit, hoc est compendium munierum, & officiorum ejus.*

CAN-

# CANTICUM CANTICORUM SALOMONIS

Hebraice  
Sir Hasirim.

**T**itulus ipse Auctorem suum prodit: *Canticum Canticorum Salomonis*: Sic dictum fuit, quod fit Canticum præstantissimum; cum in eo canatur Verbi Incarnati & Ecclesiæ ejus sponsæ Sacramentum. Hæreticis negantibus hoc Canticum inter Divinas Scripturas referendum, opponit Theodoretus antiquam Ecclesiæ traditionem præfatione in Canticum, quod in Judæorum Canonem ab omni ævo receptum fuerit, & ab universa Ecclesia inter Canonicas Scripturas semper habitum. De tempore, & occasione scripti operis dissident Auctores. Alii occasione nuptiarum cum filia Pharaonis scriptum volunt, cum Salomon florente esset ætate; alii cum provectionibus jani annis, cum a muliercularum amore se se extricasset, ad scribendum se contulisse putant. Verba Libri hujus non esse exponenda ad literam, sed spectandum sensum tropologicum & allegoricum, vel inde sit manifestum: quod dum sponsam miris laudibus efferre intendit, jam caput ejus monti Carmelo, oculos piscinis, nasum turri, dentes gregibus ovium assimilat, quæ si ad literam acciperentur, nihil deformius singi posset.

Totum hoc spirituale colloquium ad Christum, verum DEUM & hominem (de quo prophetabat Salomon) & Ecclesiam, ac quamcunque piam animam, præcipue ad B. V. Mariam, quæ membrum est Ecclesiæ, referendum est. Christus modo Magistri, modo Sponsi personam gerit; Ecclesia vicissim, & quævis anima pia primum affectu, dein sponsæ, subinde magistræ etiam, vel sociæ erga reliquas animas, quas solet adolescentulas, vel filias Jerusalem nuncupare. Stylus hujus Cantici amatorius est, & metaphoræ, ac similitudines pene omnes a nuptiis carnalibus desumuntur: nihil tamen hic carnale, nihil mundanum, aut profanum, nulla veneres, nulli cupidines. Amorescunt, faces sunt, sed ab igne cœlesti, quo ardent Seraphini, quem Christus venit mittere in terram, & quo sanctiores animæ ad Elix modum abripiuntur in cœlum.

## CAPUT I.

1. *Osculetur me osculo oris sui. Dulci alloquio suo illustret faciem meam, & oblectet me. Nam ubera, amores tui sunt meliora symposiis quibuscumque, abundantes gaudii cœlestibus. Per ubera P.P. etiam intelligunt duo testamenta, vetus de Christo promisso, novum de dato.*

2.- *Oleum effusum &c. Ipse instar odoratissimi liquoris trahis ad te animas. Apud Hebraeos sponsi coronati, & unguentis perfusi incedebant.*

3. *Trabe me post te, curremus: Nemo te sequetur, nisi illum invitaveris, atque odore unguentorum tuorum, & gratia tua illecebria attraxeris. Nec sola veniam, sed alias animas ad te adducam. Introduxit me in cellararia sua: In receptacula thesaurorum suorum sapientiae, scientiae & charitatis, secreta sua tecum communicavit. Huc introduxit me, non alias; nam DEUS Matri Virgini præceteris arcana cœlestia revelavit, & gratiis extraordinariis eam ornavit.*

4. *Nigra sum, sed formosa: Ecclesiæ verba sunt. Quantum ad filiam Pharaonis uxorem Salomonis, cuius occasione Ecclesia hoc dicit, vere nigra erat natio colore, quia Ægyptia, & Æthyopia proxima; formosa tamen, quantum ad aptam corporis, &*

*omnium membrorum figuram, ac lineamenta. Ecclesia, ad mentem S. Augustini, fuscam, aut nigram se vocat propter malos qui sunt in ea permixti: formosam tamen propter bonos. Alii sic: Nigra origino, quia ex gentibus, idolatria, cultoribus, & peccatoribus orta; sed formosa per gratiam Christi, qui eam mundavit lavacro aquæ. Potest etiam dici nigra, vilis, despabilis propter persecutiones; hunc sensum confirmat quod sequitur: quia decoloravit me sol: q. d. æstus persecutionum ita me nigram, i. e. vilem, & in speciem turpem, atque abjectam reddidit.*

*Sicut tabernacula Cedar: Tentoria posteriorum Cedar filii Ismaëlis, & sicut pelles Salomonis, campestria ejus tentoria operientes: quæ foris quidem nigra erant ardore solidis exusta, pulvere & sordibus obsita; sed intus elegantissima, auroque, & margaritis miro artificio ornatissima, ita Origen. Nissen. Bernard.*

5. *Filiæ matris meæ pugnaverunt contra me: Mater est totum genus humanum; adeoque sponsæ fratres uterini sunt pagani, infideles, & hæretici. Fuit ergo posita custos omnium vinearum, sive gentium, atque sectarum, maxime autem Synagogæ, quam non potuit custodire, sed deseruit, quan-*  
do

do fecit labruscas: unde in eam exarserunt invidi, & persecuti sunt.

6. *Ubi cubes in meridie:* Nam fervente sole pastores gregem solent in umbra continere. Quare Ecclesia militans assistentiam in persecutionibus suis. *Ne vagari incipiam &c.* Sanctam zelotypiam in sponso excitare contendit.

7. *Si ignoras te:* Particula tereundat. Si ignoras me ubi cùbem, vade post vestigia gregum: Considera acta Sanctorum, vel perfections creaturarum, inde cognosces me tanquam ex vestigiis: si autem te ignoras age sane, & pasce juxta tabernacula pastorum q. d. sicut te ipsa nosti, sic novi & ego te esse formosam totam omni genere virtutum, & maxime in fide erga me constantem. Unde equitatui meo te assimilavi, cui portae inferi non prævalebunt: non metuo constantiaz tuaz.

9. *Pulchrae sunt genæ tue sicut turturis.* 10. *Murenulas aureas faciemus:* Erat ornamentum muliebre, lapides puta pretiosi habentes similitudinem aliquam cum turtture ave. Solebant etiam ex auro fieri in similitudinem murenx piscis ducto, cum intextura filaminum argenteorum in simili-

tudinem vermium desuper repentinum. Significantur autem Scripturæ divinæ colluentes auro sensuum spiritualium. Hæc sponsus.

11. *Dum esset Rex in accubitu suo:* in convivio. *Nardus mea herba est odorifera, dedit odorem:* Virtutes Ecclesiæ Christi bonus odor sunt.

12. *Fasciculus myrræ.* Passionem ejus meditando jugiter in pectore meo portabo.

13. *Botrus Cypri* cum odoratissima coma crescebat potissimum in vineis Engaddi: qui Ecclesiæ expressus fuit in torculari crucis, & nobis datur in S. Calice. Haec tenus sponsa.

14. *Ecce tu pulchra es:* Vox sponsi: Oculi columbarum indicant perspicacitatem Ecclesiæ in dignoscendis dogmatis fidei, & morum.

15. *Leclulus noster floridus:* Leclulus Sponsi fuit purissimus sinus Mariæ Virginis, fuit crux, in qua consummavit matrimonium cum Ecclesia. Sunt monasteria rosis, liliis virtutum florentes.

16. *Tigna cedrina* sunt Doctores, & rectores Ecclesiæ: *Laquearia cypressina:* justi & pii Prælatorum subditi.

## CAPUT II.

**D**eclarantur sponsi, & sponsæ dotes eximiae; Divini amoris gradus supremus; DEI præsentia, & illius signa; denique persecutores Ecclesiae.

1. *Ego flos campi: non solius horiti Judaici, nec agri vomere proscissi, sed natus ex terra Virgine. Lilium convallium: Ab altissimo cœlorum throno in insiniam mundi vallem delapsus, humana natura candidus, divina aureus, prædicatione odoriferus, expansus charitate, recurvus humilitate; cuius contactu sanantur leprosi, curantur languidi, mortui suscitantur.* Et hoc ut mihi ex me ipso naturale est; ita dono meo convenit etiam sponsa meæ.

2. *Sicut lilyum inter spinas, sic Ecclesia inter hæreses.*

3. *Sicut malus, quæ est arbor fructifera. Inter ligna silvarum, quæ communiter sunt infructifera. Sub umbra illius - - sedi: Umbra est gratia, favor, protectio, refrigerium, virtus altissimi.*

4. *Introduxit me in cellam vina- uiam: Ex Patrum Auctoritate cel- la hæc designat Sacras Scripturas, in quibus animæ sanctæ cordis sui delicias inveniunt, unde suaviter & sancte cum sponso suo inebrian- tur. Aliis est Ecclesia spiritu san- tho repleta: In hac sponsus ordi- nat charitatem: dum docet DEUM super omnia, proximum vero pro-*

ter DEUM, & æque ac nos ipsos nobis esse diligendum.

5. *Fulcite me floribus: Langueo, deficio, præbete mihi flores ve- hementis odoris, ut ex defectu vtrium me recipiam; poma affer- te mihi odora: aurea, cytherea, cy- donia ad spiritum revocandum. Hebreus habet: Lagenis vini optimi, ut ejus odore recreer.*

6. *Læva ejus sub capite meo: Per lævam intellige vitam præsentem, per dexteram futuram, illam gra- tiaz, istam gloriæ.*

7. *Adjuro vos filiæ Jerusalem per capreas &c. Obtestatio pastoritia: quibus intelliguntur Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli. Introduci- tur sponsa præ languore collapsa in somnum inter manus sponsi, quæ est contemplatio.*

8. *Vox dilecti. Hæc & sequen- tia usque ad finem capitinis sunt sponsæ dormientis, & somnian- tis, quæ illa profert, tanquam audi- ret a sponso, priusquam eum videat. Venit saliens in montibus: More transilientis montes, & col- les citissime.*

9. *Similis factus est dilectus capreae &c. Caprea acutissime præstat visu, cervus perniciosissimo cursu, ac virtute educendi serpentes ex illo-*

illorum cavernis, eos occidendi, quin & comedendi, quin minimum detrimentum capiat. Factum hoc nequaquam certum est; at pro certo apud antiquos habebatur; ac id præclarum suggerit moralēm sensum pro victoria, quam de serpente, infernali dracōne, humani generis hoste JE-SUS Christus cumulatissimam reportavit.

*En ipse stat post parietem: Quia Deitatem per humanitatis veluti rimastantum ostendebat: & quando olim datus legem per nubium scissuras se solum exhibebat.*

*11. Hyems: Captivitatis satanæ transiit.*

*12. Flores apparuerunt: Quales innocentes ab Herode occisi, & primitiæ credentium. Tempus putrationis, quo absinduntur ceremoniæ Mosaicæ, & vinea per novos pampinos, novum vitum germinet. Vox turturis audita est; solent enim hyeme avolare ad calidiora loca, vere reverti.*

*13. Vineæ florentes dederunt odorem: Ecclesiæ gentium sunt, cito spargentes odorem fidei.*

*14. In foraminibus petrae: In vulneribus Christi habitabis. In caverna maceria: Est S. Scriptura, ex qua petit columba quietem tempore persecutionis. Inde tamen mox evocatur ad curam salutis alienæ.*

*15. Capite nobis vulpes parvulas. Sectarios intelligit, qui alienam doctrinam spargunt, quos maturè vult eliminandos.*

*16. Dilectus meus mibi, & ego illi: Unicus est sponsus unice dilectus. Qui pascitur inter lilia: Inter Sacra-menta, pascitur, & delectatur vir-tutibus fidelium, castitate, charitate, justitia &c.*

*17. Donec aspiret dies æterna, & umbræ caliginum cessent, semper constabit mutuus amor noster. Su-per montes Berber: Hæc vox signi-ficat domum divisionis: & indicat ecclesias per terram loco divisas, sed fide unitas, quibus a sponso hic petit consolationem, & assi-stentiam.*

### C A P U T III.

**Q**uae primo, & secundo capite breviter attigit, hoc, & sequentibus fusius prosequitur: quomodo DĒUS querendus, & inveniendus sit.

*1. In lectulo meo per noctes quaesi- vi: Loquitur sponsa experecta ad suos sodales: Quæsivit Chris-tum in Synagoga, sive conaba-*

tur illius doctrinam illuc introducere: sed nunquam invenit ei lo-cum neque in Synagogis Judaicis, neque in Scholis gentilium. Ex-

Y

po-

poni etiam potest: Christum sponsum non inveniri in lectulo, in otio, aut deliciis, sed in cruce, & passione.

3. Invenerunt me vigiles civitatis: Sacerdotes Judæorum, & gentium, qui eam nec responso dignati sunt, imo ut fatuam deriserunt.

4. Donec introducam cum in dominum Matris meæ. Sedes sponsæ est cœlestis Jerusalem, illuc tandem ingressura est cum sposo suo, fruitura felicitate præparata amantibus illum, ac inebrianda illo castarum voluptatum torrente, quem nobis Dominus pollicetur. Ut illuc perveniat, sponsus noctu, & interdiu querendus est, tenendus, possidendus, conservandus. Tenui eum, nec dimittam.

5. Adjuro vos &c. Est vox sponsi concedentis Ecclesiæ laboribus in querendo festæ, & ideo rursum in somnum lapsæ requiem per exercitia contemplativæ vitæ.

6. Quæ est ista, quæ ascendit per deseruum: Sodales sponsæ mirantur ejus pulchritudinem, quam etiam contemplando in sponsi complexxu auxerat, cui & gentes aromata obtulerant actionum fidei, mortificationis, charitatis. Consideratur vero post somnum transire ad campos, qui vocantur deseruum.

7. En lectulum Salomonis sexaginta fortis ambiant. Saltæ mystice de Christo est sermo, quem sponsa extollit præ se, quasi suas laudes pertæla: Sexaginta fortis sunt Angeli Ecclesiarum præsides, Episcopi, Doctores, armis instrutissimi ad defendendum lectum, qui est Ecclesia.

9. Ferculum. i.e. reclinatorium, ubi manducabatur, ascensum: est sedile lecti. Quæ media sunt in lecto, charitate constravit, sive ornamenti charissimis: Lectus hic est Ecclesia, in quo Christus mentibus hominum insidens gestatur. Cedrus est fides incorrupta: argenteum sunt divina eloquia. Ascensus respondens veteri propitiatorio, est infallibilis interpretatio Scripturar, concessa Ecclesiæ: in medio est Christus ipsa charitas Joan. 4. 9.

11. Egredimini & videte filie Sion. Fideles animæ videte Christum juxta desiderium vestrum: quomodo coronaverit in die incarnationis eum Mater sua, Maria Virgo. In altero autem Synagoga eum spinis coronavit, dolore cumulavit, opprobriis saturavit, pro geniali thoro crucem probrofissimam suppeditavit.

## CAPUT IV.

**S**Ponsam laudat sponsus, ut eam ad sublimiora provocet, & ad labores, & tribulationes amore Christi, & proximi tolerandos.

1. *Absque eo quod intrinsecus latet:* Notat præcipuam Ecclesiæ puritatem, & animæ sanctæ pulchritudinem intrinsecus esse. *Omnis gloria ejus filia Regis ab intus Psal. 44.* in cordis puritate, intentionis reætitudine, & variis gratiæ donis.

*Capilli tui sicut greges caprarum:* Grges caprarum montem Galaad circumdant instar capilitii; ita plurimæ gentes Christianæ circumdant Christum, Ecclesiæ caput. Hi de monte, qui Christus est, ascendunt, sive proficiunt, augmentur, & crescunt.

2. *Dentes tui sicut greges tonsarum:* ovium, carentes, & firmi: Hi sunt Doctores, & prædicatores, qui panem parvulis præmandunt, malos contundunt, vitia carpunt. *Loti sunt:* qui sanctitatis candore movent aspicientes sæcularibus curis abjectis: *Gemellis fætibus:* quia charitatem DEI & proximi in mentibus proximi pariunt: Non sunt steriles, quia abundant bonis operibus.

3. *Sicut vitta coccinea labia tua:* rosea, & corallina; *sicut fragmen mali punici:* granorum splendore decorum. *Labia coccinea* indicant prædicationem charitate ardente;

geniarum rubor verecundiam gravitati junctam.

4. *Sicut turris David collum tuum:* Totus corporis habitus excelsus, & erectus. *Mille clypei* sunt monilia, & ornamenta donorum Spiritus Sancti.

5. *Duo ubera tua sicut duo binnuli.* Sunt duo testamenta turgentia lacte doctrinæ vivace, vegeto, vitali & quasi masculo, ex quibus virtutum omnium decora tanquam lilia efflorescunt.

6. *Vadam ad montem myrræ:* Ecclesia militans toto tempore orationi, & mortificationi immoratur.

7. *Macula non est in te:* Ratione doctrinæ verum est de Ecclesia militante: de triumphante simpli citer.

8. *Veni de libano:* Invitat ad gloriam de variis montibus reducem. i. e. de variis terris, & gentibus ubi cum Leonibus, & aliis brutis, pura cum populorum erroribus, & sceleribus luctata fuerat.

9. *Vulnerasti cor meum - - in uno oculorum q. d. sufficit ocellus unus,* ut integrum cor meum rapiat, puræ nimirum, simplicis, & indivisiæ intentionis, nam hæc propria

pria est castissimo, & perfectissimo amori: *in uno crine: in una coniguratione, aut affectione sancta, & generosa.*

10. *Odor unguentorum est fama sanctitatis. Favus distillans: est dulcedo verbi DEI, & prædicationis: odor vestimentorum: pia opera.*

12. *Hortus conclusus: comparat eam cum paradiſo munito DEI, & angelorum custodia. In quo fons est Christus Joan. 7. 37. Signatus infidelibus & hereticis.*

13. *Emissiones tuae: Sive propagines plantarum. Haec sunt particulares Ecclesiæ quasi Majoris, & Matris propagines, abundantes omni genere fructuum, & virgatum.*

14. *Cum universis lignis Libani: Aderant in horto sponsæ omnes haec plantæ, arbustaque aromatica, & præterea omne genus magnarum arborum Libani, præcipue vero cedri. Sunt autem varie virtutes, quibus Ecclesiæ filii ornantur.*

15. *Fons hortorum: est Scriptura, fluens de Christo, qui est Libani instar, mons in vertice montium.*

16. *Surge Aquilo. Cupit, ut venti hi subinde flantes odorem horti sui late diffundant. SS. PP. intelligunt Spiritum Sanctum, qui maxime die Pentecostes instar venti vehementis super Apostolos descendit.*

## C A P U T V.

**S**PONSA INVITAT SPONSUM IN HORTUM SUUM, IBI FIT MESSIS MYSTICAL, S E dulce convivium. Quibus notis sponsus ab aliis secernatur.

1. *Veniat dilectus meus in hortum suum: Sponsa invitat Christum ad visitandam Ecclesiam, cuius piis operibus pasci solet. Veni in hortum meum: est vox sponsi, qui ad vocem sponsæ celerrime advolarat ad afferenda munera pastoralia pro convivio instruendo. Veni ergo, est temporis præteriti prima persona. Myrrha est baptismus, aromata, cætera Spiritus S. charismata: favus corpus Eucharisticum, & vinum sanguis:*

*lac, doctrina; his vescitur Christus in membris suis.*

2. *Ego dormio: Est vox sponsæ narrantis suis sodalibus se post epulas indormisse; ex parte tamen audibile sponsum pulsantem: Aperi mihi: Christus, postquam Ecclesia quieverat a persecutoribus, contemplationi intenta, eam excitat ad labores contra ingruentes heres. Caput meum plenum est rore: blasphemis, & erroribus hostium.*

3. *Expoliavi me tunica mea. Imitatur pueras pastoritas responso semisopito.*

4. *Dilectus meus intit manum: conatus pessulum removere: Venter meus: Omnia viscera mea commota sunt ad festinandum cum viderem sponsum adeo me requirere. Tactus sponsi est gratia excitant.*

5. *Manus meæ stillaverunt myrrham, quam sponsus ad pessulum allicherat: i. e. ad exemplum Christi opera mortificationis & laboris resumpsit.*

6. *At ille declinaverat: Simulat enim quandoque Christus absentiæ sua Ecclesia.*

7. *Invenerunt me custodes. Tyranni, & hæresiarchæ male tractaverunt Ecclesiam, & ornamenti extrinsecis spoliaverunt: maxime quia præ amoris quadam insania inclamaverat cives juxta vers. 8. & quietem nocturnam turbarat; sive gaudia tenebrarum dissiparat concionando.*

9. *Qualis est dilectus? Interrogant sodales sponsæ, non per ignorantiam; sed quia volunt laudes sponsi audire.*

*Dilectus ex dilecto est Christus ex DEO.*

10. *Dilectus meus candidus, quia absque peccato, & rubicundus ex sanguine suo.*

11. *Caput ejus aurum &c. Caput Christi est DEUS i. Corinth, cuius natura optima. Elata palmarum: significant germen novellum palmarum qualibus comparat capillos sponsi a nigredine commendatos: quia hi sunt cogitationes, & consilia divina, nobis obscura, & quadam umbra involuta.*

12. *Sicut columba: est nominativus casus; oculus sponsi est simplex, purusque, sicut solent columbae candidæ, quasi lacte lota.*

13. *Genæ illius sicut areola &c. indicatur lenitate mixta majestas, a Spiritu S. Christo ordinatissime infusa. Labia illius suaviloqua, quia verba vitæ æternæ promebant. Stillantia myrrham primam: quia penitentiam, & mortificationem urgebant.*

14. *Tornatiles, plena hyacinthis: Quia ornata annulis aureis, hyacinthis, sive gemmis intertextis, que sunt operationes sanctæ. Venter eburneus: castitatem charitate stipatam indicat.*

15. *Crura illius columnæ: Insinuant fortitudinem & perpetuitatem vitæ sanctæ. Species ejus ut Libani: quia superat omnes sanctos sanctitatem.*

16. *Guttæ ejus. Eloquenter ejus suavissima.*

## CAPUT VI.

**N**Ova sponsæ encomia cum a sponso ipso, tum a sodalibus:  
Decora est simul, & terribilis, luctatur & vincit hostes  
domesticos, & externos.

1. *Dilectus meus descendit: Mōratur in horto suo, qui est Ecclesia; sive moratur tecum, & in me ipso: Delectatur enim piis actionibus Sanctorum, & viros perfectos colligit tanquam lilia, ut eos morte interveniente angelis associet.*

2. *Ego dilecto meo: Jam præsens, & in oculis, & in ulnis me totam illi trado: sicut vicissim dilectus meus se totum tradit mihi.*

3. *Pulchra es: mihi. At hostibus tuis terribilis, us castrorum acies ordinata.*

4. *Ipsi me avolare fecerunt: Extra me feror amore tui, & propter te impedior a puniendis peccatis.*

7. *Sexaginta sunt Reginæ: Numerus definitus, pro indefinito: sit Rex, qui habeat tot uxores Reginas, & concubinas, quid quid in tam multis divisum, in mea dilecta unitum est, & collectum, haec una mihi est instar omnium.*

9. *Quæ est ista qua progreditur quasi aurora: Sunt verba sodalium Sponsi, & Sponsæ. Ante legem scriptam Ecclesia erat aurora; sub Moysi instar Lunæ; nunc instar Solis.*

10. *Descendi in hortum nucum: Talis est Synagoga, ex qua fructus tanquam nuces verberibus decutiebantur: ad quem hortum invisit Christus expectans fructus fidei, charitatis &c.*

11. *Nescivi: anima mea conturbavit me &c. Metuebam tibi currus Aminnadb. i. e. populi ducem, ne in illius potentiam incidens, male accipereris. Hic timor Ecclesiam occupabat, cum in horto Getsemani se traderet Principibus.*

12. *Revertere Sulamitis. Mulieres laudatrices sponsæ cupiunt eam redire, ut porro ejus aspectu fruantur: Sulamitis dicitur quasi Salomitis. Veri Salominis Christi sponsa.*

CA-

## CAPUT VII.

**L**AUDATUR sponsa ob fortitudinem & victorias de hostibus internis, & externis relatis; ob fœcunditatem prolis, & præclaram filiorum educationem.

1. *Quid videbis in Sulamite?* Reducem e bello, & vietricem sponsam sponsus suis quoque encomiis exornatam voluit. Quid inquit in illa pulchrius, quid ornatus, quam quod ipsa quanta quanta sit instar ordinatissimi castrorum chori, terribilis, fortis, spectabilis, ut castrorum acies ordinata, dulcis interim, & grata omnibus, omnes oblectans, sicut optime composti, & sonori musicorum chori. *Quam pulchri sunt gressus tui:* Pedes egregiis sandaliis calceati designant affectus animi, solidis, & pretiosis virtutibus ornatos, & sic ad opera sua, & ad DEUM gradientes. *Junctura fæmorum tuorum:* Lumbos habes non imbecilles, non distortos, sed fortes & aptissimos ad concipiendum, & pariendum perpetuo novum fœtum spiritualem.

2. *Umbilicus tuus* (per quem fœtus in utero matris nutritur) crater tornatilis, nunquam indigens poculis: Intelligitur hic verbum DEI non indigens correctione, cum omnibus congruat ad salutem. Venter est amplitudo Ecclesiæ complectens sua universalitate innumerabiles filios, qui tanquam grana in unum cumulum

congregantur per eandem fidei doctrinam, quæ cum per charitatem caste operetur, eundem cervum tanquam floribus coronat.

4. *Collum tuum sicut turris:* Est fides sursum erecta, simplex, & pura. Oculi tui sicut piscina in Hesebon; oculis tuis inest splendor quidam, & serenitas, ut aquis piscinarum Hesebon, quas neque limus turbat, neque ventus exagit. Notavimus supra oculi nomine puram intentionem significari. Hesebon urbs est in tribu Ruben. *In porta filie multitudinis:* significat portam valde frequentatam transeuntibus: quæ est Christus Joan. 10. *Nasus tuus sicut turris:* indicat præstantiam iudicii, discretionem spirituum, & veri a falso.

5. *Caput tuum ut Carmelus:* Caput Ecclesiæ Christus est, & co-mæ capitis tui: Sancti nimirum Canalibus: Velut cæsaries pulcherima pendens a capite, cuius fila regiæ vesti destinata firmiter colligata sunt in purpuriorum canilibus, ut iterum tingantur.

8. *Ascendum in palmam:* Sunt verba filiarum Sion, quarum singu-

gulæ pro se protestantur desiderium fruendi bonis Ecclesiæ.

9. *Guttur taum.* Doctrina, instructio, monita, quæ ex guttura procedunt, sicut vinum optimum.

13. *Mandragoræ duderunt odorem:* Olim mandragoras nuptæ studiose quærebant, quod fecunditatem conciliare crederentur. Videntur

hic significare eos fideles, qui apti sunt ad lucrandas animas, & filios Christo generandos. *In portis nostris:* In propinquuo habemus lucrum animarum, abunde: *nova & vetera:* populum Iudaicum & gentilem adjunxi tibi; ita mandragoræ mihi conciliarunt fecunditatem.

## C A P U T    VIII.

**A**Rdet sponsa desiderio sponsi; gloria, & delicia illius, ac perfectæ dilectionis leges.

1. *Inveniam te foris:* extra hanc vitam.

2. *Ducam in domum matris meæ.* In cœlestem Jerusalém, sive in Societatem Sanctorum veterum Legis scriptarum, & naturalis.

3. *Læva ejus &c.* Sponsus retinet sponsam ad capiendum somnum.

5. *Quæ eß ista, quæ ascendit de deserto?* Sunt voces Sodalium sponsæ mirantium, quod ipsa a somno excitata, tam animosa tendat versus Jerusalém cœlestem ad sponsi amplexum, a quo novum vigorem, virtutumque ornatum adepta erat: tendebat quidem summet potentia, sed innixa subfido gratio lo sponsi. Sub arbore malo inquit sponsus sodalibus respondens: h. e. sub cruce despundi te, sicut sub arbore corrupta est in peccatum lapla Eva mater tua.

6. *Pone me ut signaculum:* Cupit

sponsus, ut nomen suum a sponsa in finu, & brachio inscribatur, ne ipsa illius unquam obliviscatur. Nam amor meus (ait sponsus) in te fortior morte fuit; oportet ergo te mihi similem amorem reprendere, quem non dabis, aut dimittes alteri pro quovis pretio, quia super omnia tendit in me.

8. *Soror nostra parva:* Synagoga, ait sponsa, parva est in charitate, & nuptiis sponsi cœlestis immatura: & ubera non habet: quia paucos Doctores.

*Quid faciemus sorori,* quando in die iudicii sistenda est, ut jungatur sponso.

9. *Si munus est:* Respondet sponsus: h. e. si constans est contra procos alienos, supplebimus, quod ei deest: nam super eam ædificabimus propugnacula etiam argentea. *Si ostium est:* h. e. si gratia præveniente utetur, & me intro-

mi-

miserit, preiosissime eam munie-  
mus.

10. *Ego murus: respondet Sy-  
nagoga quasi nova nupta: h. e.  
promitto tibi constantiam, quia  
gratiam mihi spondes, quin & u-  
bertatem doctrinæ, qua erudiam,  
quos potero.*

11. *Vinea fuit pacifico: Salomoni,  
qui habuit vineam in Baal-hamon,  
quod est nomen loci, seu vineti  
non procul Jerosolymis, qui alias  
Engaddi dicebatur, & erat vini,  
& balsami fertilitate celeberrimus.  
Hanc suam vineam tradidit certis  
colonis colendam, & custodibus  
custodiendam; mihi vero tanquam*

*Præfectæ inter alias plures vineas  
hanc singulari cura tradidit guber-  
nandam. Hæc magna est, & fer-  
tilis, & nobilissimi vini terax:  
Nam vir, seu vinitor, qui illam  
conduxit, assert quorannis pro fru-  
ctu ejus, quem inde colligit, mille  
argentos sicos, & ultra hoc pen-  
dit alios ducentos his, qui custodiunt  
vineam. Vinea hæc tam nobilis,  
tam chara Salomoni, secundum  
alios sunt animæ pastoribus com-  
missæ, vel Ecclesia Christiana, si  
bene colatur, pendit fructum non  
modo decuplum, qui magnus est,  
vel centuplum, qui maximus, sed  
millesimum, qui omnem superat  
estimationem.*

## LIBER SAPIENTIAE.

**V**eteres omnes Librum hunc Salomonis esse asserunt, nec desunt Patres, & Concilia, qui eum sub generali nomine sapientiæ laudant. Quod vero S. Hieronymus præfatione in Libros Salomonis, hunc Librum dicit a multis putari Philonis Judæi, & D. Aug. L. 2. Doctrin. Christian. C. 8. dicit esse Jesu filii Sirach; non est contrarium communi sententiæ Doctorum. Nam sententiæ quidem sunt Salomonis, non Philonis, ut veteres dicunt, & clarissimum est ex Cap. 9. ubi Auctor Libri dicit: *Tu elegisti me Regem populo tuo, &  
dixisti ædificare me templum in monte sancto tuo &c.* Tamen collectæ sunt hæc sententiæ a quodam alio, qui a multis putatur Philo, non ille, qui fuit post Christum, sed alius antiquior, unus nimis e 70. Interpretibus. De Libri sanctitate nemo nostris hisce temporibus recte creditum dubitat. Nam præter Pontifices, & Concilia non pauca, Tridentinum Sess. 4. hunc Librum numerat in Sanctarium Canone Scripturarum. Neque Patres tantum ab initio Ecclesiæ sed Christus ipse plura ex eo sumpsit testimonia: siquidem illud

Sap. 3. Fulgebunt justi. Retulit Christus apud Matth. Cap. 13. Justi fulgebunt sicut Sol in regno Patris eorum.

Scopus Auctori fuit, ut Reges, optimates, & judices terræ qua verbis, qua opportunis documentis, qua adhortationibus ad studium sapientiae impellat.

## C A P U T I.

**S**Apientia Reges, & Magistratus ad sui studium invitata.

1. Sentite de Domino in bonitate: Confidite in illius misericordia, & sperate illum futurum conati-bus vestris, quos ad sapientiam acquirendam exeretis: In simplici-tate cordis querite illum, non corde doloso, si<sup>o</sup>, ut hypocrite.

2. Qui non tentant eum: Tentare DEUM est DEO disidere, aut ejus bonitatis, vel potentia ostensionem petere.

3. Probata autem virtus corripit insipientes: Potentia DEI multis exemplis declarata ostendit insipientes esse illos, qui male de Deo sentiunt.

4. In corpore: homine, subdit-to peccatis.

5. Spiritus enim discipline: & sapientia auctor refugiet a si<sup>o</sup>, & doloso; & corripietur, sive improbabitur, displicebit, expelle-tur, & quasi vincetur ab iniqui-tate.

6. Benignus est enim spiritus sapien-tia: Ideo non impunem esse ma-ledicatum, nec dimittet sine poena peccata labiorum: omnia enim ar-cana cordis penetrat, & audit ser-mones linguae.

7. Et hoc quod continet omnia scientiam habet vocis: S. August. in

speculo legit: hic, qui continet omnia, sed noster interpres dixit hoc, vocem Græcam τρεψαντον spiri-tus respiciens, quæ est generis neutrius. Continet omnia: omnia conservat, omnia complectitur, & pervadit. Scientiam habet vocis: Spiritus, qui ubique est, non po-test ignorare sermones, quamvis occulte proferantur, aut etiam duntaxat corde dicantur.

10. Auris zeli audit omnis: DE-US juste irritatus pravis impio-rum sermonibus non tacebit, sed eos puniet.

11. Os autem quod mentitur: in materia gravi, occidit animam.

12. Nolite zelare mortales: mor-tem vobis procurare, zelando ini-quitates, non enim est mens DEI ut hominibus sit male, quos fe-cit ad beatitudinem, & sanabiles fecit rationes: i. e. salvabiles.

14. Medicamentum exterminii: i. e. antidotum contra venenum, quod in Paradiso non nocuisset, non ordinavit per se DEUS; sed post peccatum invenit necessitas. Sicut nec infernum creavit DEUS nisi peccato cogente.

15. Justitia enim: in qua con-ditus est homo, perpetua est, & im-mor-

mortalis, per se immortalitatem pra-  
bilem, omni-conatu accersiverunt illam:  
videlicet mortem.

16. Impii autem manibus, & ver-

## C A P U T II.

**S**apientia ostendit falsa esse impiorum ratiocinia, qui animam  
una cum corpore interire opinantur, qui uni voluptati indul-  
gent, & Christo incarnatae veritati resistunt.

1. Non est refrigerium in fine: Non  
est antidotum contra mortem. Non  
est qui agnitus sit: Animam enim  
putabant mortalem.

2. Ex nibili nati sumus: temere,  
sine providentia; quoniam sumus  
&c. post mortem nihil restabit  
de nobis.

11. Sit autem fortitudo nostra lex  
justitiae: Sit nobis fortitudo pro  
lege iustitiae; id justum habeamus,  
& licitum, quod viribus nostris  
præstare possimus.

12. Circumveniamus justum: Di-  
cuntur de Christo per excellen-  
tiam.

13. Promittit se scientiam habere  
DEI: Christus aperte illis ajebat  
se esse, quem tanto tempore præ-  
stolarentur, Messiam, DEI Filium.  
At hec omnia illos magis irrita-

bant, atque inde occasionem ar-  
ripiebant eum persequendi, &  
occidendi.

14. Factus est nobis in traducio-  
nem: Rider consilia nostra, stu-  
tos, & insipientes nos vocat. Græ-  
cus ad literam: Factus est accusator  
cogitationum.

18. Si enim est verus filius DEI,  
suscipiet illum: Succurret ei: Hæc  
prophetice dicuntur de passione  
Christi, ut patet ex Matth. Cap.  
27.

19. Ut sciamus reverentiam ejus:  
Experiamur, quanta erit ejus mo-  
deratio, & patientia.

20. Erit enim respectus: Ex ejus  
loquela tum judicabimus.

22. Nescierunt Sacraenta DEI:  
Arcana DEI judicia: Nec judicave-  
runt honorem: Non expenderunt  
præmia.

## C A P U T III.

**S**apientia manifestat justorum felicitatem, & gloriam sempiter-  
nam; item impiorum, vel adulterorum infelicitatem.

1. Non tanges illos tormentum mor-  
tis: aeternæ.

3. Quod a nobis est iter extermi-  
nium: Græce Contrario: ducta est  
trans.

translatio a vasis testaceis, quæ semel conminuta nulla ratione refici possunt.

4. *In paucis vexati*: Quia non sunt condignæ passiones hujus temporis &c. quidquid hic patimur, parum est comparatione cœlestis gloriae. *In multis bene disponentur*: multis bonis cumulabuntur.

6. *Qusq; holocamsti hostiam accepit eot*: Gratum DEO fuit tormentorum, & passionum Sacrificium, quod sancti Martyres de se ipsis DEO obtulerunt. *In tempore erit respectus illorum*: suo tempore ratio ipsorum habebitur. *Tanguam scindille in arundinetu discurrerent*: Notat splendorem, & agilitatem corporum beatorum.

10. *Qui neglexerunt iustum*: sellum quod iustum est, seu justitiam.

13. *Maledicta creatura eorum*: Imporborum pessima soboles.

14. *Et spado -- dabitur ei dominum fidei electum*: Ne impius exprobret evnicho sterilitatem, ea enim præstat cœlestæ fecunditati; Et evnuchus, qui vixerit in innocentia, & timore Domini, fidei, ac fidelitatis sua præmium recipiet.

15. *Radix sapientie*: Quæ non pereat.

18. *Nec in die agnitionis allocutionem*: Consolationem in die judicii.

## C A P U T   I V .

**C**omparatio inter justi, & impiorum posteritatem; inter legitimos & spurios. Mors justorum semper felix, sive juvenes, sive senio confecti fato fungantur.

1. *O quam pulchra est casta generatio*: Melius est esse sine liberis, & cum virtute, quam liberos habere ex adulterio. *Quoniam & apud DEUM nota est*: in amoribus est, prosequuntur eam homines presentem, & absentem desiderant.

3. *Multigena -- multitudo Filiorum*, conceptorum per illicitos concubitus. *Tanguam vitulamina*, seu stolones inutiles non durabunt.

6. *Ex inquis somniis*: Ita vocat concubitus. Sic nati testabuntur de parentum malitia, si inquiratur, unde sint orti.

8. *Cani autem sunt sensus hominum*: bene sensati præ senibus venerabiles sunt.

10. *Vivens inter peccatores translatus est*: Alludit ad illum locum Genes. 5. Enoch non apparet amplius, quia tulit illum DEUS. Hic DEI favor est, cum iustum de medio improborum educit, ne spi-

Spiritus ejus nequitia illorum, & pravi exempli contagione corruptatur.

12. *Fascinatio enim nugacitatis obsecrat bona:* Malitia, & injustitia specie honesti oculos mentis frequenter perstringit, ut quæ vere bona sunt, non videat, & contra bona putet, quæ mala sunt. Quod ipsum etiam innocentibus accidit.

13. *Consummatus: i. e. comple-*  
tus, & perfectus virtutibus explavit in brevi tempora multas comple-

vit mensuram prolixæ, & perfectæ ætatis.

14. *Nec ponentes in præcordiis talia:* Scil. quod gratia DEI, & estimatio dirigatur ad electos: subaudi: errant.

16. *Condemnat autem justus mortuus vivos impios:* condemnat sui comparatione, ut de Ninnivitis docet Christus Matth. 12.

19. *Disrumpet illos inflatos sine voces:* non habentes, quo se excusent.

## C A P U T V.

**I**MPII post mortem agnoscent errorem suum, & fatentur meritum justorum. Ultio, quam in illos exercet DEUS.

1. *Tunc stabunt justi:* In altera vita in impios insurgent.

2. *Mirabuntur in subitatione:* Adeo repentina mutatio desperationem illis injiciet.

3. *Panitentiam agentes:* Seram nimirum, & inutilem, quia extra statum viae.

7. *Ambulavimus vias difficiles:* Scelerum via difficultior est, quam via virtutis, ex ipsa impiorum confessione.

11. *Argumentum itineris:* indicium.

17. *Accipient regnum decoris:* regnum ornatissimum, & pulcherimum. *Diadema speciei:* coronam speciosissimam.

18. *Accipiet armaturam zelus illius.* Sapiens describit arma, quibus præcinget se Dominus, ut de inimicis suis ultionem sumat. *Zelus* est zelotypia, justa indignatio.

19. *Judicium certum:* Äquum, sine personarum acceptione. Hæ locutiones Poeticæ sunt, & mirum in modum exprimunt terribilem ultionem, quam adversus improbos DEUS exercebit.

23. *A petroſa ira:* Ira DEI balista similis, qua olim belli ad jacendos lapides utebantur.

24. *Contra illos stabit spiritus virutis:* Ventus vehemens.

## CAPUT VI.

**I**Mpiorum sera in iudicio, & in inferno poenitentia; justorum autem vera, & eterna felicitas a Sapientia describitur.

7. *Exiguo: Vili homini de plebe, conceditur misericordia.*

8. *Non subtrahet: non respiciet personam DEUS.*

10. *Et non excidatis: non offendatis.*

18. *Initium illius &c. Sapientiae initium est sincerum eruditio*nis*, vel correctionis desiderium.*

19. *Cura ergo disciplina dilectio est: Concupiscentia disciplina parit ejus curam, cura amorem, amor autem custodiam legis, custodia.*

consumationem, ac firmamentum immortalitatis, quæ est similitudo DEI.

24. *Ab initio nativitatis: Ipsum principium sapientiae pandam. Porro dicuntur hæc interdum de sapientia creata, interdum de sapientia increata, adeoque generatim proposita, ineterminate & abstracte sumenda sunt.*

25. *Talis homo: Scilicet invidus, qui verum sciens abscondit, non erit particeps sapientiae.*

## CAPUT VII.

**O**MNIUM HOMINUM æQUALIS NATIVITAS. Sapiens petuit, & obtinuit sapientiam; bona, quæ ipsi accesserunt cum illa. Elogium sapientiae.

1. *Sum quidem & ego mortalis homo. Videretur Salomon velle a se repellere suspicionem, quam fortasse mors suo stultam de eo habebant gentiles, eum esse filium aliquius DEI.*

2. *Dilectamento somni: concubitu interveniente.*

12. *Et ignorabam: scilicet antecedenter non cogitaveram, ne cum sapientia etiam opes acceptum.*

14. *Propter disciplina dona commendati: DEO conciliati, & grati effecti.*

15. *Mibi dedit DEUS dicere ex sententia: Recititudinis, & sinceritatis spiritum mihi est largitus.*

20. *Cogitationes hominum. Non singillatim, sed generatim, quo soleant tendere hominum affectos.*

22. *Spiritus intelligentia sanctus, multiplex: Loquitur de Spiritu Sancto vivificante, omnis luminis, omnisque boni fonte, terra Sanctissima Trinitatis persona. Spiritus Sanctus igitur sanctus est natura, unitus essentia, multiplex effectu, subtilis: ubique est, omnia*

videt, omnia cognoscit, disertus  
solvit linquam mitorum.

23. *Qui capias omnes spiritus:*

DEI Spiritus non corporalia se-  
lum, sed spiritualia videt, ac pe-  
netrat, omnes spiritus sunt in il-  
lius potestate.

## C A P U T    V I I I .

**S**Apientiam expetendam, *Et a DEO postulandam esse, quia*  
*omnia bona, quæ expeti solent, illi conjuncta sunt.*

1. *Atingit ergo a fine usque ad fi-*  
*num. Res omnes quoad earum*  
*principia, & fines sua immen-*  
*sitate, & perspicacitate penetrat;*  
*unde ita stabiliter omnia coordi-*  
*nat, ut nulla vi mutari possint.*

3. *Generositatem illius glorificat:*  
*Splendorem gentis commendat.*  
*Contubernium habens DEI:* Huic nos  
consociat; quam inobilis sit, is so-  
lus novit, qui DEI amicus est,  
& cum eo conjunctus.

4. *Doctrrix enim est discipline DEI.*  
*Imitatrices: nam homines ad sacra*  
*disciplina mysteria initiat.* Ele-  
ctrix: Græce inventrix ordinis hu-  
jus universi.

6. *Si autem sensus operatur: Si in-*  
*telligentia, & industria artificum*  
*tot egregia facinora operatur.*  
Quid operabitur Sapientia, quæ  
ars est universalis.

8. *Scit versutias sermonum. Hoc*  
*pacto Salomon intellexit, utra mu-*  
*lierum semet accusantium, quod*  
*filium suum enecassent, esset ve-*  
*ra Mater.*

*Monstra & signa antequam siant:*  
Sapiens prænoscit Solis, & Lunæ

ecclipsin, calorem, frigus, terra-  
motus, tempestates, sterilitatem,  
vel fertilitatem, morborum sym-  
ptomata &c.

9. *Erit allocutio cogitationis: Eum*  
consulam, eique cor meum ape-  
riam,

19. *Sortitus sum animam bonam:*  
indolem docilem.

20. *Et cum essem magis bonus:*  
Cum magis magisque per virtu-  
tum exercitium proficerem in bo-  
nitate: *Veni ad corpus incoquinatum:* Eo deveni, ut etiam corpus  
mihi esset bene temperatum, mun-  
dum, castum, & cum anima mi-  
rifice congruens.

21. *Et scivi, quoniam aliter non*  
possem esse continens. A Venere, vi-  
no, ira, caterisque vitiis inquit S.  
August. nisi DEUS det: i. e. sine  
gratia DEI. Sed Græce vertunt:  
*non possem voti compofieri:* & indi-  
pisci Sapientiam, nisi DEUS mihi  
illam daret. Et sic alibi in Scrip-  
turis verbi soler, ἐγκρατήσι enim  
proprie significat, qui haber do-  
minum, vel potestatem.

C A -

## C A P U T I X.

**S**alomonis oratio ad Dominum, pro impetranda sapientia, quæ necessaria est illis, qui regendis populis præsunt.

1. Da mibi sedium tuarum assistrem sapientiam: Per quam iudicia tua pronuncias. Et noli me reprobare: ne deneges eam mihi gratiam, quam filiis tuis, & amicis large impertiris.

9. Et tecum sapientia tua: DEUM orat, ut sibi templum ejus ædificanti communicet eandem sapientiam, quæ illi adfuit mundum creanti.

13. Quis enim hominum poterit

scire consilium DEI? sine interiori, ac supernaturali tuo lumine.

15. Corpus enim quod corruptitur, aggravat animam. Corporis corruptibilis nexus cum animo incorruptibili magnum affert ad intelligentium impedimentum. Terra inhabitatio: corpus. Deprimit sensum: Intellectum, mentem, multa cogitantem: plenam curarum, quæ eam ita distrahunt, ut libere de DEO, & divinis meditari ægre possit.

## C A P U T X.

**S**apiens Patriarcharum exemplis ostendit sapientiam a malis liberare; ab Adamo incipit, ad Moysen usque, & gentem Hebraicam sermonem continuat.

2. Eduxit illum a delicio suo. Per paenitentiam ei inspiratam, dedit que peritiam gubernandi totum genus humanum, cuius Rex naturalis erat Adam.

3. Recessit injustus in ira sua: Cain fraticida.

4. Propterea quem: Impiæ Cain, ejusque posteros, ejusdem impietatis asseclas, & imitatores; cum aqua diluvii detrectat universam terram, vulnus pene lethale hoc cataclysmo illatum roti generi humano, sanavit rursus sapientia: ser-

vando Noëmum cum suis, velut semen novi mundi; justum in mediis undis instar peritissimi navarchi, gubernans per lignum arcæ contemptibile: seu quod passim ab impiis, & incredulis contemnebatur.

5. Hæc - scivit justum, & conservavit sine querela DEO. Abramum in medio populi idololatræ, & in familia Patris sui, quæ idolis sacra faciebat, a quavis talis sceleris suspicione immunem praestitit. In filii misericordia fortem custodivit: Sapientia, & Religio confirmavit.

firmaront Abraham in eo pericu-  
lo, quo agebatur, ut ad imperium  
Dominii filium immolaret.

6. *Hec justum -- liberavit fugien-  
tem*: Scil. Loth.

7. *In certo tempore*: Arbores non  
ferentes fructus maturescentes cer-  
to tempore: *Incredibilis animæ*: In-  
credulæ mulieris supplicium sta-  
tua salis.

8. *Prætereuntes*: transgredientes,  
contemnentes.

18. *Hec profugum iræ fratris*: De  
Jacob loquitur, qui evitaturus  
iram fratris sui Esau solus in Me-  
sopotamiam contendit, quo etiam  
duce sapientia pervenit. *Ostendit*  
*illi Regnum DEI*: Cum vidi se  
lam mysticam, & Angelos ascen-  
dentes. *Dedit illi scientiam Sancto-  
rum*: Inspiravit illi mentem, lo-  
cum hunc Domino consecrandi,  
quod & præstidit, fundens oleum  
super lapidem.

12. *Certamen forte dedit illi*: desi-  
gnatur lucta cum angelo Gen. 32.

13. *Venitum justum non derel-  
quit*: Josephum Patriarcham.

14. *Donec afferret illi sceptrum re-*

*gni*: Summam post Pharaonem in  
Ægypto potestatem, & potentiam  
adversus fratres, qui eum ante de-  
primebant.

15. *Hec populum justum -- libe-  
ravit*: Israëlitum, qui in Ægy-  
pto fuit sine querela.

16. *Intravit in animam servi DEI*:  
Moysis, qui stetit contra Pharaonem,  
& ejus proceres.

17. *Reddidit justitiae mercedem*.  
Præcipiens Judæis, ut ab Ægy-  
ptiis valsa aurea, & argentea mu-  
tuæ acciperent sine restituzione,  
in compensationem mercedis pro  
laboribus, quibus injuste oneraban-  
tur.

*Euit illis in velamento disti*: In co-  
lumna nubis, qua simul contra ar-  
dorem solis defenderentur, & in  
columna ignis lucentis per noctem  
mirabiliter eos deduxit per mare  
rubrum.

19. *Ab altitudine inferorum ede-  
xit illos*: de profundo abyssi, seu  
maris, aliisque periculis.

21. *Sapientia aperuit os mutorum*:  
Israëlitarum, qui antea metu Æ-  
gyptiorum loqui non audebant.

## C A P U T   X I .

**S**apientia magna, & mirabilia fecit in exitu populi Israël ex  
Ægypto; insipientiam autem Ægyptiorum per varias plagas  
castigavit.

1. *In manibus Prophetæ sancti*:  
Moyesis.

5. *Per quæ enim panas passi sunt*  
inimici eorum: Ægyptii in regio.

ne sua carebant aqua, cum Moy-  
ses Nili aquas in sanguinem con-  
vertit.

7. *Nam pro fonte quidem sempiter-*

*ni fluminis:* Flumen hoc sempiternum Nilus est, cui etiam divinos honores deferebant Ægyptii, rati non aliter se posse beneficiis illius respondeat.

8. *Qui cum minuerentur:* Ægyptiorum numerus per mortem siti latam minuebatur, non autem Hebraeorum, quod cupiebat Pharaeo, dum parvulos eorum submergi jussit.

12. *Absentes enim & præsentes similiter torquabantur.* Cum enim in Ægypto præsentes essent Israelites, re ipsa sitim sustinebant: Cum autem absentes audirent Israelitas a DEO miraculose potari, tor-

quebantur tum invidia, tum memoria præteriti sui tormenti.

14. *Commemorati sunt Dominum:* Israëlitæ misericordiam DEI in se celebrarunt.

15. *Quem enim in expositione prava:* Moysen aquis olim expositum deriserant, mirati sunt.

16. *Pro cogitationibus autem insensatis:* i. e. sicut stultissime adorarunt Ægyptii vilissima animalia, sic per vermes, muscas, & ranas punivit eos.

18. *Non impossibilis erat &c. aut infirma immittere, aut ursos, dracones &c. sed omnia in mensura, & pondere, sive proportionate agit DEUS.*

## C A P U T   X I I .

DEUS misericors etiam erga inimicos suos: eorum pœnitentiam expectat, neque pœnas de iis sumere festinat. Quam suaviter egerit cum Chananæis, licet omni misericordia indignissimis.

2. *Paribus corripis:* i. e. paulatim.

3. *Habitores terræ sanctæ: Chananæos.*

4. *Per medicamina & sacrificia, superstitionis, magica, & diabolica.*

5. *Et filiorum suorum necatores: Quos immolabant Diis, eos expulisti a Sacramento tuo: auxilio parentium, innocentium.*

7. *Ut dignam perciperet peregrinationem:* Transmigrationem, coloniam servorum DEI acciperet, quibus digna erat terra.

8. *Misisti vespas:* adde: & crabones; hoc enim se præmissurum promiserat DEUS. Exod. 23. Et ita factum docet Josue ult. v. 12.

11. *Semen enim erat maledictum:* Gen. 9. Maledictus Chanaan &c.

15. *Exterum astimas:* Alienum judicas a virtute.

C A -

## C A P U T X I I I .

**I**Dolorum vanitas. Idololatrarum error, Fallacium DEorum  
impotentia.

i. *Eum qui est: DEUM.*

6. In his minor est querela: seu  
reprehensio, Sol enim, Luna, &  
sydera magnifica sunt objecta, &  
aliquam in nobis reverentiam ci-  
ent; verum ligna, lapides, me-  
talla, elaborata, figurata, ornata,  
& nobis ipsis collocata, quam ha-

bent utilitatem, quod meriti genus?

11. In conversationem vitae: in qua  
multa vasa lignea sunt necessaria.

*In adjutorium inutile invocat : Sup-  
petias petit ab eo , qui opem  
ferre nequit , qui neque sibi , ne-  
que invocantibus se potest opitu-  
lari.*

## CAPUT XIV.

## **S**equitur descriptio stultitiae, & cœcitatris Idololatrarum.

1. *Fragilius lignum invocat: Lignum idolum invocat, quod vi-  
lius multo est, quam navis, quam  
necessitas, & ars invenit.*

*3. Dediſti E in mari viam: Filiis  
Iſraēl : tamen, ut sapientia tua non  
deſit actionibus hominum, artem  
nauticam dediſti.*

5. Per ratem: i. e. arcum, libe-  
rati sunt.

6. *Spes orbis terrarum ad ratem  
conjugient: Designat arcam Noë,  
ubi diluvii tempore octo homi-  
nes, ac certus animantium cuius-  
libet speciei numerus, tanquam  
unica totius terræ rursus inhabi-  
tanda spes servati fuerunt.*

7. *Benedictum lignum per quod fit  
iustitia, Felix lignum: quo usus*

est Noë in justitia sua, ut genus  
humanum in familia sua conten-  
tum salvaret: maledictum vero  
lignum, ex quo fabri idola con-  
fecere.

10. *Tormenta patietur: in ignem coniicitur, metaphora.*

12. *Initium fornicationis*: Postquam semel vitium consecratum fuit in factorum numinum persona, nihil sibi nefas esse homines arbitrati sunt.

17. Evidentem imaginem: conspi-  
cuam, præsentem.

### *Incommunicabile nomen : DEI.*

22. *Inscientia bello*: Nam ignorantia hæc velut bellum quodam, omnium rerum perturba-

tionem, & chaos malorum adduxit, ut sequitur.

26. Nativitatis immutatio: Vagae libidines, aut contra naturam.

30. In dolo contemnentes justitiam:

DEI scil. dum jurant per DEUM falsum, a quo non puniuntur. Puniuntur tamen a vero DEO, quia poena non pendet a viribus sui idoli, sed a justitia veri DEI.

## C A P U T   X V .

**F**ideles gratias agunt, quod DEUS illos per suam sapientiam misericorditer ab insipientia, seu idolatria, & impietate servaverit.

2. Si peccaverimus, tui sumus: Sub tua potestate permanemus, nec potentiam tuam, qua juste peccata vindicas, evadere possumus,

3. Noſſe enim te: Vera, & sincera fide, consummata i. e. perfecta, q. d. sine DEI cognitione nulla est perfecta justitia.

5. Insensato dat concupiscentiam: Fuerunt enim, qui statuas idolatricas obscene amarent.

8. Repetitus animæ debitum: Iesus reddere animam, quam accep- perat, qui finxerat animam idolo.

9. Sed concertatur: Emulantur inter se circa modum, & artem fingendi Deos, ostendentes sibi animam esse cinere vaniorem.

18. Insensata enim comparata his: Ligna, lapides sunt deteriora, ac viliora crocodilis, ranis, & serpentibus: Attamen ista carent etiam delectatione aspectus, & forma, qua illa non viventia fu- cata sunt.

19. Effugerunt DEI laudem: Tur- pitudine sua ostendunt, quam inepte illis congruat nomen, & laus DEI.

## C A P U T   X V I .

**S**apientia narrat Aegyptios ob insipientiam, & cultum bestiarum per bestias punitos; Hebreos obmurmuratores, & rebelles leviori poena castigatos: resipiscentes novis beneficiis auctos esse.

1. Escam parans eis ortygometram: est contournix major optimi saporis.

3. Ut illi quidem concupiscentes

escam: Aegyptii fame laborantes oderant cibos, licet maxime ne- cessarios propter immunda illa ani- malia, quæ DEUS illis immiserat.

Hi

*Hi autem in brevi inopes facti sc. Hebrei autem cum parumper esurissent, suavissima esca saturati sunt.*

5. *Cum illis supervenit saeva bestiarum ira.* Narrat Moyses in odium Judaicæ obmurmurationis DEUM serpentes induxisse; sed ira ejus statim deferuit, & fere simul ac malum coepit, ejusdem ille præbuit medicinam.

6. *Signum habentes salutis:* Non ait serpentem æneum fuisse salutem Hebræorum, sed signum, aut symbolum salutis. Ut Hebrei discerent obedire legi, & voluntati Divinæ, etiam cum nulla illis apparet ratio.

11. *Non possent uti tuo adjutorio:* oblivione cui incapaces se reddende.

17. *Vindex est enim orbis iustorum.* Loquitur de mundo elementari, ignis enim & aqua, & omnia elementa quodammodo conspirabant ad ultiorem sumendam de inimicis populi DEI.

22. *Nix autem, & glacies sustinebant vim ignis:* Flamma eadem, quæ Hebreorum manus parcebat, Agyptiorum arbores, & fructus in cinerem redigebat, ac semet conservabat, quin extingueretur inter pluvias, & grandinem.

## CAPUT XVII.

**S**apiens Aegypti tenebras describit, pavorem, insipientium, seu Aegyptiorum, & spæctra; cum interim Hebrei filii sapientie clara luce fruerentur.

2. *Nationi sanctæ: Iudæorum. Fugitiui perpetuae providentia jacuerunt: Exclusi a providentia DEI passi sunt tenebras palpabiles; in pœnam scil. quod putarint se posse opprimere populum DEI; & quod occulta peccata sua DEUM laterent* juxta vers. 3.

4. *Personæ tristes: spæctra sonitum edentia illos inquietos reddebant.*

17. *Et Magica artis apparebat, derius: contemptus quia per hanc non poterant succurrere.*

9. *Negantes se videre: aut ferre posse aërem tenebrosum, licet alioquin monstra Mosaica contemnerent.*

11. *Nihil cuim est timor, nisi proditio cogitationis auxiliorum:* Inde oritur timor, quod vel mens velut prodita, & destituta de auxilio desperat.

12. *Dum autem ab intus minor est expectatio: In re ipsa interdum minus est tormentum, quod imminet, magis tamen terret illius cau-*

sa, quæ non videtur, & DEI potentia est.

13. *Impotentem noctem.* i. e. tempore impotentis illius noctis, vocatur impotens, tum quia reddebat Ægyptios impotentes ad agendum; tum quia vitari non poterat, nec illustrari. *Insimis, & altissimis:* sunt synonima, i. e. pro-

fundissimis: *Ex impotentis inferni recessibus:* Dicitur autem infernus impotens, quod nulla ibi sit utilis alicujus operis faciendi facultas. *Eundem somnum dormientes:* i. e. omnes male, & terroribus perturbato somno dormiebant.

20. *Imago tenebrorum, qua superventura illis erat:* in inferno.

## C A P U T   X V I I I .

**S**apiens confert felicem fidelium Hebræorum sortem cum infelici statu insipientium, seu rebellum in Ægypto, & in deserto.

3. *Solem sine lafura:* quia nubes mitigabat æstum solis.

5. *Uno exposito filio, & liberato:* Permisisti, ut Moyses exponeretur a parentibus suis, qui illum non poterant amplius occultare eorum solertiæ, qui Pharaonis ius suu pueros perquirebant; sed illud etiam in gloriæ tua argumentum traducere nosti; & Ægyptii acer- rimas dedere poenas morte primogenitorum suorum, & cæde militum, qui in mari rubro submersi sunt: Pariter illos perdidisti in aqua valida.

6. *Illa enim nox ante cognita:* Prædixerat Moyses Israëlitis ea, quæ ipsis eventura erant nocte exitus eorum de Ægypto, qua omnia Ægypti primogenita ab angelo exterminatore cæsa fuere.

9. *Absconde sacrificabant:* Agnum Paschalem pueri, & filii justorum, & disposuerunt se parati ad acceptandam legem a DEO, inter-

prospera, & adversa servandam: Patriarcharum laudes commemo- rando.

10. *Inconveniens inimicorum vox:* interstrepebat lugentium mortes primogenitorum.

13. *Spoponderunt populum DEI esse:* confessi sunt Israëlitas esse populum DEI, cum prius non crederent a magis suis decepti.

15. *Omnipotens sermo tuus:* voluntas, & iussis divina, quam angelus representans, Personam filii DEI, ut in monte Sina, executioni mandavit.

16. *Insimulatum imperium:* se- riū, non simulatum. *Usque ad Cælum attingebat:* Angelum gigantea statura inducit more poetico.

19. *Visiones enim:* Præcedebant scil. terrores eis prænuntiantes, quæ essent eventura.

21. *Homo sine querela:* Aaron Num. 16. 43. ostendens reipsa se esse Pontificem a DEO electum.

22. *Vicit autem turbas: Græce, turbam, turbationem, seu plaga-  
gam devastantem. Sed verbo illum  
populum subjecit.*

24. *In ueste poderis: Summi Sa-  
cerdotis pallium, quod uestis po-  
deris vocatur, lineum erat, colo-  
ris hyacinthini, in cuius ora ex-  
rema aderant tintinabula, quibus  
mala punica alternatim erant im-  
mixta, e purpura, hyacintho, &  
cocco elaborata: hyacinthinus co-  
lor, vel coeruleus cœlum, vel æ-  
rem indigitabat, linum terram,  
purpura ignem, & aurum terram.*

*Parentum magnalia in quatuor or-  
dinibus: Nomina duodecim Patriar-  
charum filiorum Jacob insculpta  
erant in duodecim pretiosis lapi-  
dibus in Summi Sacerdotis ratio-  
nali insertis. Magnificentia tua in  
diademe: Summus Sacerdos in  
aurea lamina, quæ in fronte il-  
lius erat, gestabat hæc verba in-  
sculpta: Sanctitas Domino: quod  
isthic sapiens Domini magnificentiam  
appellat.*

25. *Erat enim sola DEI tentatio  
sufficiens: Est ostensio iræ Divinæ,  
sine ulteriore excidio.*

## C A P U T X I X.

**S**apientes clientes, & filios sapientie cum sapientie hostibus com-  
parat, ac DEO gratias agit, quod hos puniuerit, illos lu-  
mine, aliisque beneficis prævenerit.

2. *Ut se educerent: ut abirent ex  
Ægypto scil. Hebræi cum magna  
solicitudine, ursorunt enim eos, ut  
exirent Exod. 12.*

4. *Ducebat illos - - digna necessi-  
tas: Subeundæ pœnæ juxta inevi-  
tabile decretum DEI, gravitatem  
peccati inultam abire nolentis.*

6. *Omnis propemodum creatura  
ad suum genus resfigurabatur, trans-  
mutabatur, & in aliam figuram  
reducebatur, idque ut præceptis,  
seu decretis tuis deservires v. g. ma-  
re rubrum fissum, & fixum sterit  
immobile, & alveus ejus exsicca-  
tus est, ut Hebræi transirent il-  
læsi, Ægyptii vero præfocaban-  
tur.*

9. *Tanquam equi depaverunt escam.  
Lætati, & saturati sunt, velut equi  
in optimis pascuis.*

11. *Viderunt novam creaturam  
avum: Coturnices, quæ circa ca-  
stra eorum cadebant, ut in escam  
eorum deservirent, nunquam ante  
in deserto visæ sunt; unde di-  
cuntur nova creatura.*

12. *In allocutione desiderii: Ad  
petitionem illorum, secundum  
desiderium illorum.*

13. *Detestabiliorē in hospitalitatem  
instituerunt: Gravius contra hospi-  
talitatem peccarunt Ægyptii,  
quam Sodomitæ, quod illi tam ma-  
le tractaverint de se bene meritos;  
sed*

isti inhumanitatem quidem fuerint, sed aduersus incognitos.

16. *Percussi sunt autem cœcitate.*  
Alludit ad Aegypti tenebras, quæ triduo permanerunt, & de quibus facta est mentio supra Cap. 17. eas comparat cœcitatibus, qua Sodomæ cives percussi fuere prope fores Loth Gen. 18.

17. *In se clementia dum convertuntur:* Hic consequenter ponitur Aegyptiorum punitionis mirabilis modus, elementis DEO obedientibus, mutando modum suum agendi ex præcepto DEI. *Sicut in organo: instrumento musico.* Qualitas sonus immutat. Secundum

volutatem modulantis, qui modo permittit unam chordam, modo aliam, & eandem modo fortius, modo remissius.

18. *Agrestia in aquatica convertebantur:* Jumenta Hebræorum, aves, & boves fundum maris rubri transierunt; Et quæcumque erant natantia Sc. ut ranæ, quæ domos Aegyptiorum subibant.

19. *Ignis in aqua valebat: grandini admixtus,* qui in pluviis, & grandine non extinguebatur.

20. *Flammea e contrario: non absu-*sumebant ranas, mynas &c. quæ tamen liquefaciebant manna sicut glaciem, dum coquebatur.

## ECCLESIASTICUS JESU FILII SIRACH.

**S**Æpe citatur sub nomine Salomonis, cuius plurima habet inserta fragmenta. Continet materiam de moribus potissimum. Collectorem habet JESUM filium Sirach: cuius nepos ejusdem nominis eum ex Hebreo in Græcum transluxit, qui & prologum scripsit. Desiderari opus hoc in catalogo Hebræorum constat inter omnes, & cum alioquin ejus sententias laudare non raro deprehendantur Hebrei, ejus tamen auctoritatem longe habent a divina. Hodie tamen receptum in Ecclesia Catholica dogma tenet, hunc librum parent habere auctoritatem cum ceteris in Canonem Iudaorum receptis Scripturis. Concilium enim Tridentinum eum in Canonem Canonicorum Scripturarum adlegit, omni perplexitate submota.

### Prologus.

1. *Multorum nobis & magnorum Sc. Clare ex Hebreo sic veritas.*  
Cum multa nobis magnaque per legem, & Prophetas, aliquosque, qui

qui eos secuti sunt, tradita sint, ob quæ merito laudes Israëlitæ nomine eruditionis, & sapientiæ; & unde non solum ipsi lectores possint docti evadere, sed si sint studiosi, etiam exteris tam dicendo, quam scribendo utiles esse queant; avus mens, cum se multum dedisset lectioni legis, & Prophetarum &c. voluit & ipse aliquid horum scribere &c.

## CAPUT I.

**O**RIGO sapientiæ, & dignitas; Sapientia DEI incomprehensibilis relucet in creaturis: DEUS illam communicat timentibus, & diligentibus ipsum. Nam timor DEI & sapientiam, & justitiam, & reliquias virtutes affert.

1. *Omnis sapientia a Domino DEO est. Quæ hic sapientiæ tribuuntur, partim increata, ut, quod fuerit ab omni ævo, seu ab æterno: partim creatæ convenienter, ut, quod initium sapientiæ sit timor Domini. Itaque hoc loco sapientia generatim sumenda est, ut DEO convenit infinite, hominibus pro modo cunctisque.*

4. *Prior omnium creata est sapientia. Perinde est, ac si dicatur: genita ante omnia, seu existuisse ab æterno. Et intellectus prudentia: in*

DEO fuisse ab ævo, i. e. omni tempore imaginabili.

10. *Effudit illum super omnia opera sua. Sapientia DEI effulget in omnibus, ubique illius vestigia deprehenduntur.*

16. *Concreatus est: secundum prædestinationem. Cum electis semini graditur: Aliqui legunt semi-nis: juxta quod Græce est σπέρματα. Reliqua non tam explicacionem, quam attentam lectionem desiderant.*

## CAPUT II.

**A**D patientiam nos hortatur, & constantiam in temptationibus; timorem DEI, & fiduciam in eum cum humilitate conjunquam commendat.

2. *Deprime cor tuum: Humilitas enim magnum est præsidium adversus ingruentes temptationes. In tempore obductionis: i. e. afflictionis,*

quo fortuna tua obducetur adversis.

3. *Crescat in novissimo vita tua: Fiat æterna.*

5. Homines receptibiles: accepti:  
grati. 15. Væ dissolutis corde: Remissis,  
& tepidis.  
14. Væ peccatoriterram ingredien-  
ti duabus viis: Secundum DEUM  
ad speciem, secundum sacerdotem  
reaple. 18. Non erunt incredibiles: Incre-  
duli.

## C A P U T     III.

**F**iliorum erga parentes officia; suavitatis, & humilitatis elo-  
gium, curiositas, atque temeritas inhibenda. Eleemosynæ  
virtus.

1. Filii sapientiae: qui estis Ec-  
clesia Sanctorum: quorum natio  
est obedientia: q. d. qui nati estis  
ad obediendum DEO.

3. DEUS honoravit Patrem in fi-  
liis: Contulit auctoritatem paren-  
tibus honorandam filiis, & ius ma-  
tris requirit, ut præstetur a filiis.

11. Benedicatio Patris firmat domos  
filiorum: i. e. familiam, & proge-  
niem.

21. Magna potentia DEI solius:  
Cui oportet subjici quam maxime.

22. Altiorate ne quaerieris: Ne va-  
ces superfluis rebus, atque men-  
tis tuæ vires excedentibus investi-  
gandis. Sufficiat tibi meditari le-  
gem DEI, & quod factu opus sit,  
ut illud expleas.

31. Cor sapientis intelligitur: Ex  
sermonum suorum sapientia intel-  
ligitur sapiens.

34. Et DEUS prospector est ejus:  
DEUS, qui remuneraturus est  
bona hominum opera, ea consi-  
derat, eorumque reminiscitur.

## C A P U T     IV.

**A**dhortatio ad Eleemosynam, liberalitatem, erga Superiores  
obseruantiam, humilitatem, veritatis, & justitiae amorem.

3. Non protrahas datum angustian-  
um: dicitur datum angustianti,  
quod illi debeatur lege charita-  
tis.

5. Et non relingas causam tibi  
maledicendi.

7. Presbytero: Seniori.

8. Declina aurem tuam:  
reddere debitum: quando præceptum  
eleemosynæ obligat.

13. Placorem ejus: suavitatem,  
laetitiam & pietatem.

17. Creaturae illius: Filii ejus  
participes erunt,

18. In primis eligit eum: Præcipue eligit probatum tentatione.

25. Est enim confusio adducens peccatum &c. Verecundia alia bona est, alia mala. Patres nonnulli pro hac confusione adducente peccatum eam intelligunt, quæ obest, ne quis animæ suæ vulnera per confessionem aperiat; & pro adducente gloriam, illum pudorem explicant, quo coercemur, ne malum faciamus.

26. Ne accipias faciem: Personam, contra conscientiam tuam.

27. In casu suo: peccato, cave, ne in hoc ei consentias.

31. Ne subjicias te omni homini pro peccato: sive, dum tibi svadet peccatum, ne obedias ei.

23. Ne conciris contra iustum fluvium: i. e. justitiae divinae, cui resistunt in peccatis obstinati.

## C A P U T V.

**I**Nculcat metum justum, & prudentem: dein constantiam in ditis, & fatis, reprehendit susurriones, & bilingues.

1. Ne dixeris: est mihi sufficiens vita, Sunt opes magnæ ad vivendum: quis non proderunt in tempore abductionis, mortis.

3. Quomodo potui: quam potens sum?

5. De propitiato peccato noli esse sine metu. Etli enim omnia præstis illse tibi videris, nescistamen, an odio, an amore dignus sis.

10. Noli anxius esse: & solitus de opibus terrenis acquirendis.

11. In duplice lingua: Qui modo idem laudat, alias vituperat.

16. Non appelleris susurro &c. Cura, ne habearis tanquam sator iurgiorum, neque struas unquam insidias lingua tua.

## C A P U T VI.

**P**Roponit conditiones, & leges veræ amicitiae: item quam ardua sit sapientia, & quanto studio prosequenda.

1. Noli fieri pro anima inimicus: Inconstantiam, & levitatem damnat in amicitia.

2. Non te extollas -- velut taurus: Arrogantiam detestare, noli præcateris insurgere, in omnibus vi-

ctor videri, sicut taurus in grege.

3. Et folia tua comedat &c. Fortunam tuam auferat.

4. Qui se habet: Qui habet animam peccatum.

12. Si humiliaverit se contra te: Si amicus te observat, & colit, si in omnibus tibi cedit, diuturna erit amicitia.

16. Amicus fidelis medicamentum vite. Nam sanis monitis, & consiliis a nobis amoliri studet, quæ nocumento, aut exitio esse possent.

22. Quasi lapidis virtus: i. e. pen-

dus: Probatio erit illis: sicut enim sustinens lapidem ponderosum abjicit illum, sic isti, quibus gravis est sapientia.

25. Injice pedem tuum in compedes illius: Ne verearis te fieri servum, & mancipium sapientia; hoc enim tibi erit ornamento, & praesidio.

28. Et continens factus: i. e. ubi apprehenderis eam.

## C A P U T VII.

**S**apiens docet mala fugere, rite se gerere erga DEUM, Sacerdotes, parentes, filios, amicos, potentes, infirmos.

3. In sulcis iniustiae: Sunt habitus vitiosi in agro cordis.

5. Et penes Regem noli videri sapiens: Sapiens non prohibet te sapientem esse, id quoque nec videri sapientem coram Rege; at prohibet te affectare, ut talis videaris, sapientiam tuam ostentans, alios de gradu suo deturbare cupiens.

6. Nisi valeas viriute irrumpere: auferre, extirpare iniquitates. Et ponas scandulum in agitate: Noli prensare officium publicum, nisi necessariis dotibus sis instructus.

13. Noli arare mendacium: maninari, configeres, fabricare dolos, & fraudes: Simile habes Osee 10.

15. Non iterus verbum: Noli esse verbosus coram senioribus, & ne idem repetas coram judicibus.

16. Non oderis laboriosa opera: Contemnendo vinitores & agrico-

las: hæc enim a DEO instituta sunt.

18. Memento iræ: Vindictæ divinæ.

20. Noli prævaricari in amicum pecuniam differentem. Ne pro pecunia debita ab amico amicitiae fœdus infringas, majori enim in pretio habenda est amicitia, quam aurum, & argentum.

22. Ne ledas - - mercenarium dantem animam suam. Qui vitam, valetudinem, & vires, ut tibi faleatur, impendit.

26. Non ostendas hilarem faciem: Nam & filii, & filiae severitate Patris cohibenda sunt.

33. Propurga te cum brachiis: ambabus manibus offer Sacrificia pro peccatis.

35. Initia Sanctorum: i. e. primicias DEO, templo, Sacerdotibus debitas,

37. *Gratia dati, omnibus gratia sunt munera.*

40. *Memorare novissimatus: Quæ peccabis.*

## C A P U T    V I I I .

**Q**uoniam nos gerere debeamus erga potentiores, verbosos, resipiscentes, iracundos, stolidos &c.

3. *Usque ad cor Regum extendit: Scilicet vim suam. Auro etiam Judices poteratissimi expugnantur.*

4. *Non litiges cum hominibus linguo: Loquax similis est igni succenso; illum aggredi, idem est, ac ligna in ignem congerere, oleum camino affundere.*

6. *Omnes in correptione sumus: Obnoxii correptioni, digni reprehensione, quia omnes peccavimus.*

8. *In gaudium nolumus venire: Aegre ferimus, si de morte nostra alii gaudeant.*

13. *Non incendas carbones peccatorum: In arguendo peccatore, cave,*

te in fine manent, mortem, iudicium, aternas poenas, aut gloriam cœlestem, & in aeternum non peccabis.

nimius sis, ne exasperes iratum; ne incendaris ne laceris ab eo.

15. *Noli fenerari: mutuum dare: fœnus enim aliquando in bonam partem accipitur in Scriptura. Quasi perditum habe: Quia a potentiore per violentiam recuperare non poteris.*

18. *Cum audace: Temerario, & feroce, non eas in via: ne forte gravet mala sua in te: ne iram aliunde conceptam vertat in te.*

21. *Coram extraneo ne facias confititum: secretum, vel occultandum. Nescis enim quid pariet: nescis, quid ex visis, vel auditis a te tanquam ex concepto semine apud se machinabitur, tandem suo tempore edet in tuam perniciem.*

## C A P U T    I X .

**C**avenda zelotypia, & non necessaria consortia mulierum: cavendum a novis amicis, præfertim potentibus, injustis, linguosis, temerariis.

1. *Non zeles mulierem finis tui: ne suspicax sis de uxore tua, ne hoc ipso eam doceas, quod suspicaris.*

2. *Ne des mulieri potestatem &c. ut dominetur tui, hoc enim proprio est marito.*

3. Ne respicias mulierem multivolum: Quæ multos vult, sive amat.

5. Virginem ne conspicias: ne forte ejus pulchritudo tibi sit occasio peccati: Huc pertinet illud S. August. oculi vestri etiamq; jacentur in aliquem, figantur in neminem.

7. Noli circumspicere in vicis civitatis, certo enim tibi sic otioso diabolus objicit materiam peccandi.

13. Et non alterceris. Potando

cum ea, & confubulando. Luxuriosa res vinum Proverb. 20.

17. Non placeat tibi injuria injustorum: ut eam inviteris.

20. Communionem mortis scito: Agens cum Principe tyranno communicat cum morte, & ambulat inter arma dolentium. i. e. iratorum.

24. In manu artificum: Artifices laudantur ex operibus manuum suarum.

## C A P U T X.

**Q**Uæ virtutes deceant, & quæ vitia dedeceant Judices, & Principes.

5. Super faciem Scribæ: Eruditus conferet auctoritatem.

10. Projectit intima sua. Tam difficulter quidquam elargitur, ac si viscera sua extraherentur ex corpore.

22. Non est creata hominum superbia: non decet per naturam.

24. In medio fratrum Rector illo-

rum: i. e. Primogenitus, talis est apud DEUM, qui timet eum.

28. Inscius, qui correptione non didicit sapere, non honorabitur.

31. Da illi honorem: Subjice animæ tuæ, sicut decet, carnem, & appetitum sensitivum.

32. Peccantem in animam suam: contra suam dignitatem, & honorem, quis justificabit? Quis de honore tuo sollicitus erit.

## C A P U T XI.

**D**E actibus, & effectibus modestie, & humilitatis, prudentiae, & discretionis, de fuga dolosi &c.

1. Humiliati exaltabit caput: Sapientia etiam humili loco natos exaltabit.

2. In visu suo. Ne spernas hominem, et si specie sit deformis,

5. Insuspicibilis portavit diadema. De quo nullus suspicatus fuisset eum ad tantos honores elevatumiri, ut contigit Mardonio post mortem Ammonis.

10. Si secutus, & sestatuſ fueris opes, non assequeris invito DEO; si autem præcurreris, neglexeris queas, incides in eas, si volet DEUS.

11. Dolens impius: contentioſe quarens.

16. Error *S* tenebra peccatoribus concreata ſunt: In ipſo actu peccaminoso peccator errorem ſibi gignit, & tenebras, quibus mens ejus excoecatur.

21. Sta in teſtamento tuo: in ſtatū, in quo es, in illo colloquere, converſare, progredere in rebus obligationis tuæ.

28. Quoniam facile eſt coram DEO *S*c. Nunquam ſpem deserere oportet, quin aliquando felices eile poſſimus; DEUS in extrema ſenectute favoribus ſuis cumulare nos potest.

39. Malitia horæ. Brevis, & ho- raria afflictio. Oblivionem facit lu- xurie. Deliciarum, & voluptatum quantumvis magnarum oblivio- nem inducit, maxime autem ho- ra mortis.

30. Ante mortem ne laudes homi- nem: Scil. finaliter, & absolute. Quoniam in filii ſuis: In operibus, quæ dicuntur hic ejus filii, uti & fructus Matth. 7. agnoscitur.

32. Sicut perdix inducitur in ca- veam: ut ſequaces alliciat; ita falſus amicus ſub dulci verborum melle decipit.

34. Augetur ſanguis: neces, & homicidia.

36. Admitte ad te alienigenam, *S* ubvertet te: Præſertim ſi alterius Religionis eſt.

## C A P U T XII.

**I**N eleemosyna facienda electio. Falso amici; ab inimico, quan- tumvis in gratiam reverſo, cavendum.

1. Scito cui feceris. Quia eleemosyna eſt virtus moralis, & dirigi- tur medio rationis.

6. Benefac humili, & ne dederis impio. Sapiens hoc loco non agit principaliter de largitione eleemosynarum, quæ dantur tan- tum intuitu egestatis, ſed & de beneficentia, quæ ad amicitiam re- fertur, & de iuſtitia diſtributiva, qua beneficia diſtribuuntur pro meritis, & dignitate personarum.

7. Nam duplicitia. i. e. multiplicia,

mala invenies: perdes nempe quod das, & noces ei, cui das, tibique periculum creas, cum malos bonis tuis roboras.

10. Sicut aeramentum, aeruginat nequitia illius: ut ærugo, ſic odia veteraſcendo crenſunt. Si recon- cilieris inimico pravi ingenii, iterum nocebit, ut in ære etiam purgato redit ærugo.

11. Si humiliatus zadat curvus: Si tibi ſupplicet humiliter, ne fi- das ei.

12. Inquirat cathedram tuam: Ne per fraudem, dignitatem, aut officium tibi erectum, occupet.

17. Invenies cum illic priorem,

quasi adjutorum, re ipsa autem nocitorum.

19. Caput suum movebis: insulatabit.

## C A P U T    X I I I .

**C**ave: la nimia familiaritas cum potentioribus, & impiis, amicitia sit inter pares moribus, & opibus.

2. Pondus super se solles, qui honestiori: Potentiori se communica, quod maxime in conjugiis locum habet.

4. Quid communicabit cacabus ad ollam? Quid commodi afferet olla fictili vas æneum? hoc nempe, quod si collidantur, cacabus confringet ollam, sic & dives amicum pauperem.

8. Confundet te in cibis suis: laudissime bis vel ter te excipiendo, ut sic te cogat vicem rependere, & similia sumptuosa convivia instruere, donec te extinxiat, & opes tuas omnes exhaustiat.

11. Noli esse humilis: Ne existima sapientiam esse, nimium se humiliare.

17. Quasi in somnis vide: Age, sicut qui somniat, se grave malum incurre, & statim evigilat.

22. Quæ communicatio homini ad canem? Ad caninum hominem, qualis est rixosus, iracundus, & gulosus; quasi dicat: nulla est communicatio bona.

25. Dives commotus: Annotus, & dejectus e statu suo.

32. Vestigium cordis boni: quæ est facies bona: vix invenies: quia fere semper triste aliquid occupat cor.

## C A P U T    X I V .

**D**E lapsu linguae: de vanitate, & malitia avaritiae.

1. Qui non est simulatus: Remors conscientia.

6. Et hac redditio malitia ipsius: Hæc iusta merces est, & pena iniusta, & sordida parsimonie avari, ut seipsum, frigore, fame &c. conficiat.

12. Demonstratum est tibi: instrumentum brevis mundi quod certo fit eventura mors: sed non quando, & quomodo.

14. Particula boni diei: occasio bene agendi, non te prætereat.

24. Qui respicit per fenebras illius:

Do-

Domo clausa innuit desiderium  
descendi sapientiam.

25. Qui requiescit juxta domum  
alius: Cui satis non est eam ad

tempus sequi, & obiter tantum  
intueri, sed qui statvit mansionem  
suam prope illam; hic infinita be-  
na reperiet.

## C A P U T   X V .

**T**imoris DEI, & veræ sapientiae fructus; liberum arbitrium  
asseritur, ideo peccata non DEO, sed homini adscribenda sunt,  
& imputanda.

2. Quasi mater honorificata: Seu  
mater familias, quæ sit primaria,  
& non concubina solummodo, seu  
uxor secundaria. Mulier a Virginite-  
tate. Quæ virgo ducta fuit.

3. Cibabit illum: seu nutrit hæc  
pia mater, pane vita, & intellectus:  
doctrina salutari.

6. Fecunditatem, & exultationem  
abesaurizabit. Conferet illi nomen  
æternum, & famam nunquam in-  
terituram.

8. Usque ad inspectionem: visio-  
nem DEI.

11. Non dixeris: per DEUM abest,  
mitti sapientia, quia non dat; da-  
bit autem si peccare cessaveris.

12. Ille me implanavit: Ne dicas,  
DEUS me determinavit ad ma-  
lum.

14. DEUS ab initio constituit ho-  
minem: At non peccatorem, sed li-  
berum ab omni peccato, ornatum  
gratia, & justitia, aliisque donis.  
Reliquum cum in manu consilii sui: de-  
dit illi liberum arbitrium sui.

18. Quod placuerit ei, dabitur illi:  
An posset certius, aut clarius ex-  
primi, aut magis graphicè depin-  
gi adversus hereticos arbitrium?

21. Nemini dedit spatium peccandi:  
ut peccaret, Græce: licentiam, im-  
punitatem.

## C A P U T   X V I .

**E**xhortatur parentes ad piam curam filiorum, propter vindi-  
ctam in impios; & DEI providentiam, ac sapientiam in di-  
spositione hujus universi.

5. Ab uno sensato inhabitabitur pa-  
tria: Crescente sole, impiorum  
vero integræ tribus cessant, male-  
dicente DEO.

8. Antiqui gigantes: Ante diluvium  
Gen. 6. Non exoraverunt pro pecca-  
tis suis: Non placaverunt DEUM  
sua virtute: suo robore & potentia.

11. *Sicut sexcenta millia Hebreorum rebellium perierunt; minus pepercisset uni, si pertinax fuisset.*

16. *Ex summo: Cœlo.*

17. *In populo magno non agnoscar: Noli dicere: DEUS in tanta populū multitudine non habet rationem Angelorum.*

22. *Longe est testamentum & quibusdam: DEI lex: attamen: in consummatione, morte, iudicio omnibus judicium imminet.*

26. *In iudicio DEI opera ejus: Creator omnia cum iudicio, sapientia, in pondere, & mensura disponit. Partes mundi nequa-*

*quam hunc ordinem sortitæ sunt fortuito, sed DEUS ita ea corpora collocavit, sicut hodie miramur.*

27. *Non esurierunt, quasi re aliqua indigentes, nec laboraverunt. Quasi fessi, vel impares oneri, aut inviti.*

28. *Proximum fibi non angustiabit: Nullus globus cœlestis alterum premit defectu spatii.*

31. *Anima omnis vitalis: sive ventis declarat, quare sapienter ornarit terram, & anima eadem revertitur in terram, moriendo: Per animam intellige potentias animales, & vitales.*

## C A P U T XVII.

**D**Escribit creationem hominis, ejusdem perfectionem: hortatur ad pœnitentiam, & laudem DEI.

2. *Et secundum se: secundum naturam ejus. Vestivit illum virtute: fortitudine, & robore tam corporis, quam animæ.*

7. *Posuit oculum suum: Divina providentia sue, & favoris, super corda: seu animas illorum. Implens eos gratia, & justitia originali.*

17. *Non sunt absconsa testamentum: Promissa DEI non sunt abolita propter peccata Israëlitarum.*

18. *Eleemosyna viri quasi signaculum: Eleemosynam DEUS in memoria retinebit tanquam sigillum.*

19. *Converte in interiores partes terræ: Ad inferos detrudet improbos.*

24. *In sorte propositionis: In vocatione tibi designata.*

25. *In partes sæculi sancti: Assume morem sæculi futuri, sive tempore Mellæ, sive in cœlesti vita, ubi DEUS laudatur semper.*

29. *In vanitate: vita præsentis: malitia: i. e. peccata. Placuerunt: Scil. homini, propter quod indiget magna misericordia DEI.*

CA-

## C A P U T   X V I I I .

**S**apiens hortatur ad beneficentiam, & miserationem, ad considerate loquendum; orationi instantum; ad pravas cupiditates resecandas.

1. *Creavis omnia simul*: Non similitate temporis, sed quod nihil nisi a DEO creatum sit.

6. *Cum quieteuerit*: a scrutando magnalia DEI: apropriabitur: anceps habebit.

7. *Quæ est gratia illius?* quæ utilitas, aut bonitas hominis.

15. *Fili, in bonis non des querelam*: beneficia eroganda sunt jucunde, hilariter, voce, & gestu.

18. *Datus indisciplinati*: donum avari tabescere facit oculos accipientis propter tardationem.

19. *Ante judicium para justitiam*: Præniditare, quid pro causa tua dicturus sis.

23. *Ante orationem prepara animam tuam*: Mentem collige ab

omnibus aliis negotiis, ut DEO vaces reverenter. *Quasi homo, qui tentat DEUM*: qui imparatus accedit, & quasi ad DEUM irruit, qui inutilia, aut indigna postulat.

24. *Memento iræ, & vindictæ divinæ* in die judicii, quando faciem avertet ab improbis.

32. *Non obleteris in turbis*: nec modice quidem: quia perpetuo colliduntur inter se, ut intervenire non possis absque periculo læsionis.

33. *Ne fueris mediocris*: Ne pauperias (mediocrem interpres pro paupere accipit) cave convivia sociis facere ex pecunia mutuo accepta cum onere præstandi fœnoris.

## C A P U T   X I X .

**S**apientis regule de continentia, sobrietate, parsimonia, & de vitiis oppositis; loquacitate, & detractione fugienda.

1. *Qui spernit modica &c.* Per minores enim culpas minitur horror ad majores.

2. *Vinum*: immodice sumptum, & mulieres fornicariæ, faciunt apotropa: a DEO deficere, etiam sapientes.

4. *Insuper habebitur*; despicietur.

5. *Denotabilius*: traducetur, reprehendetur.

8. *Amico, & inimico*: i. e. proniscue, & improvide noli tua arcana, aut etiani defectus aperire aliis.

9. *Custodiet ete.* Custodiet se a te, ration fidens tibi, & sic aderit ubi semper: instar amici, sed insincentius.

11. *A facie verbi parturit fatuus:* verbum stulto creditum erumpit, ut gemitus parienti; idque maxime cum quid audivit, statim profert.

12. *Sagitta infixa:* quam dicitur extrahere. Sic verbum in corde stulti: quia non quiescit, donec propalaverit.

13. *Sæpe fit commissio:* Prævaricatio, error, calunia.

14. *De locum timori altissimi.* Re-

prehendendo, cogitate etiam reprehensibilem coram DEO.

21. *Melior est homo, qui minuitur sapientia:* Simplex, & indoctus, quam qui abundat sensu, quam doctus, qui divinas leges ad sensum suum perversum exponit.

26. *Ex risu cognoscitur vir.* Cordis dispositio magis patet in facie, in qua omnes sensus vigent. Ex risu minio, aut petulantia cognoscitur stultus.

27. *Amictus corporis &c.* Ex vestitu, visu, & incessu hominis de illius moribus, & ingenio conjectura fieri potest.

## C A P U T   X X .

**D**E vitiis, & virtutibus lingue. De cavendis muneri-  
bus.

3. *Sic qui facit per vim iudicium iugum:* Hunc comparat spadoni corruptenti virginem suæ custodice commissam.

4. *Effugies voluntarium peccatum.* Ostendes peccatum non fuisse plene voluntarium.

9. *Est processio in malis:* lætus successus, & res inventa interdum nocet.

12. *Restituens ea in septuplum:* avarus querit magnum lucrum modico sumptu, sed cogitur septuplo plus expendere, quam si liberalis fuisset.

14. *Oculi ejus septemplices sunt.* Septuplo plus expectat, quam largiatur.

18. *Falsa lingue sunt: adulatores.*

19. *Neque - - directo sensu distribuit.* Non prudenter: nescit enim quando parce, & quando liberanter dandum sit.

20. *Quasi qui in pavimento cadens:* Falsiloqui excidium subitum est, imminens, & melius est cadere ex summitate aridum usque ad pavimentum, quam labi lingua.

21. *Homo acharis, quasi fabula vanus.* Homo insolitus, & importunus, erit sicut fabula intempestive proposita cum tædio audiendum.

23. *In requie sua stimulabitur.* Delibit, & cruciabitur, quæ præ inopia peccare non possit.

24. *Ab*

24. *Ab imprudenti persona perdetur*: Animam, quia resistere non audet homini improbo, consentit ei turpiter.

25. *Licratus est inimicum*: quem

offendit, si velit resilire a promissione inconsulta.

30. *Inaltabit acervum*: augebit, accumulabit.

## C A P U T   X X I .

**C**Avendum a peccandi consuetudine, ab omni superbia, immo-destia, & procacitate in verbis, gestu, & moribus.

2. *Si accederis ad illa*: per con-sensem, suscipient te involvendo, & ligando per actum, & consuetu-dinem.

5. *Objurgatio, & injuria*. Qui per avaritiam, fas, & nefas volun-tant ditescere, depauperabuntur.

7. *Vestigium est peccatoris*: Signum & indicium est hominis perversi

8. *Notus a longe*: ubique infamis est, qui audacter est loquax, sa-piens novit eum vitare.

11. *Via peccatorum complanata*: jucunda, sensui grata, ampla.

15. *Ubi est amaritudo*. Ubi est amaritudo passionum, ibi non est sensus, seu intelligentia in bono.

19. *Narratio fatui, quasi sarcina in via*: molesta & onerosa.

21. *Tanquam domus exterminata*: Evacuata, in qua nihil ornatus.

*Inenarrabilia verba*: quia non cohæ-rent, sine capite & cauda.

22. *Compeditus pedibus*: Impe-ditur enim per doctrinam, ut non posse agere juxta stultitiam suam.

25. *Homo peritus confundetur*. Verecundabitur ingredi ad poten-tem.

27. *Stultitia hominis auscultare por- osium*. Impoliti, & male instituti hominis nota est, per januz ri-mas loquentium sermones excipere. Vir sapiens in hoc scelus non impinget.

30. *Dum maledicit impius diabolum*, maledicit ipse animam suam: Diabolus hic accipitur in prima-tia sua significatione pro calumniatore. Sensus igitur est: Impius dum execratur calumniatores, se-ipsum execratur, quia de eorum numero est.

## C A P U T   X X I I .

**P**iger ab omnibus spernitur; liberi male instituti; quæ vicia violent amicitiam, de lingua.

1. *In lapide luto lapidatus est pi-ger*: Ab omnibus exsibilabitur, & odio habebitur.

3. *Filia autem in deminoratione erit*: Immodesta filia contemne-tur, & familiam evertet.

5. Patrem & virum confundet audax. Mulier effracta frontis Patrem, & maritum dedecore afficit.

6. Musca in luctu &c. Sicut haec ingrata est; ita sermo intempestivus, et si per se bonus, tamen ingratus est, & inutilis.

8. Quasi qui excitat dormientem de gravi sonno, de lethargo, in quem statim iterum relabitur.

12. Nequissimi vita: magis lugenda, quam mors.

17. Super plumbum quid gravatur: Gravis est, & onerosus fatuus sicut plumbum.

19. Loramentum: Lignum, quod ad continendos parietes in medio structaraz ponitur.

23. Omni tempore non metuit: non sic metuet sapiens omni tempore sicut stultus. Sic & qui in praeceptis permanet: Quia per observantiam mandatorum DEI firmatur

contra malorum omnium metum.

24. Qui pungit cor, profert sensum. Intellectum elicit, & salutarem timorem exprimit, qui a Spiritu S. exprimitur.

26. Ad amicum est produxeris gladium, ut eum ferias, primo impetu; adhuc dabit veniam deprecanti.

27. Excepto convito, & improposito &c. Haec in amicitia non condonantur, quia deliberatam voluntatem, & cor depravatum indicant.

30. Ante ignem canini vapor: Ut fumus est naturalis effectus ignis; ita vulnera, cædes, sunt effectus rixarum, ideoque cavenda inter amicos.

32. Omnis, qui audiet: Haec quæ dixi, quæ nempe soveant, quæve destruant amicitiam, cavebit se ab eo: ab omni occasione lacerdi eam, vel perdendi.

## C A P U T    XXIII.

**O**RATIO AD DEUM pro vera sapientia obtainenda; lingue virtutia cavenda, libidines fugienda.

2. Quis superpones in cogitatione meo flagello? Petit, ut cogitationes suæ dirigantur sapientia, & si aliquando deflectant a vero tramite, castigentur, revocentur flagello doctrinæ, & sapientiae.

4. In cogitare illorum. In voluntate inimicorum ne relinquas me.

6. Auster a me ventris concupiscentiam:

gulam, quia ministrat luxuriaræ materiam. *Anima irreverentia, & infirmitas:* Non finas animum meum incidere in irreverentiam, seu imprudentiam, & insipientiam.

10. Non eris immunis ab eis: Sapere loquendo sine reverentia de rebus sacris, non eris immunis a peccato.

11. *Servus interrogatus. In tortu-  
ra loquitur ea, quæ sibi flagra pa-  
riant.*

13. *Si frustraverit: non imple-  
ndo juramentum. Si dissimulaverit:  
non expiando peccatum legaliter  
oblato Sacrificio, peccabit insu-  
per, adeoque dupliciter.*

15. *Loguela contraria morti: ex-  
pianda morte: putatur esse blas-  
phemia.*

18. *In medio enim magnatorum*

*confissis. Licet fueris exaltatus, non  
te pudeat tenuitatis parentum.*

22. *Anima calida &c. describit  
luxuriosum.*

27. *Hujusmodi hominis timor: quo  
timet hominum oculos, expellit  
timorem DEI. Oculi hominum ti-  
mentes eum: timere eum faciunt.  
Grace est: Oculi hominum sunt ti-  
mor ipsius.*

32. *Statuens hereditatem &c. Spu-  
rium faciet heredem.*

## C A P U T   XXIV.

**L**aus sapientiae, origo ejus, opera, & fructus.

1. *Sapientia laudabit. Introduci-  
etur per prosopopœiam sapientia  
de se loquens.*

5. *Ego ex ore altissimi prodigi. Ex  
intelliciu, & mente divina velut  
verbum ejus prodigi ab aeterno  
mentis divinae proles, & partus.*

6. *Ego fici in cœli, ut oriretur lu-  
men invidescens. Lux quæ initio  
mundi creata est, & aucta quarto  
die, cum sol factus est. Sicut ne-  
bula texi omnem terram: hoc est quod  
dicitur Gen. 1. Cap. tenebra erant  
super faciem abyssi.*

7. *Ego in altissimis habito. Dispo-  
nendo cœlum empyreum, quod  
factum, statim repletum fuit an-  
gelis.*

8. *Gyrum cœli circuivi sola. Mihi  
soli nota sunt, quaecunque cœli,  
& terræ, & maris, ambitu con-  
tinentur.*

10. *In omni gente: ubique pri-  
matum seu supremum principatum  
babui.*

11. *Omnium excelsorum, Omnes,  
tam parvi, quam magni Divinæ  
sapientiae subjacent. In hereditate  
Domini: In populo fidelis, qui est  
peculium, hereditas, Ecclesia Do-  
mini. Morabor; morari opto, &  
gestio.*

12. *Tunc præcepit, & dixit mihi  
creator omnium. Explicat sapientia,  
quodnam sit munus suum, & de  
se ipsa Poëtice loquitur, quasi de  
persona distincta a DEO, facit  
que se quasi ministram DEI, cum  
tamen sit ipse DEUS.*

13. *In Jacob inhabita. Indicatur  
filium DEI incarnandum de semi-  
ne Jacob, quæ est hereditas  
DEI.*

15. *Et sic in Sion firmata sum. Ibi  
se.*

**33.** sedem fixi, sic ministrans in Ierusalem, & maxime in Ecclesia.  
**16.** In plenitudine Sanctorum. In congregatione eorum detentio mea: manlio per gratiam.

**21.** Vaporavi habitationem meam. Odore eam replevi, & gentem meam Israël. **Sicut Libanus:** h. e. thus non incisum, quod scil. ex eadem incisura velut lacryma fluit, ut posterius priori iam durato jungatur.

**32.** Hac omnia liber vita. S. Scriptura continet, in qua etiam representantur foedera DEI cum hominibus, quæ scripsit Moyses, ut essent Israëlitæ pro hereditate, continentia promissiones DEI.

**34.** Posuit David pueru suo. Ornavit, promisit Davidi, ut is excitaret, ac pareret Regem, Nesciam.

**35.** Sicut Tygris in diebus novorum. Mensurae verborum, dum abundat aqua recurrentibus de montibus ex nivibus resolutis.

**36.** Qui implet - - sensum. Sapientiam.

**37.** Assens quasi Gehon: Præsto adstante quasi Nilus cum copia aquarum. In die vindemia: Instar Nili tempore æstatis.

**41.** Ego quasi trames: i. e. fossiles rivus, seu fossa manu facta, in quanti, & per quanti derivantur aquæ immensa fluvii cœlestis; nempe immeensa, & inexhausta sapientia DEI. Ita mox se explicat Author cum subdit, Ego quasi fluviis am Djoryx: i. e. aquæ - duetus: rivus, canalis, fossa a magno illo fluvio prædicti cœlestis, i. e. a DEO deducta.

**42.** Rigabo horum meum. Animam fidem, & Ecclesiam meam.

**44.** Quasi antelucanum illumino: doctrinam tanquam lucem matutinam affero. Usque ad longinquum ad finem saeculi, & ad fines terræ.

**45.** Omnes dormientes. Mortuos excito, & judicabo.

**46.** Usque in ævum sanctum. Usque ad vitam æternam.

## C A P U T   X X V .

**T**RIA, quæ placent sapientiæ, & tria quæ displicant. Decem beatitudines, detestatio nequitia mulierum.

**9.** Novum inspicabitis. Quæ nemo facile putat tanti esse facienda. Dicam in lingua hominibus: i. e. alta voce.

**10.** Qui vivens videt submersiōnem

inimicorum: Nempe impiorum, qui simul sunt hostes DEI. Moraliter: viorum, quæ sunt spirituales hostes nostri.

14. *Super omnia se superposuit:*  
Super omnia eminet.

17. *Omnis plaga tristitia est.* Tri-  
stitia animi est plagarum maxima.  
Hoc videtur esse decimum, quod  
exaggerate voluit proponere.

18. *Et omnem plagam, & non pla-  
gam videbit.* Nullam illarum mere-  
ri nomen plagæ præter tristitiam  
animi: qualis est vernis conscienc-  
tiæ. Sic nullam esse nequitiam,  
respectu nequitia mulieris: Nullum  
obductum, quo intelligitur cumulus  
malorum ingruentium, quo ob-  
ducimur, & mergimur quodam-  
modo. Hujusmodi impetum ma-  
ximum dicit, qui ab odientibus  
provenit; forte insinuat odium  
DEI in damnatos: quod & de  
vindicta intellige, quæ maxima est  
DEI punientis æternum. Mulier  
autem tam mala videtur esse insi-  
delitas, vel concupiscentia carnis,

oculorum, & superbia vitæ: sive  
universum philautia, malorum o-  
mnium origo.

22. *Caput colubri:* est superbia  
Luciferi.

24. *Nequitia mulieris immutat fa-  
ciem ejus:* Græce αὐτῆς suam: tri-  
stiam, fævitiamque induit, &  
sacco mœroris, quasi pœnitudinis  
obnubilat se.

25. *Spiravit modicum:* quia dis-  
simulare cogitur doloreni.

26. *Sors peccatorum.* Græce: pec-  
catoris: obveniat viro nequam, qui  
talem est meritus.

32. *Quæ non beatificat virum:* quæ  
nocet, & miserum facit.

34. *Non des aqua tua exitum:* Si-  
cut hæc per rimulam minutam  
paulatim tota effluit, ita mulier  
paulatim tota perditur.

36. *Abscinde illam:* Per libellum  
repudii, quod olim licuit.

## C A P U T   XXVI.

**C**ommendatur mulier sensata, & prudens: vituperatur zelo-  
typa. Et alia quedam vitia reprehenduntur.

5. *A tribus timuit cor meum:* 1.  
odium civitatis. 2. populi ira, &  
seditio. 3. Calumnia. Verum quar-  
ta res præ his omnibus est terri-  
biliar: mulier zelotypa.

6. *Delaturam civitatis:* Cum in-  
juste civitas tota sceleris alicujus  
redarguitur.

7. *Calumniam mendacem super mor-  
tem.* i. e post mortem.

9. *Omnibus communicans:* Garru-

la enim omnibus obviis sua pro-  
fert.

13. *Quod moveatur:* male adhæret  
collio bovis.

13. *Non avertente se:* nec decli-  
nante a viris: Ne utatur se, corpo-  
re suo in abusum.

15. *Sicut viator -- contra omnem  
palum sedebit:* Palum vocat, ad quem  
viatores figebant tentoria. De re-  
turpi loquitur honeste per allego-  
rias

rias more Hebreorum, ut scortationis opprobrium describat.

22. *Super etatem fibilem:* Forma, & virtus per etatem constans similis est lumini super candelabrum sanctuarii.

26. *Vir bellator deficiens per inopia:* Virio Principis curam non habentis.

28. *Difficile exuitur negotians negligientia Legis Divinæ, & studio perfectionis raro emendatur.*

## C A P U T   X X V I I .

**A**Varitia multorum malorum causa; lingua regenda; amicorum arcana non detegenda.

1. Propter inopiam multi deliquerunt: mendaciis, fraudibus, furto, feminæ etiam vulgando corpus. Avertit oculum suum a lege Divina.

2. *Sicut in medio compaginis lapidum:* Sicut palus in medio congerici lapidum fixus hinc inde pondere lapidum comprimitur; ita fieri vix potest, ut a venditore & emptore separetur iniquitas.

5. *Sic aporia hominis:* mœstitiaque remanet, dum animo perturbato cogitat ea, quæ passus sit; bone autem cogitationes avolant, velut per cibrum excusæ.

7. *Sic verbum ex cogitatu cordis:* Quasi fructus cordis testatur de cogitatione.

9. *Indues quasi poderem honoris:* Vestem usque ad pedes demissam, vestem talarem, quæ te honester, & omni ex parte foveat, ac tegat: In die agnitionis: judicii.

15. *Horripilationem capiti statuet:* audienti capilli erigentur.

19. *Non persecueris post eum:* quia fugiet a te.

23. *Maledicti est concordatio:* venia facilior, quam producti secreti.

25. *Annuens oculo fabricat iniqua.* Inimicus eo est perniciosior, & quo magis gratificari, & placere velle se jactat.

29. *Dividet vulnera:* Seipsum simul vulnerabit.

## C A P U T   X X V I I I .

**N**On expetenda vindicta, sed offensa remittenda: lingua re frenanda, aures sepienda.

1. *Qui vindicari vult:* seu vindictam querit, is vicissim a Domino vindictam inveniet, pro suis delictis.

9. *Despice ignorantiam:* parvipende, dissimula.

12. *Secundum substantiam suam extalabit iram.* Quia ditiores super bio-

biores, iracundiores esse solent.

13. *Lingua testificans* (Supple : præpropere, & incircumspecte) adducit mortem: causa est mortis.

16. *Lingua tertia &c.* Quæ inter amicos tertiam se ingerit.

19. *Mulieres viratas*: Fortes, quæ masculo sunt animo.

25. *Mors illius*: quam adferr calumniator, est calamitosior quavis alia.

## C A P U T   XXIX.

**D**E mutuo, de eleemosyna, de fidejussione, de peregrinis, & hospitibus.

1. *Qui prævaleret manu ad benefaciendum, servat & alia mandata.*

2. *Fanerare*: Da mutuum; Et si accepisti mutuum, redde.

11. *Non trahas illum*: differendo ipsi dare, quem miserum, & humilem conspexeris.

19. *Qui perdididerit confusione*: Et non tangitur pudore, deseret illum.

20. *Dedit pro te animam suam*: Se ipsum tui juvanti causa periculo exposuit, cum pro te fide-jussit.

24. *Repromissio nequissima*: nequiter frustrata; multos perdidit dirigentes: recte agentes, feliciter præmoventes. Græce *divites*.

28. *Initium vite hominis aqua & panis*: Paucis contenta est natura, nempe duabus rebus ad victum, scil. *aqua & pane*: & duabus ad vestitum, puta ueste non elegante, sed honesta, & domo, seu rugario, protegente turpitudinem: i. e. tegente ea, quorum nos pudet apud alios.

30. *Vita negquam*; infelix eorum conditio, qui hospitii, vel convivii causa transire coguntur de domo in domum.

34. *Exi a facie honoris*: Cede loco, ut postim excipere honoratores te. Haec graviter affligunt hospitem, si cogatur audire.

## C A P U T   XXX.

**S**Apientis regulæ de liberorum institutione; de tuenda valetudine, de lætitia cordis, & bonæ bonscientiæ; de continentia, & ciborum delectu.

1. *Ut non palperet proximorum ostia*. Ne sit inops & vagus: non ostia- tim mendiceret:

7. *Pro animabus filiorum colligabit vulnera*: Pro filiis bene, pro beque instituendis acriter depu-

**gnabit, & si sit opus, libenter ex-  
cipiet vulnera.**

11. *Ne despicias cogitatus illius:*  
**Considera, quid animo volvat.**

13. *Operare in illo:* Da operam  
illi bene instituendo. *Ne in turpi-  
tudinem illius offendas.* Ne turpes  
eius mores tibi probro vertant.

18. *Bona abscondita in ore clauso:*

**Si quis vesci non possit propter  
morbos, ejus opes sunt sicut epu-  
lae positaæ in sepulchris, quibus  
non vescuntur mortui, sed viven-  
tes pauperes.**

27. *Splendidum cor:* Liberale &  
lætum se oblectat honeste per e-  
pulas, quæ non sunt avaræ ac te-  
naces.

## C A P U T   X X X I .

**D**E contemptu divitiarum: de vera honestate: de temperan-  
tia, & discretione.

1. *Vigilia honestatis:* nimia cura  
opum: Græce enim est πλεγή, ho-  
noratiores enim censemunt divites,

2. *Cogitatus præscientia:* Solici-  
tudo futurorum, quibus exercen-  
tur avari. *Sobriam facit animam i.  
e. vigilanteum.*

3. *In requies sua:* Diviti affluunt  
opes, et si non laboret, pauper  
manet qui est.

5. *Consumptionem:* Corruptio-  
nem diæ φορέav.

6. *Multi dati sunt in auri casus:*  
Inciderunt in miserias divitium.

7. *Aurum sacrificantium.* Quod  
avari cupiditati lux sacrificant,  
tanquam idolo.

14. *Malus est oculus nequam:* aya-  
ri, qui dolet, si convivæ liberius  
epulentur.

17. *Ne comprimaris in convivio.*  
Ne festines cibos ex lance sume-  
re, ut quasi alterum velis exclu-  
dere, qui propter te locum non  
reperiat.

25. *Si coactus fueris edere, surge,  
& evome:* potius quam infirmeris.  
Sic Medici suadent. Mystice Ra-  
banus, evome per confessionem,  
quæcunque conscientiam gravanc.

28. *Splendidum in panibus:* Eum  
qui liberaliter tractat.

29. *Nequissimo in pane murmurab-  
it civitas.* Sordidus in convivio  
conteminetur, & in risum, ac fa-  
bulam traducetur.

42. *Non premas illum in repetendo:*  
In repetendo debito, aut promis-  
so, vel æqualis haustus, potatio-  
nibus illum urgendo.

C A-

## C A P U T    XXXII.

**R**EQUISITA ad bonum regimen, & convivium; major natu loquatur, juniores audiant; caute agendum in omnibus.

1. Rectorem te posuerunt &c. Præsidem convivii, quod olim per fortis fiebat; ne abutere parvula hac & perfundatoria dignitate.

5. Non impediās musicam, quæ est condimentum ciborum.

1. Age conceptiones tuas: negotia tua.

19. Qui insidiosè agit: Quarens capere Doctorem in verbo, sicut Pharisæi faciebant Christo.

Scandalizabitur in ea: Tales enim insidiæ sunt sibi causa ruinæ.

21. Peccator - - inveniet compariationem: Pro sua defensione exemplum similium hominum; varios prætextus, & excusationes.

22. Non pertimescat timorem: ubi metuendum esset, non metuet.

27. Crede ex fide. Procede juxta conscientiam tuam.

## C A P U T    XXXIII.

**D**Ivina sapientia alios erigit, alios deprimit, idque justo iudicio. Vir sapiens non filio, non uxori, non cui-vis homini se imprudenter subdat, & rite tractet servum, & familiam suam.

4. Qui interrogationem manifestat. Qui quæstionem oblatam solvere cogitat, præparare responsonem debet, petendo lumen a DEO, & simul procedendo juxta disciplinarum naturalium principia.

6. Amicus subsannator, & fictus, tam diu obsequitur alteri, quam diu suam utilitatem invenit; alioquin omnia legis, & amicitiae jura perfringeret.

8. A Domini scientia separati sunt. Ordinante DEO tempus unum præ altero DEI cultui destinata-

tum est, sic & homines omnes de terra sunt, variis tamen statibus distributi.

16. Ego novissimus evigilavi. Post omnes hagiographos veteris testamenti (exceptis libris Machabæorum) cœpi scribere.

30. Non amplifices super omnem carnem: ne quid nimium, & impossibile jubeas, nec æquo plus sà vias.

31. In sanguine animæ comparasti cum: Periculo vita tuæ; loquitur de servis belli captis.

## C A P U T    X X X I V .

**S**Apientis monita de spe , de vanitate somniorum, & divinationum; de mercede pauperum non fraudanda.

3. *Hoc secundum hoc : Somnium est similitudo unius ad alterum ; sicut species hominis appareat in speculo ante faciem hominis , & tamen ibi homo non est.*

10. *Qui in multis factus est. Videatur legendum , qui in multis falsus fuit , seu deceptus.*

11. *Qui implanatus est : deceptus, abundabit nequitia : cognitione nequitia , seu callidus erit.*

30. *Qui baptizatur a mortuo &c. Qui purificatur secundum legem propter contactum cadaveris.*

## C A P U T    X X X V .

**D**E Religionis virtute , & Sacrificio DEI grato ; de viduis , pupillis , pauperibus non opprimendis.

2. *Qui consecrat legem , multiplicat oblationem : Qui fideliter servat mandata, perfectius colit DEUM , quam qui victimarum multitudine illum honorat.*

12. *Non accipiet Dominus personam*

*in pauperem : contra pauperem : Dives , qui laxit pauperem , non placabit DEUM donis suis.*

24. *Secundum opera : i. e. cuiuscunque hominis.*

## C A P U T    X X X VI .

**O**Rat pro Judæis , & gentilibus , ut bi ad DEUM convertantur , illi ab hostiis protegantur. Monet , ne in credendo cuique nimis faciles simus ; laudat uxores bonas.

10. *Festina tempus & memento finis. Græcus habet: Accelerat tempus , & memento ire : perfice opus tuum , ultiōnem tuam exple : Vel , memento finis , quem imponere debes malis nostris.*

16. *Reple Sion: Da signa præ-*

*sentia tua in Sion ut olim ; neque populus tuus ultra sit in opprobrium.*

21. *Fauces contingunt: ac discernunt cibos feruntur; sic sapiens intelligit hostium nequitiam.*

23. *Omnem masculum excipiet mulier.*

*lier.* Non multum examinant puer-  
lix, quibus viris nubant. Sed vi-  
ro prudenti diligenter examinan-  
dum est, qualem ducat uxorem;  
nam una *filia* longe *melior* est, alia  
*filia*.

25. *Si est lingua curationis:* Si  
mulier prudenter loquitur, & le-  
nit affectuum impetum in marito,

mœrori modum adfert; ejus felici-  
tas omnem aliorum hominum  
transcendit.

28. *Qui non habet nidum:* Vir ille,  
qui uxorem non haberet, & quem  
conjugium in certa sede non con-  
tineret, putabatur parum castus,  
& frugi.

## C A P U T     XXXVII.

**N**ON cum hypocritis, seu fictis amicis, sed cum sinceris &  
candidis viris consultandum.

5. *Contra hostem accipiet scurrum:*  
non amicitiae causa, sed, ne a  
mensa excludatur.

9. *A consiliario:* Scil. infideli,  
serva animam: cave tibi. Scito, qua-  
si illius necessitas: Eo enim fere di-  
riget consilium, ut suis necessita-  
tibus consulat.

10. *Ne mittat fidem in terram:*  
Parans tibi offendiculum.

21. *Verbum nequam:* Consilium  
malum. Animæ sue inutilis est: quia  
non facit, quæ suadet.

30. *Tenta animam tuam:* Expla-  
ra, examina, quinam sint illius  
affectiones, & propensiones. Si fue-  
rit nequam: ad malum te pertra-  
hens. Non des illi potestatem: coē-  
re, & a malo prohibe.

## C A P U T     XXXVIII.

**C**ommendat medicos, & medicinam: quomodo mortuos lugere  
oporteat. Laudat artes, & agriculturam; sed sapientiam  
super omnes artifices.

1. *Honora medicum:* non solum  
reverentia ei exhibita, sed & ju-  
sta mercede prestata. *Etenim il-*  
*lum creavit altissimus: DEUS* artis  
medicæ auctor est.

16. *In mortuum produc lacrymas:*  
In funere cognatorum funde la-  
crymas, & vota, precesque adde.

17. *Propter dolaturam:* Propter  
dictaria hominum, reprehenden-  
tiom si non lugeas; modice tamen  
lugendum, ne valetudini obsis.

20. *In abductione permanet tristi-*  
*tia:* in avulsione a cogitatione la-  
cta, & confortio jucundo, unde me-  
lancholia, & morbi nascuntur.

31. *Cor suum dabit in consummationem &c.* Animum ad opus absolvendum applicat, & diligenter studet in opere perficiendo, & poliendo.

39. *Creaturam avi confirmabunt:*

Necessaria virt<sup>e</sup>, quæ natura non omnia præbet, suis artibus supplebunt: accomodantes tamen animam suam ad legem DEI; quia isti amplius, & rectius vivere solent.

## C A P U T    XXXIX.

**S**TUDIOSI, & sapientis viri officium describit; docetque DEUM in omnibus tum beneficentie, tum vindictæ operibus perpetuo laudandum, ac benedicendum.

4. *In medio Magnatorum ministrari:* Sapientia enim aditum præbet ad aulas, & gratiam Regum, & Principum.

15. *Si permanferit, nomen derelinquet plus quam mille.* Si diu vixerit sapiens, egregiam nominis celebritatem sibi comparabit, ac maiorem, quam alii mille simul.

17. *In voce dicit: Scil. spiritus ingerit militi, ut dicam clamando: audite me divini fructus: germina DEI, Istraëlitæ.*

22. *In verbo ejus fletit aqua: Languitur de eo, quod in mari rubro, & Jordanis transitu evenit.*

28. *Sic ira ipsius gentes - - barebit: Possidebit, & puniet, seu faciet gentes hæreditare iram suam*

29. *Et via illius viis illorum directa sunt: Sicut DEUS in mari ru-*

b<sup>r</sup>o Istraëlitis itinerantibus direxit vias; sic peccatoribus paravit ibidem interitum.

31. *Initium necessariae rei vita: Præcipue necessaria sunt ad vitam ducentam, aqua, ignis &c. quæ omnia bonis in bonum, malis in malum cedent.*

34. *Effundent virtutem: Exerent vinn, & potentiam suam. Furorem placabunt: Cum enim vindicta de peccatis sumitur, dicitur placari furor DEI.*

37. *In mandatis ejus epulabuntur. Græce: exultabunt: Creaturæ illæ ultrices, quod voluntatem DEI exequi possint.*

40. *Non est dicere hoc, illo nequius est: Ea, quæ maxime perniciosa videntur, suo tempore utilia invenientur.*

## C A P U T    XL.

**D**E miseriis bujus vitæ, quæ peccatum subsecutæ sunt.

2. *Ad inventio expectationis: Co- gitant solliciti; quæ sint futura,*

& mors ipsa qualis, & quando eventura.

5. *Somnus noctis immutat scientiam ejus: Cum quietem capere per noctem vult, solicitudines illiciunt mentem perturbant.*

7. *Conturbatus est in visu cordis sui: Terretur somniis, quasi patet retur insectationes hostium: cumque expurgescitur, vider se pericolo caruisse.*

8. *Cum omni carne: Eveniunt haec pecudibus, & hominibus, maxime iis, qui conscientia peccatorum cruciantur.*

14. *In aperiendo manus suas: i.e. modicum letabitur & mox perit aeterna morte.*

15. *Super cacumina Petre sonant. Improbi sunt velut arbor in rupe consita, quæ nunquam ramos latius emitter, nec fructum feret.*

17. *Gratia sicut Paradisus: Vita sancta, DEO hominibusque grata.*

19. *Fili, Et edificatio civitatis Eccl. Hæc nomen propagant ad*

*posteros; maxime autem mulier sancta filios bonos educans.*

23. *Super utroque mulier cum viro: Magnus est duorum amicorum consensus; at inter virum, & mulierem longe major.*

25. *Argentum, Et aurum est constitutio pedum: Firmat statum hominis.*

28. *Super omnem gloriam: temporalem. Operuerunt illum: Scil. benedictiones DEI operiunt timentes Dominum.*

29. *Melius est enim mori, quam indigere. Auctor de mendicitate loquitur juxta conceptum, qui de illa vigebat in natione ipsius, ubi tanquam DEI maledictio censebatur.*

32. *In ore imprudentis: Grace: impudentis, concubabitur inopia. Dulcis erit vita mendica. In ventre ignis ardebit: Famis, viscera depascentis.*

## CAPUT XLI.

**S**Apientie monita de morte, bono nomine: quibus grata sit, aut amara mors: famæ quomodo consulendum; Et de quibus sit erubescendum.

3. *O mors! bonum est judicium tuum! Homini justo.*

4. *Incredibili: dissidenti, qui potentiam perdit, & melioris sortis exspectationem.*

7. *Non est in inferno accusatio vite: Post mortem neimo dolet, quod*

*non diu, sed quod non bene vixerit.*

14. *Luctus hominum in corpore ipsorum: Cadaveri defuncti impenditur luctus; porro eorum memoria non durat.*

19. Reveremini in his. Pudeat vos facere ea, quæ mox dicturus sum.

21. Erubescite a Patre, & Matre cuiuslibet flagitiosi, obscenique facinoris.

24. De veritate DEI: Pudeat de mendacio in contractibus juratis. De discubitu: innixum esse cubitis

in mensa, quod rusticitatem olet, & contemptum ciborum. Frides, & obscurationes ingerere circa datum & acceptum.

25. A salutantibus de silentio: Turpe est, non resalutare salutantes: respicere mulierem forniciariam fixius, aut alterius thori consortem.

## C A P U T   X L I I .

**S**Apientis signa, & altus: non revelare aliena secreta, rem familiarem curare, Virginem custodire, cavere mulierum consortia; DEI opera inenarrabilia mirari, & laudare.

1. Non duplices sermonem auditus. Ne repetas sermonem sub secreto auditum in illius personæ gratiam.

2. De lege altissimi: Non pudeat te profiteri legem DEI: nec vi- tioso pudore adigaris, ut impium pronuncies justum.

3. De verbo sociorum: Noli con- tra peregrinum pronunciare sen- tentiam pro amico, aut socio; nec in divisione hæreditatis faveas uni præ alio ex pudore.

6. Super mulierem nequam bonum est signum: Res obsignandæ adver- sus mulierem rapacem.

7. Ubi manus multæ: quæ furari possunt, claudere.

14. Melior est iniquitas viri &c. Præstat virum habere inimicum, quam amicam mulierem. Illius odium minus perniciosum est, quam hujus suavitas, & blanditiæ.

23. Tanquam scintilla sunt omnia creata, quæ consideranda sunt ad ejus magnitudinem cognoscendam.

25. Omnia duplicita, unum contra unum: Quodlibet habet contrarium suum, unum alteri opponitur, & nullum ex operibus DEI ulli defectui obnoxium est.

CA-

## C A P U T    X L I I I .

**L**Audatur DEUS ab operibus; omni laude major est.

1. Altitudinis firmamentum pulchritudo ejus est: In firmamento maxime elucet pulchritudo operum DEI, in quo & ejus gloria videatur.

2. Annuncians in exitu: Dum Sol oritur, & nos aspicere incipit, monetque esse repetendos labores, est opus mirabile.

4. Tripliciter exurens montes; vehementissime.

5. In sermonibus ejus: iussu DEI.

7. Signum dici festi: Neomenix.

8. Mensis secundum nomen ejus est: Sortitur nomen suum a Luna. Nam & in genere nomen Hebraicum יְהוָה jareach, & Lunam, & mensem significat. Et Græ-

cum μην i. e. mensis ἀπότμυντος i.e. a Luna derivatur. Et in specie apud Hebræos menses omnes a Luna durationem, & differentiam sortiebantur.

9. Vas castrorum: Syderum.

21. Fiet tanquam cacumina tribuli: Sicut apices, & cuspides in sudibus.

24. Medicina omnium in festinatione nebula. Nebula vere congruens, si lenis imber eam subsequatur, medetur omni malo a pruina illato.

25. In sermone ejus fluit ventus, Vulgo silere pro quiescere usurpatur. DEUS verbo suo quamlibet saevissimam tempestatem sedat.

## C A P U T    X L I V .

**L**Audantur Sancti Patriarchæ, Prophetæ, & pii Reges, per quos magna & mirabilia gessit DEUS. In specie vero commendatur Henoch, Noë, Abraham, Iсаac, & Jacob.

3. Nuntiantes in Prophetis: Græcus: Annunciantes (futura) in prophetiis: Nuntiantes prophetias, & oracula divina proferentes.

4. Imperantes in praesenti populo Israëlitico, & per hos aliis quoque.

5. Requirentes modos musicos: Sacra cantica, & Psalmos.

6. Pulchritudinis studium habentes: i. e. decori in templo, & functionibus sacris.

12. In testamentis: In sacerdote

Ecc 2

DEI

**D**EI cum Abrahamo sancito, stetit simum Judicium redditum, ut populos convertat ad poenitentiam. Imo Apocalypsis Cap. 11. de Henoch, & Eliæ reditu aperte loquitur.

16. *Henoch* - - translatus est in paradisum: Locum felicem, nobis incognitum. Christianorum, & Iudeorum traditio est, Henoch adhuc vivere, atque ante novis-

simum Judicium redditum, ut populos convertat ad poenitentiam. Imo Apocalypsis Cap. 11. de Henoch, & Eliæ reditu aperte loquitur.

21. *In carne ejus*: Per circumcisum, stare fecit testamentum: Pactum cum eo initum.

## C A P U T X L V.

### Comendatur Moyses, Aaron, & Phinees.

2. *Similem illum fecit in gloria Sanctorum*: Fecit illum similem Sanctis Patriarchis: Abraham, Isaac &c. & eorum gloriæ æquiparavit. *In verbis suis*: Ejus Græce autem monstra placavit, DEUS, hoc est, abstulit plagas monstrosas ad preces Moysis. *Jussit illi*: Leges & iusta tradidit illi: coram populo suo.

4. *Induxit illum in nubem*: In cæliginem, tempore datæ legis in monte Sinai.

9. *Coronavit cum in vasis virtutis*: Quia ejus vestimenta, rationale, & vasa templi dum tractabantur, vel usurpabantur, conferebant ei vim flectendi DEUM ad oracula danda, & auxilia præstanta.

10. *Circumpedes*: Græce: podrem: vestem pedes usque demissam: tunica hyacinthina: Humeralis: ephod.

14. *Corona aurea*: Erat lamina aurea cingens frontem Pontificis instar coronæ.

24. *Fecit illis monstra*: Prodigia, miracula.

25. *Addidit Aaron gloriam*: Miraculo in virga edito, cum floruit ad confirmationem Sacerdotii profœ, & suo senaene.

31. *Et testamentum David*: Sicut Sacerdotium hereditavit Aaron in æternum; ita Regnum David promissum, & datum in æternum.

## C A P U T X L VI.

### Laudatur Josue, Caleb, & pii Judices usque ad Samuelem Prophetam.

1. *Iesus Nave*: Josue filius Nun. Secundum nomen suum: Jesus enim

Salvatorem significat.

5. *An non in iracundia ejus impedi-*

*ditus est Sol?* Dum ad ejus vocem dies clara 24. horis duravit.

7. *In descensu perdidit contrarios:* In descensu videlicet Bethoron, ibi enim grando in hostes Israëlis cœpit irruere.

8. *Secutus est a tergo potenter:* Iosue secutus est Dominum potenter, illique obedivit.

9. *Misericordiam fecit: opus scilicet pietatis in Moysen, & in populum, quem a murmuratione compescuerunt.* Num. 14. *Stare contra hostem:* Suadentes, ut starent contra hostem, seu Chananæos.

10. *Obiit hæreditatem:* He-

bron, quam suam fecit, & suis reliquit iure hæreditario.

14. *Offa eorum pullulent:* Formula apprecedandi mortuis; memoria eorum restorescat.

18. *Vidit DEUM Lucis:* Divina luce illustratus est.

23. *Notum fecit Regi:* Sauli, cui post mortem suam apparuit, eique prædictum futurum, ut postridie moreretur. Historia hæc i. Reg. 28. refertur. *Exaltavit vocem ejus de terra:* Prædictum non solum mortem Saulis propter illius inobedientiam, & impietatem; verum etiam populi cædem.

## C A P U T    XLVII.

**L**AUDATUR PROPHETA NATHAN, REX DAVID, & prior ætas SALOMONIS: VITUPERATUR EJUSDEM SENECTUS, ROBAAMI STULTITIA, & JEROBOAMI IDOLOLATRIA.

2. *Quasi adeps separatus a carne:* Est locutio proverbialis ostendens excellentiam Davidis.

9. *Dedit Confessionem Sancto: DEO laudem dixit.*

16. *Terram retexit anima tua:* Terrestria, & physica mysteria produxisti in lucem.

21. *Inclinasti femora:* Subjecisti te mulieribus, quarum potestatem passus es in corpore tuo.

31. *Defensio: usque dum perveniret ad illos ultio.* Liberavit eos: Tandem a Babylonis captivitate, & idololatria, in qua tam diu persistierant.

## C A P U T    XLVIII.

**L**AUDANTUR PROPHETÆ ELIAS, ELISEUS, & YAHIA, & REX EZECHIAS.

2. *Non poterant sustinere præcepta Domini: Quibus præcepit, ne plueret.*

5. *Qui suscepisti mortuum: Filium viduæ Sareptanæ, quem resuscitavisti.*

7. Qui audis in Sina iudicium: Elias persecutionem Jezabel fugiens in Sina Arabiæ montem se recepit, ubi didicit DEI Consilia in domum Achab, totumque regnum Isaaēl; præcepit illi DEUS, ut Azaëlem in Syriae Regem, & Jehu in Regem Israël ungeret.

14. Mortuum prophetavit corpus Elisei: nam mortuus in sepul-

chrum ejus projectus, statim, ut tetigit ossa Elisei, revixit.

26. Retro redit Sol: Vide 4. Reg. 20.

27. Spiritus magno vidit ultima: Isaías: nam prophetavit de Incarnatione Christi: Ecce Virgo concipiet Isaiae 7. & de nativitate: Parvulus natus est nobis C. 9.

## C A P U T   X L I X .

**L**AUDANTUR Josias, Jeremias, Ezechiel; & duodecim Prophetæ (qui vocantur minores, sub quibus etiam Danielem comprehendit) item Zorobabel, Jesus Sacerdos, Nehemias, Henoch, Joseph, Seth, Sem, & Adam.

I. Memoria Josiae -- facta opus pigmentarii: i. e. suavissima.

II. Commemoratus est inimicorum in imbre: Sub Allegoria imbris prædictit mala inimicis DEI; facientibus actum justitiam promisit bona.

12. Ossa pullulent in loco suo: Flerebunt in Sepulchris.

18. Ossa ipsius prophetaverunt: Joseph fuisse verum Prophetam ostenderunt: nam hoc prædicterat Genes. ult: DEUS visitabit vos, asportate ossa mea vobiscum.

## C A P U T   L .

**S**imonem Oniæ filium celebrat; Philistinos, Sichemitas, Samaritanos vituperat.

1. Suffulsa domum: Ruinæ templi novis fulcris occurrit.

2. Duplex ædificatio: Secundam contignationem, & superius deambulationem perfecit.

12. Gloriam dedit sanctitatis amissum: Vestes pontificales ipsas

quodammodo ornavit sanctitate, & modesta gravitate.

13. In accipiendo autem partes: Nam in pacificis hostiis pars una cedebat in ultum illius, qui offerebat. Circa illum steterunt Sacerdotes, quasi rami palmarum. Erat velut

velut cedrus, quam circumdant  
palmae ramosæ.

22. Manus suas extulit: Benedi-  
xit, contestatus omnium bonorum  
fontem, & principium esse in  
DEO.

27. Non est gens: Samaritano-  
rum colluvies.

28. In monte Scir: Idumæi. Et  
stultus populus: Sichimitæ, apud  
quos erat templum Schismaticum  
Hierosolymitanorum simulacrum, de quo  
Joan. 4. 20.

## C A P U T   L I .

**L**AUDAT ECCLESIASTICUS DEUM, qui ipsum a multis et magnis pe-  
riculis eripuit. Commendatur omnibus studium cœlestis sapientiae.

3. In conspectu astantium: Græce:  
accusantium me: alludit ad civilium  
judiciorum morem.

14. Invocavi Dominum Patrem Do-  
mini mei: Interpretes hoc loco de-  
prehendunt secundam in Trinitate  
personam, filium a Patre di-  
stinctum, futurum Messiam.

6. In medio ignis non sum astutus:  
Eram velut in ardenti fornace,  
ut olim Daniel, inde eripuisti me.  
Periculum suum hac descriptione  
exaggerat.

25. Colluctata est anima mea in illa:  
Lucretius sum cum occurribus  
difficultatibus, dum mihi illam pa-  
raremi.

7. De altitudine ventris insert:  
Eram quasi vivens adhuc in tumulo,  
& tu quodammodo resuscitasti  
me.

30. Dedit mihi Dominus linguam  
(eloquentiam) mercedem meam.

13. Exaltasti super terram habita-  
tionem meam: Domum, & familiam,  
quam alii deprimere studebant.  
Pro morte desfente (imminente)  
deprecatus sum.


23. Animæ vestrae sitiunt vehemen-  
ter: Cur aquas Sapientiae salutaris  
non expetitis, cum aridi sitis?


38. Operamini opus vestrum ante  
tempus. Ab ipsa adolescentia in stu-  
dium sapientiae & virtutis incum-  
bendum est.


A. M. D. G. & B. V. M. H.



1026











00042504

